TOLEDO, Francisco de (S.I.)

D. Francisci Toleti Societatis Iesu Commentaria unà cum quaestionibus, in libros Arist. De generatione et corruptione... -- Compluti : Apud Ioannem Iñiguez à Lequerica, 1589

[8], 141 h., []2, @4, 2@2, A-R8, S5 ; 4°

Port. con anagr. xil. de la Compañía de Jesús. -- Colofón. -- Texto a dos col., con apostillas marginales

1. Aristóteles. Acerca de la generación y la corrupción-Crítica e interpretación 2. Aristotele. Sorkuntzaz eta bihurdikaz -Kritika eta interpretazioa 3. Metafísica 4. Metafisika I. Commentaria unà cum quaestionibus, in libros Arist. De generatione et corruptione... II. Título

R-6399 Ejemp. deteriorado, afectando a port. y primeras h. -- An. ms. y firma autógr. en h. de guarda: "Gas[par] Lopez Cano". -- Enc. perg.

D. FRANCI

TOLETI

CIETATIS IE

COMMENTARI

vnà cum Quæstionibus.

IN LIBROS ARIST. DE

RATIONE ET CORRVPTI

Multo accuratius nunc denuò excuss

Adiectio Quæstionum, & rerũ omniũ locu



CVM PRIVILEGIO.

COMPLVTI, Apud Ioannem Iñiguez à Lequerica.

ANNO, 1589.

... el Conde de Barbeña ...
... y la S.a Doña Juana de Salazar ...
... sus Patronos de este Conde ...

1639

EL REY

POr quanto por parte de vos el [illegible] casa y collegio de la Cõpañia de Iesus [illegible] de Alcala de Henares, nos fue fecha relacion, diciendo, que nos os auiamos dado licencia y facultad, para que vos, o la persona que vuestro poder vuiesse pudiesedes imprimir y vender los libros del curso delas Artes que auia compuesto el Doctor Francisco de Toledo desa dicha orden por seys años, como parecia por cierta cedula, de que haziades presentacion: conforme a la qual se auia hecho la dicha impresion: y porque el termino de los dichos seys años, se cumplia a principio de Agosto deste presente año, nos suplicastes os mandasemos prorogar el dicho termino por otros seys años mas, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, fue acordado, q̃ deuiamos mandar dar esta nuestra cedula enla dicha razon: y nos tuuimoslo por bien. Por la qual vos prorrogamos y alargamos el termino que por el dicho preuilegio os esta dado por otros seys años mas: los quales corran y se quenten desde aquel cumplido: durante los quales vos damos licencia y facultad para que vos, o la persona que vuestro poder vuiere, pueda imprimir y vender en estos nuestros Reynos los dichos libros que de suso se haze mencion: cõ que no se pueda vender ni vendan, sin q̃ primero se trayga a nuestro Consejo, juntamẽte con el original que enel fue visto, que va rubricado en cada plana, y firmado al fin dellas de Alõso de Vallejo nuestro escriuano de camara, y vnõ delos que en el nuestro Consejo residen: para que se vea si la dicha impresion esta conforme al original, y se tasse el precio en q̃ cada volumen se vuiere de vender. Y mandamos que durãte el dicho tiẽpo ninguna persona los pueda imprimir ni vẽder sin el dicho vuestro poder, so pena que el que lo imprimiere

miere y [illegible] aya perdido y pierda la impresion que hiziere, y [illegible] a en pena de cinquenta mil marauedis, la mitad [illegible] stra camara, y la otra mitad para vos el dicho Recto[illegible] y collegio. Y mandamos a los del nuestro Cõsejo, y a otras quales quier justicias destos Reynos, que guarden, y cumplan, y executen esta nuestra cedula y todo lo en ella contenido. Fecho en Açeca, a diez y nueue dias del mes de Mayo, de mil y quiniẽtos y ochenta y tres años.

Yo el Rey.

Por mandado de su Magestad Antonio de Eraso.

Index quæstionum quę in his duobus de Generatio. & Corruptio. continent.

1 An si generatio esset possibilis alteratio posset de alijs circa textum difficultatibus. fol. 5.
2 An quod simpliciter generatur ex nõ ente generetur. fol. 12.
3 An generatio vnius sit corruptio alterius. fol. 16.
4 An substantia suscipiat magis & minus. fol. 20.
5 An generatio ab alteratione distinguatur. fol. 23.
6 An alteratio sit motus continuus fol. 24.
7 An in corruptione fiat resolutio vsq; ad materiam primam. fol. 26.
8 An augmentatio sit generatio. fol. 36.
9 An in augmentatione eadem viuentis forma num. maneat. fol. 38
10 An quod augetur eius quælibet pars augeatur. fol. 41.
11 An augmentatio sit motus continuus. fol. 43.
12 An nutrimentum sit simile nutrito. fol. 45.
13 An simile agat in simile. fol. 51.
14 An idem agat in se ipsum. fol. 57.
15 An omne agens in agendo repatiatur. fol. 60.
16 An indiuisibile possit alterari. fol. 75.
17 An elementa maneant formaliter in mixto. fol. 82.
18 An elementa maneant in mixto secundum suas qualitates. fol. 88.
19 An mixtio sit possibilis. fol. 91.

SECVNDI LIBRI.

1 An quatuor qualitates sint elementorũ formæ substantiales fol. 97.
2 An sint tantum quatuor primę qualitates. fol. 98.
3 An inter has qualitates duę sint actiuę & duæ passiuæ. fol. 100.
4 An tantum quatuor sint elementa. fol. 102.
5 An terra sit maxime sicca, aqua maxime frigida, aer maxime humidus, &c. fol. 105.
6 An elementa habeant vtrãq; qualitatem in summo fol. 108.
7 An qualitates elementorum symbolæ sint eiusdem speciei. fol. 111.
8 An quodlibet elementum ex quolibet immediatè generari possit. fol. 114.
9 An symbola facilius mutentur. fol. 117.
10 An ex duobus elementis fiat tertium. fol. 118.
11 An detur mixtum adpondus æquale. fol. 126.
12 An motus solis sit inferiorum mutationum causa. fol. 135.
13 An corruptum naturaliter idem numero reparari possit. fol. 140.

¶ Finis Indicis quæstionum duorũ librorum de Gener. & Corrup.

¶ Index

INDEX RERVM OMNIVM, QVAE IN HIS libris tractantur.

A.

Accidentia sicut non sunt simpliciter entia, ita nec dicũtur simpliciter generari. 19.

Accidentiũ quædam cõmunia genito & corrupto, quędam propria tantum vnius. 27.

Accidentia suscipiunt magis, & minus, per ablationem .l. additionem graduum. 21.

Accidentia inhęrent subiecto de cuius potentia educuntur. 28.

Accidentis generatio est talis secundum quid. 3.

Accidẽs per se est immobile. 58.

Accidens corrumpit se per accidens. 59.

Accidentia in eodem subiecto non miscentur. 80.

Accidentia aduenium enti in actu. 88.

Accidẽs cum materia efficit vnũ per accidens. 29.

Accidentia corrumpuntur quatuor modis. 29.

Accidẽs aliquãdo per se producitur, & tunc à simili: aliquando per accidens, & tunc à simili & à contrario, ibidem.

Agens communicans in materia semper repatitur ab immediato passo. 65. & 66.

Accidens transire de subiecto in subiectum repugnat. 29.

Actio est immediate inter qualitates primas. 55.

Actio consurgit ex excessu virtutis. ibidem.

Actio & passio est inter contraria. 50.

Actio alia perfectiua, alia corruptiua. 56.

Actio corruptiua duplex, directa & reflexa. 57.

Actio immediate & simul est per totas aliquas partes passi. 68.

Actio requirit proportionem maioris, etiam in diuersa specie. 68.

Actio, & reactio, dupliciter. l. secundum diuersas contrarietates, vel secundum eandem. 61.

Actio potest à proportione maioris, & equalis, & minoris in gradu prouenire. 54.

Actiuitas & resistentia quomodo comparentur inter se. 66. & 67.

Actiuitas maior aut minor pęnes quid attendenda sit. 67.

Actiuitas maior .l. minor non semper sequitur intẽsionẽ. 52. et 131

Aer & aqua sunt impura quoad qualitates. 105.

Aer est elementum omnium humidissimum. 107.

AEqualitas qualitatum duplex, altera põderis altera iustitiæ. 126.

INDEX.

AEtates sunt quinq; expolcũtq; varias qualitatũ ꝓportiones. 129
AEqualitas secundũ complexionem influxam datur in aliquo mixto. 130.
AEqualitas ponderis non est eadem in omnibus partib⁹ animalis. 130
Aer sua frigiditate congelat flumina. 54.
Agens non agit in sibi simile. 75.
Agens duplex vniforme & diforme. 62.
Agens quomodo se habeat in cõseruatione sui & in agendo in passum. 68.
Agens dum agit assimilat sibi passum. 50.
Agens quo propinquius passo tãto magis agit in ipsum. 53.
Animas omnes præter humanã diuisibiles esse. 38.
Anima in animalibus seipsam mouet per accidens. 59.
Anima sola inter formas mouet et mouetur simul. ibidem.
Animalia se mouent secundũ partem. ibidem.
Animam omnino eandem probabile est esse in maiori & minori materia. 39.
Alteratio potest esse sine corruptione alterius & cum illa. 16.
Alteratio generationẽ precedit. 19
Alteratio & generatio quid sint, & quomodo differãt. 22.
Alteratio non est mutatio totius. ibidem.
Alteratio non poterat concedi in sententia Emped. 71.
Alteratio ut mot⁹ cõtinu⁹. 24.
Alteratio sup. secundum extẽsionem & intensionem. ibidẽ.
Alteratio quoad extensionem & intensionem est sæpe cõtinua, non tamen semper. 25.
Alterationis datur prima pars producta in instanti quoad extẽsionẽ & intensionem. ibidem.
Alterans aliquãdo alterat & altera tur, aliquando verò nõ alteratur. 32.
Angel⁹ seipsum intelligit. 58.
Angeli cur non repatiantur ab his inferioribus. 61.
Artes tripliciter differunt. 29.
Animalia habent partẽ per se mouentẽ & partẽ per se motã. 58.
Augmentationis quæ sit proxima materia. 37.
Augmẽtationis duplex definitio. ibi.
Augmẽtatio dicit ꝓductionẽ quãtitatis cũ extẽsione substãtię. ib.
Augmentatio est secundũ formã non secundũ materiã. 33. & 40.
Augmentum viuentium dupliciter differt ab augmento non viuentium. ibidem.
Augmentum viuentium non procedit in infinitum. ibidem.
Augmentatio non est motus continuus. 43.
Aucti quomodo quælibet pars augeatur. 42.
Augmẽtatio nõ fit secũdũ minima sed secundũ maiores ptes. 44.
Augmentatio & noui loci occupatio quomodo fiat. ibi.
Augmentatio viuentis non fit

cõtinuo per totum tempus sui crementi. 43.
Augmentatio quomodo possit esse discontinua, & non alteratio. 45.
Augmentationem esse continuam probabile esse. ibi.
Augmentatio differt ab alijs mutationibus, quia id quod augetur necessario mutat locum. 29.
Augmentatio fit circa magnitudines. 30.
Augmentatio est additamẽtũ præexistentis magnitudinis. 31.
Augmentatio non potest fieri ex materia separata. 30.
Aucti quælibet pars augetur. 32.
Auctum idem est in principio & in fine augmenti. ibi.
Auctum in se habet virtutem augmentatiuam. ibi.
Augmentum fit ex dissimili & simili. 34.
Augmentatio est motus à minori ad maiorem magnitudinem. 37.
Augmẽtatio habet annexas quinque mutationes. 36.
Augmentatio & nutritio realiter distinguntur. 37.
Agentia omnia, vel sunt contraria formaliter vel virtualiter. 55.

B.

Bursei argumentum difficile contra reactionem. 61.

C.

Calor in summo passio est ignis, fol. 22.
Calor inter qualitates est maxime actiuus. 101.
Calor virtualis sufficit ad calefaciendum. 59.
Caloris tres operationes mirabiles. 46. & 47.
Calor qui erat naturalis non inducit putrefactionem in cadauere sed calor extraneus. 24.
Cœlum causa est mixtorum inanimatorum. 136.
Cœlestes orbes mouent elementa ad mixtionem. 91.
Cœli non repatiuntur ab his inferioribus. 61.
Cibus vt est potentia caro nutrit, vt est potentia quantum auget. 35.
Complexio mixta non est vna simplex qualitas. 90.
Complexiones animaliũ sunt quatuor. 129.
Continuum esse motum extemporis continuitate colligit Aristoteles. 135.
Continuus & idem est motus canis viui & mortui. 29.
Contraria in eodem subiecto se cõpatiuntur secundum gradum remissum. 65.
Contrarijs motibus possit ne idem moueri. 69.
Corpus simplex dupliciter dicitur. 1.
Corporis tãgibilis principia quærit Aristoteles. 9.
Complexio, quas conditiones requirat. 89.
Contrarium vnum fit ex alio tanquã ex termino, & ex materia tanquã ex principio. 19.

In Corruptione totum dicitur destrui etsi maneat materia. 17

D.

Democriti sententia de modo actionis. 70. & 71.
Distans non agit in distans. 49.
Diminutio non est cõtinua. 44.
Dispositiones sunt in duplici differẽtia antecedentes & conseruantes. 25.
Dispositio maior requiritur ad producendam quam ad conseruandam formam. 128.

E.

Effectus qui est per accidens respectu vnius causæ, est per se respectu alterius. 99.
Elementa sunt causę generationis & corruptionis corporum naturaliũ. 93.
Elemẽta sunt plura quã duo. 103.
Elemẽta non manent in mixto secundum aliquas entitates suarum formarum. 85.
Elementorũ qualitates non manẽt perfectæ in mixto. ibi.
Elementa qua ratione separabilia sint à mixo. ibi.
Elemẽtorum diuisio in mixtione non fit vsq; ad minimum. 82.
Elementorum diuisio fit per motum quo elementa ad mixtionẽ concurrunt. 161.
Elementa non sunt plura quam quatuor. 104.
Elementa substantialiter mutantur in m[illegible] 115.
Extensio [illegible]is per lignum non fit continue. 44.

F.

Ferrum candens ignem non habet. 53.
Forma eque intensa plus agit in subiecto denso quã in raro. ibi.
Forma substantialis non potest intendi & remitti. 21.
Forma quæuis in sua productione & conseruatione requirit certam latitudinem dispositionum. 129.

G.

Generatio vnius est corruptio alterius. 16.
Generatio vnius est corruptio alterius in formis accidentalibus: non est vniuersaliter vera. 17.
Generatio simpliciter & corruptio simpliciter quæ dicatur. 18.
Generatio substantialis vnde maxime colligatur. 22.
Generationis subiectum materia prima, aliarum vero mutationũ materia secunda. 22.
Generatio an distinguatur ab alteratione. 23.
Generatio corruptio & alteratio quid sint. ibi.
Generatio & corruptio vniuersaliter sumuntur in his libris. 1.
Generatio substantiæ dicitur talis simpliciter. 5.
Generatio naturalis supponit prę uiam alterationem. 6.

Generatio & corrup. ſo mutuo ſe conſequuntur. ibi.
Generatio nutrimenti præcedit augmentationem. 34.
Generationes & corruptiones ſecundum Ariſtotelem ſunt perpetuę. 137.
Generatio in cõmuni ſumpta neceſſaria eſt, ſingulæ tamen contingentes. 139.
Aliquid de nouo generatur, & ſimiliter corrumpitur, quin actu ante præceſſerit. 13.

H.

Habitibus ideſt formis vel finib⁹ poſitis in materia, ceſſat actio. 51.
Homo nõ ſe proxime corrumpit ſed quia inducit id quod corrũpit. 59.
Humiditas minus reſiſtit cum eſt cum calore quam cum eſt cum frigiditate. 29.
Humida facilius miſcentur, ſi non ſint viſcoſa. 82.
Humiditas & ſiccitas quare dicantur ab Ariſtotele paſsiuę qualitates. 101.

I.

Idem non agit in ſe ipſum 50.
Idem agit in ſe ipſum actione perfectiua. 58.
Idem alterat ſe ipſum per accidens. 59.
Idem ſe ipſum ſecundum totum alterare non poteſt. ibi.
Idem numero naturaliter nullo modo poteſt reproduci. 141.
Si idem ageret in ſe ipſum nihil eſſet incorruptibile vel immobile. 50.
Ignis eſt maxime calidus, aqua autem ſumme frigida. 107.
Ignis quare dicatur trãſmutari in aquam, non autem calor infrigiditatem. 34.
Immaterialia pati non poſſunt. 51
In nutritione vna pars ſubſtantiæ generat alteram. 59.
Indiuiſibilia ſi ſeparata eſſent nõ poſſent alterari. 77.
Indiuiſibilia quatenus idem realiter ſunt cum continuo per accidens poſſunt alterari. ibi.
Inſcriptio huius libri. 2.
Intenſio actiuitatis in ſphęra terminatur extrinſece. 78.
Inter generationem & alterationem ſex aſsignantur principales differentiæ. 23.
Infirmari & ſanari facile, optimi eſt temperamenti. 130.

L.

Linea in quauis parte habet punctum & diuiſionem. 11.
Lumen & alię qualitates quomodo procedant ab agente. 78.
Luminoſa æqualia ſimul, maius lumen producunt quam ſeorſum ſingula. 54.
Lumẽ per ſe producit calorẽ. 100.

M.

Materia prima ordine receptionis æque immediate reſpicit formam mixi & elementorum: ordine vero productionis prius formas elementorum. 88.

Materia eſt elementorum principium. 94.
Materia eſt principium paſsionis. 51.
Materia eadem genere quę dicatur. 56.
Materia geniti & corrupti eadem & quare. 19.
Materia prima eſt ſubſtantia, & eſt vnum per ſe. 29.
Materia eadē eſt ingenito & corrupto. ibid.
Materia duplex alterationis & cōpoſitionis. 31.
Materia augmentationis eſt corpus actu non vero materia generationis. ibid.
Materia non poteſt eſſe vnquam denudata ab omni forma. 35.
Materia eſt cui inſunt formæ. 31.
Maius in gradu poteſt agere in minus. 54.
Mathematica corpora quomodo ſint in loco. 48.
Mixtio differt ab alijs mutationibus. 80.
Mixtio duplex altera ad ſenſum tantum, altera ſecūdum rem. 81
Mixtio eſt miſcibiliumalteratorū vnio. 82.
Mixtio non eſt neceſſe quod habeat formaliter omnia elementa, ſed ſufficit eſſe in vno elemento aliorum virtutes. 92.
Mixtio frequentius fit in regione terrę. ibid
Mixtū immediate poteſt fieri ex elementis. 91.
Mixtum aliquod ſola virtute elementorumfieri poteſt. 92.
Mixti tenuiſſimum non conſiſtit in indiuiſibili. 90.
Mixti forma requirit quandam temperiem & diſpoſitionēqualitatum in materia. ibid.
Mixtū qđ debet eſſe intermediū quando ex aqua fit ignis vel ex terra aer, debet eſſe mixtū accidentale non eſſentiale. 115.
Mixti ſubſtātia ſola cōſideratanō eſt magis compoſita quā elemēti, ſed tantū quoad virtutes. ibi.
Mixti forma eminenter continet formas ſubſtātialeselemētorū. ibi
Miſcibilia manent in mixto, non actu ſed potentia. ibi
Miſcibilia debent cōmunicare in materia, differre in forma, & eſſe mutuo actiua & paſsiua. 81.
Miſcibilia non ſe mutuo debent excedere. ibid.
Minus in gradu pōt agere in maius. 54.
Minimum ſubſtantiæ productæ datur. 44.
Mouere, & moueri tripliciter cōtingit, per accidēs, ſecundū partem, & ſecundū totum. 58.
Motus elementorum ad mixtionē naturalis eſt quatenus ab agente vniuerſali fit. 92.
Motꝰ ſimplices quinque ſunt & iuxta illos quinq; elemēta: nā & cęlū elemētū dicitur ab Ar. 104
Motus calorē cauſat nō perſe ſed inducēdo diſpoſitionē eius. 99.
Motus in frigidata pplicando frigidum. ibid.
Motus localis cur non admittat reactionem. 69.

Motus nō generatur neque corrū pitur sed est id quo aliquid generatur aut corrumpitur. 17.
Motores perpetui & immobiles plures sunt, vnum tamen omnium primum dari necesse est. 134.
Motus cœli non quia aliquid per se producat, sed quia conditio est vt Sol & astra applicata producāt, causa vniuersalis inferiorū dicitur. 135.
Moueri à se nō dicuntur, quæ per virtutem impressam ab alio mouentur. 58
Mutatio secundum formā est obiectum lib. de Generatione. 2.
Mutatio non distinguitur realiter à termino. 36.
Mutationis subiectum oportet esse vnum. 5.

N.

Vnum quodq; Nutritur corpore simili in substantia & qualitate. 37.
Nutrimentum quomodo trahatur à partibus viuentis. 43.
Nutrimentum debet esse proportionatum cum viuenti in duobus. 45.
Nutrimentum triplici ex causa potest nō esse proportionatū. ibid
Nutrimētum disponitur tribus in partibus & quę illę sunt. ibid.
Nutrimenti quot sint alterationes ante conuersionem. 46.
Nutritio & augmētatio subiecto conueniunt, ratione & diffinitione differunt. 35.
Nutrimentum id tantum esse potest, quod est potētia viuens 34
Nutrimentum quomodo sit simile nutrito. 46.
Nutrimentum quomodo dicatur esse in potentia. ibid.
Nihil agit nisi secundum quod est actu. 55.
Nihil se ipsum posse mouere secundum totum, probabile est, non demonstratum. 58.

O.

Omnino diuersa, non sunt contraria. 50.
Operationes animaliū variæ sunt in perfectione ex diuersitate organorum. 22.

P.

Partes porosæ nō augentur. fo. 42
Partes solidę non sunt minimæ, sed paruę quātitatis, & inter se inęquales ibidem.
Passio vt opponitur repassioni est ipsius operatio qua patitur à principiali agenti. 60.
Partes similares & dissimilares quę sint. 33.
Partes similares & dissimilares viuentis augentur. ibid.
Partes materię in augmētabili quędam recedunt quædam adueniunt. 34.
Parmenides negabat vacuum, ex quo inferebat, nec motum esse posse, nec multitudinem. 70.
Parmenides dicebat omnia esse vnū infinitū immobile. ibid.
Plato & Leucippus dicebant omnia componi ex indiuisibilib⁹, diuersi

diuerſimode tamen. 71.
Plato reprehenditur ab Ariſtot. quod dixerit materiam elementorum eſſe incorpoream. 93.
Pori inter ſe inæquales ſunt. 42.
Pororum calor naturalis eſt cauſa efficiens. ibidem.
Pororum duplex finis. ibi.
Porus,& dilatatio partium,& cibi alteratio,& cõuerſio,ſimul fiũt. ibidem.
Pori maiores ſunt quam partes diminutæ. ibidem.
Pori in iuuenibus maiores quàm in ſenibus. ibidem.
Productio rei naturalis eſt cũ mutatione. 13,
Primum mouens mouet non motum. 51.
Proximum mouens mouet motum. 53.
A Proportione maioris eſt actio: intelligẽdum eſt in eadem ſpecie. 68.
Perpetuitatis ingenerationib⁹ cauſa efficiens nõ eſt mot⁹ primi mobilis ſed motus ſolis in Zodiaco,finalis autem conſeruatio rerum. 33. & 134.
Platoni adſcripta ſententia de reditu omnium rerũ poſt annum maximum,fidei repugnat. 141.
Periodus durationis animatorũ cur ſit cõmuniter longior quam animatorum. 136.

Q

Qualitates ſecũdo loco ſunt principia corporum naturaliũ. 94.
Qualitates tantum quæ tactu ſentiuntur ſunt principia corporũ naturalium. 95.
Qualitates vt ſint principia corporum debent eſſe actiuæ vel paſsiuę. 97.
Qualitates primæ non ſunt formę ſubſtantiales elemẽtorũ ſed ipſorum virtutes. 97.
Qualitates quid habere debeant vt ſint primæ cauſę cuiuſuis trãſmutationis ſenſibilis. 98.
Præter Quatuor primas qualitates ſunt alię cœleſtes quibus cę lũ influit in hęc inferiora. 99.
Qualitates aliquæ ſunt actiuę quæ non dicuntur primæ quia non agunt actione tendente in mutationem rei. 99
Qualitates quæ licet alteratiuæ ſint,vel procedunt ex quatuor primis,vel non agunt cum contrarietate,non ſunt primæ. ibid.
Quatuor primæ qualitates omnes per ſe ſunt primo actiuæ,etiã humiditas & ſiccitas. 100.
Qualitates elementorum non ſunt ſufficiens cauſa formæ mixti quia imperfectiores. 128.
Qualitas remiſſa in elemento non habet mixtionẽ contrariæ. 110.
Pręter qualitates actuales in elementis non ſunt alię virtuales ad eoſdem effectus. 111.
Qualitates ſymbolæ elementorũ eædem ſpecie ſunt. ibidem.
Qualitas correſpondens indiuiſibili non poteſt ſuperponi quãtitati extenſæ. 77.

Qualitas in ſummo naturaliter tãtum poteſt in elemento reperiri. 88.
Qualitaets ſecundæ quæ ſunt in mixto non ſunt complexiones illius. 89.
Qualitates mixti habent aliquas operationes, vt illius inſtrumẽta, quas in in elementis non attingebant. 90.
Qualitates elementorum eædem manent in mixto, refractę tamen. ibid.
Qualitas cõmunis genito, & corrupto, eadem manet in genito, ſecundum Ariſtotelem. folio. 22.
Qualitas dupliciter eſt diuiſibilis intenſiue, & extenſiuè. 24.
Qualitatum primarũ, quo quæq; actiuior eſt, eo minus reſiſtere probabiliter multi putant. 63.

R.

Ratio apud Ariſt. idem eſt, quod definitio, fol. 3.
Reactio eſt actio, qua paſſum agit in agens fortius & principalius. 60.
Reactio per accidẽs, qualiter à nõ nullis ponatur. 93.
Reactio qualis communiter ponatur. ibid.
Reactionis & repaſsionis eadem eſt ratio quę actionis, & paſsionis. 65.
Repaſsio eſt principalis agentis paſsio per reactionem paſsi. 60.
Repaſsio non eſt, quando velagẽs expers eſt materiæ vel habet materiam alterius rationis, quã paſſum. ibid.
Repaſsio datur verè, & perſe, & ſecundum eandem contrarietatem, & ſecundum eandem partem. 64.
Repaſsio ad mixtionem neceſſaria. ibid.
Remiſsior eſt frigiditas aeris, quã aquæ. 54.
Remiſſus calor poteſt producere intenſiorem. ibid.
Reſiſtere quid ſit, & quot modis contingat. 67.
Reſolutio fit vſq; ad materiam primam poſt multas corruptiones, & generationes. 27
Reſolutio vſq; ad materiam primam, aliquãdo fit ex prima mutatione, non ſemper. ibid.
Reſiſtentię cauſę. 67.

S.

In Senibus cur ceſſet augmentum & non nutritio. 47
Sanguis nutrimentalis & arterialis vnde, & per quas vias diffundatur. 46.
Sẽſus debet denudari ab eo quod percipit. 57.
Simile nõ agit, nec patitur ab omnino ſimili. 50.
Similia in qualitate, & gradu, quæ dicantur. 53
Similia qualitate & gradu poſſunt eſſe actiuitate diſsimilia. ibidem.

Simile in gradu potest agere in simile in gradu. ibid.
Simile in potentia non agit in simile in potentia. 55
Species intentionalis non producit accidens reale, cuius est species. 57.
Spermaticæ partes semper manẽt in toto vitæ tempore. 41
Inter Spermaticas, & nutrimentales partes, quoad augmentum, quid intersit. 42.
Sphæra actiuitatis est spacium per quod potest agens agere. 61.
Sphæra actiuitatis est vniformiter diformis. 79.
Subiectum inhæsionis accidentium est materia prima. 29.
Subiectum rei non semper est subiectum scientiæ. 2.
Sol sicut est præcipua causa vniuersalis inferiorum inesse, sic & in conseruari. 137.
Sol seu cælũ est primum alterans, 51.
Substantiam vnam esse magis substantiam, quam aliam, variè exponitur. 20.
Substantiæ tantum per qualitates suas contrariè inuicem sunt. 97.
Substantia non ita de nouo fit, vt nihil illius præcesserit. 13.
Substantia cũ generatur, quodãmodo dici potest tota generari. 14.
Substantia suscipiat ne magis & minus: 20.
Suscipere magis & minus dupliciter contingit, secundum intensionem, & secundum perfectionem. ibid.
Substantia quatuor modis suscipit magis, & minus secundum perfectionem. 20.
Subiectum duplex, inhæsionis, et denominationis. 27.
Superficies non se tangunt, sed corpora ratione illarum. 78.
Suppositum in omni actione est agens principale: forma autem & potentia instrumentum primarium, & secundarium. 98.
In Symbolis elementis facilior est transitus, quam in dissymbolis. 29. & 118.

T.

Tactus triplex, & in quibus vnus quisq; reperiatur. 48.
Tactus mathematicus est primus & propriè tactus. 49.
Tactus quomodo sit conditio necessaria ad actionem. ibi.
Tactus duplex, virtutis & quantitatis. ibid.
In Tactu secundo & tertio modo reperitur tactus mutuus, & non mutuus. ibid.
Tactus inter cœlos cuiusmodi sit. ibid.
Cum Temperie qualitatum diuersa eadem specie forma produci potest, si sit eadem virtus productiua. 128
Temperies innata mixto non est æqualis ad pondus. 130.
Temperiem ad pondus dari in toto animali aggregatiuè sumpto possibile est. ibid.

Tempus generationis tantum est, quantum corruptionis. 137.
Terra habet aliquas partes internas puras. 105.
Terra est omnium elementorum maxime sicca. 106.

V.

Viuentia pro diuersitate temperamenti appetunt diuersa nutrimenta. 45.
Viuens an causetur â cælo. 135.
Virtus cœlestis efficit mixtionẽ aliquam. 92.
Viuentis quodlibet signum sensibile, seu pars minima augetur. 33.
Viuens dum viuit semper deperdit partes substantiæ, quas nutritione reparat. 36.
Viuens habet triplicem statum. ibid.
Virtus alteratiua est in eo, in quo est virtus nutritiua. 33.
Virtus nutritiua est in eo, quod augetur. ibid.
Virtutes quatuor in singulis partibus nutritioni deseruientes. 46.

FINIS.

IN LIBRVM PRIMVM DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE ARIST.

COMMENTARIA Vna cum quæstionibus.

DOCTORIS FRANCISCI Toleti Societatis IESV.

De prolegomenis horum librorum.

LIBROS de generatione, & corruptione, Deo duce, interpretari aggredimur, & quęstiones, ac difficultatesquę in hac parte exagitari solēt, proviribus elucidare. Non ergo erit igitur inutile pro ipsorū introductione, quatuor prius pertractare, subiectum, inscriptionem, ordinē, ac diuisionē: reliqua enim, quæ præmitti solent, ex istis nota fient.

De subiecto horū librorum, & eorū Alber.

Circa subiectum inuenio diuersitatem aliquam inter auctores. Primus enim sententia Alber. Mag. hic in principio est, subiectum esse corpus simplex mobile secundum formam.

Duplicitер est corpus.

Pro declaratione aduertē, quod duplex est corpus, alterū simplex alterum cōpositum: simplex est, quod nō ex alijs corporibus cōponitur, sed immediate ex ipsa materia, & forma, qualia sunt elemēta: cōpositum est, q̄ ex alijs cōponitur corporibus sicut mixta omnia, tam animata, quā inanimata. *Simplex & compositum.*

Aduerte vlterius, quod hoc corpus simplex dupliciter potest cōsiderari, aut vt habet ordinem ad locum, & situm, & mobile localiter est, aut vt ordinē habet, & potentiam ad formam substantialem, & generabile est vel corruptibile. *Duplex cōsideratur corpus simplex.*

Dicit ergo Albert. quod hic tractatur de corpore simplici secundum potentiam ad formam generationis: nam de tali corpore, puta, elemento, traditur in libris de cœlo, vt potentiam habet ad locū & mobile est tali motu. Hic autē de eodem tractat in ordine ad generationem, & hoc est, quod dicit, *Explicatur sententia Albert.*

cit, corpus simplex mobile ad formam esse materiam horum librorum. Notat tamen totum primum librum ordinati ad secundum: in secundo enim de tali simplici corpore agitur: in primo verò, quid generatio, & corruptio sit, præmittitur, & vt generatio ab augmentatione & alteratione distinguatur: ob id de his consequenter tractatur. Secundum igitur Albert. de Generatione, & Corruptione simplicium corporum hic tractatur.

Reijcitur sententia Albert. Sed profectò non video, quare hi auctores negent in cõmuni tradi hîc quamcunque generationẽ: cùm generatio hoc in loco definita cõueniat vniuersaliter alijs omnibus. Præterea cum communia debeant prius tractari, & in alijs libris de peculiaribus generationibus corporum tractetur, oportuit hic prius de generatione in communi tractari.

3. sentẽ. Aegidij et aliorũ Altera sentẽcia est Aegidij, qui ait subiectum huius libri esse corpus mobile secundum formam in se, siue substantialem, siue accidẽtalem. Hæc opinio differt â priori in duobus: nam prior solum loquebatur de simplici corpore, ista verò de quocunque in communi. Præterea prior solum de generatione, & corruptione: de alijs verò per accidens hic tradi existimabat: at verò ista tam de generatione, quam de alijs per se: dicit tamen vnum ista opinio, quod quamuis in cõmuni tractetur de mutabili secundum formam, tamen simul descenditur ad vnam particularem mutabilis speciem, puta ad elementa, & hoc in secundo libr. Hanc sententiam sequitur Paulus Venetus, & Marsilius quæstio prima.

Tertia sentẽtia, D. Tho. Tertia sententia est aliorum asserentium, generationem & corruptionem esse subiectum huius libri, & huius sentẽtiæ videtur S. Thom. hic vbi dicit in libro hoc vniuersaliter tractari de generatione, & corruptione, & ipsarum causis. Dicit autem duo, alterum est, quod hic nõ traditur de augmentatione, & alteratione per se, nisi quatenus alteratio à generatione distinguitur, & quatenus augmentatio coniuncta est cum nutritione, quæ generatio quædam est. Alterũ est, quod hic traditur de elementis, quatenus causæ, & principia sunt generationis, & corruptionis omniũ aliorũ corporũ.

In hac quæstione dicam, quod mihi probabilius videtur.

4. sentẽ. auctо. 1. Propo. Dico igitur primò generationẽ & corruptionem, quę in hoc libro traditur non esse propriam elemẽtorum, sed vniuersaliter omnibus generabilibus inesse, & mihi placet in hac parte sententia S. Tho. & Aegidij: & me mouẽt rationes, quas fecit cõtra Alber. præsertim, cùm non sit vlla ratio pro ipso.

2. propũ Dico secundò, quod hic de augmentatione, & alteratione per se agitur, & non cõsequenter, & per accidens: & recipio in hoc opinionem.

Probatu

nem. Marsil. & Paul. Primò, quia Arist. tex. 4. absolutè dicit, se de simplicibus: his motibus tractaturum, & numerat hos omnes: similiter hoc etiam in hoc textu idem proponit: & quamuis dixerit, se dicturum, an alteratio, & generatio distinguantur, tamen hoc nil impedit, præsertim cū de augmentatione hoc non dicat: non ergò propter generationē de his est sermo. 2. Præterea quia nullibi de alteratione ipsa in communi tractatur per se, nisi hic. Vnde Auer. 2. de Anima, commen. 50. non malè dicit, quod tradere de augmentatione, ad multas partes philosophiæ spectat: vt motus quidā est, ad libros, inquit, de generatione.

Dico tertiò, quantum existimo libri obiectum est, mutatio secundum formam, vt comprehēdit generationem, alterationem, & augmentationem: probatur, quia ſibri obiectum est, cuius causæ, & principia traduntur: at generationis, & aliarum causæ tradūtur, in præsenti, vt Arist. dicit: similiter & ipsarum passiones.

3. propō. obiectum huius li. est mutatio secundum formam.

1. Præterea, quia nullibi dicitur de corpore mobili secundum formam, nec quid sit, ostenditur, nec passio de eo demonstratur, nec vlla ipsius causa.

2. Aduerte autem, quod non quid quid est subiectū rei, est subiectū scientię: corpus quidē est subiectū generationis, sed nō est huius scientię subiectū, cùm nec quid ipsum sit, nec quæ proprietates demonstret: sicut animal subiectum est somni, & vigiliæ: sed nō ob id est subiectū, & materia libri illius de somno. Similiter in libro de iuuentute, & alijs huiusmodi: ita etiam in præsenti de mutationibus his disputatio est. Et hoc circa subiectum.

Nota. nō quid quid est subiectū rei esse subiectū scientiæ.

Inscriptio verò est de generatione, & corruptione, seu de ortu, & interitu, nec mireris, quare non fiat inscriptio de alijs mutationibus: id enim factum est forsan breuitatis causa, vel quia precipua est mutatio secundum substantiam, quæ generatio, & corruptio est. De inscriptione.

Circa ordinē verò scito, hunc librū esse tertiū inter naturales: primus.n. est Physicorū liber: secundus de cœlo: tertius de generatione, & meritò: nā in libris physicorū cōmunia tradita sunt rebus naturalib⁹: puta, materia, forma, motus, locus, & tēpus. Post hęc tradit Arist. corpora ipsa, & quia prius est simplex, quā cōpositū premisit libros de cœlo, in quibus de simplici corpore, & de ipsius motu, puta locali disseruit. Post hæc debuit corpora cōposita aggredi: at quia his quoddam cōmuni ineat, puta mutatio secundum formam, de hac prius in præsenti disserit. De ordine.

Diuiditur autem hæc doctrina in lib. duos, in priori de generatione, & corruptione, augmentatione, ac alteratione disserit: ac de quibusdam alterationem concernentibus, vt de tactu, de actione, & alijs in posteriori de communibus De diuisione.

nibus cauſis, & principijs generationis, & alterationis aliorū omnium corporum, puta de elementis. Et hæc ſufficiant pro introductione lib. Ad textū accedamus.

CAPVT. I.

De generatione antè, & Corruptione, Text. I.

Intentio Ariſt.

SVam primo intentionem proponit, quę in duobus conſiſtit, alterum eſt, quod inſtituit cauſas, & rationes, generationis & corruptionis rerum, quæ natura conſtant: alterum eſt, quod ſimul de augmentatione, alteratione que dicit, quid vtraque ſit, & de alteratione particulariter, an ſit diſtincta, à generatione re, ſicut eſt diſtincta nomine an non, ſed ſolo nomine diſtinguatur.

Nota cōnexionē horū lib. & coherentiam eum lib. de cœlo.

Aduerte aliquot verba textus, primo illud autem eſt dictio continuans librum hunc, cum verbis vltimis librorum de cœlo.

Nota. 2. quæ excludatur à tractatione de generatione.

Aduerte vlteriùs illud naturā generātur dicit Philop. & S. Th. quod id dicitur ad excludēda ea, quæ arte fiunt, vt cathedra, ſcamnum, & ſimilia, non enim de horum generatione differitur: ſimiliter alia electione fiunt, vt amicitiæ, diſcordiæ, bella, nec de huiuſmodi generatione tractatur, ſed de his, quę natura conſtant.

Nota. 3. quid intelligat Ariſtot.

Aduerte vlterius cauſas, & rationes Aegidius dicit, quod vna dictio eſt explicatiua alterius, ratio enim explicat cauſam. Dicit ſecundo, quod per rationes intelligit cauſas vniuerſales: ita, vt totum hoc cauſas & rationes, ſignificat cauſas vniuerſales. Philop. per rationes videtur intelligere modos, quibus cauſa efficiat, vt ſi detur ſolem eſſe cauſam alicuius, & petatur, quare ſit, id vocatur ratio. Poſſumus etiam dicere forſan melius, quod per rationes generationis, & corruptionis intelligat ipſarū definitiones, ita vt definitiones ipſarum, & cauſæ hic tradantur: cauſa enim extrinſeca principia, definitio intrinſeca ſignificat. Atque ita Ariſt. ſuam proponit intentionem.

per cauſas & rationes.

Dubium an corruptio ſit res naturalis.

Dubitatur, an corruptio ſit res naturalis: videtur enim quòd nō. Primò, quia vt habetur. 2. Phyſi. natura præcipua eſt forma & cætera per formam natura dicuntur, vt habetur. 5. Metaph. at corruptio eſt oppoſita formæ, ergo nō videtur dicenda naturalis.

1. Arg.

Præterea quia naturale eſt intētum à natura, at corruptio, cum priuatio ſit, & non ens, non videtur intenta eſſe à natura, ergo nō eſt naturalis.

2. Arg.

Preterea. 5. Phyſi. text. 17. dicitur aliquas eſſe corruptiones violentas, ergo ſaltem non omnis corruptio eſt naturalis, opponitur enim violentum naturali.

3. Arg.

Ad hoc reſpondet Aegidius, q̄ corruptio tripliciter dici pōt naturalis. Primò, quia à naturali phi

Aegidij ſententia.

loſo-

losopho consideratur, non ni. est scientia speculatira sicut practica: hæc enim vnum per se facit, puta cõstruere at destruere non est per se artis: at speculatiua vtrumq; cõtrarium speculatur, & generationem, & destructionẽ, atq; ex hac parte dicitur corruptio naturalis, quia de ipsa philosophus speculatur. Secundò dicitur naturalis, quia est effectus materiæ, quæ natura dicitur: quę enim corrumpũtur, quia materiam habent, corrũpuntur. Tertiò dicitur naturalis etiam ratione formæ, quia non fit corruptio alicuius, nisi sit aliqua forma, cũ vnius corruptio sit alterius generatio. Dicit tũ Aegidius quod non est corruptio naturalis, quasi intenta à natura, quia accidens intenditur.

Corruptio tripliciter dici potest naturalis.

Solutio auctoris.

Ad hoc dubium respondeo primo, quòd nõ quidquid in physic. consideratur est res naturalis: habemus enim ex Arist. 2. Physi. q differuntista, natura, res naturalis, res secundum naturam: natura enim est ipsum motus principiũ, vt materia, & forma: res verò naturalis est cõpositũ ex materia, & forma constans: res autẽ secundũ naturã est passio, & id quod cõsequitur cõpositã naturalia ratione principiorũ, secundũ hæc igitur constat, corruptionem, nec esse naturam, nec rem naturalem, sed esse ens secundum naturam, cũm consequatur ipsum compositum ratione vnius principij, nempè materiæ.

1. Nota. Nõ quidquid agitur in physica est naturalis.

Dico secundò, quod corruptio est intẽta à natura dupliciter. Primò, ex parte agentis: q enim intẽdit finem, intendit etiã per se media ordinata in finem; at agentia non possunt absque corruptione, formã sibi similem introducere, quam intẽdunt: ergo re vera, etiã corruptionem intendunt. Præterea cum per se agant in contraria intendunt victoriam contrariorum, quę absque corruptione illorum non est. Secũdò etiam est intenta à materia. Nota autẽ quòd potentia materiæ est incontradictione, tanquàm in radice, vt ad hanc formã, & non ad hanc, sicut volũtatis prima differẽtia est velle, & non velle: & hinc etiã est in potẽtia cõtrarietatis ad plures formas: ergo potentia materiæ respicit generationem, quæ habet formam, & corruptionẽ, quæ nõ habet: ergo potest etiam dici intenta à materia, quamuis non tam intenta, quàm generatio. Dico tertio, quod corruptio non est dicenda naturalis ratione formę, vt dicit Aegidius: nam corruptio solã dicit formę priuationẽ: q verò ponat formam aliquã, id non est corruptionis, sed generationis, quæ simul est cum corruptione.

2. Nota. Corruptio est intẽta a natura dupliciter.

3. Nota. Corruptio nõ est dicenda naturalis ratione formæ.

Ad argumẽtum primum dico, quod quãuis corruptio aduersetur vni formę, non tñ alteri aduersatur, puta ei, quæ per talem corruptionem mediam introducitur.

Ad 1. g.

Ad secundum patet responsio ex dictis.

Ad tertium dico, quod corruptio dicitur naturalis, non vt naturale distinguitur contra violentũ, sed contra artificiale, & voluntarium: est enim duplex naturale, vt diximus alibi.

Antiquorum igitur hi quidem vocatã.

Propositur antiquorum sententię circa generationis & alterationis diffinitionem.

Intẽtione proposita incipit circa generationis, & alterationis diffinitionem antiquorum sententias indagare, vt percipiatur differentia specifica generationis, secũdum quam debet definiri: proponit igitur antiquos diuisos in duas partes: quidam enim alterationẽ non distinguebãt à generatione: quidam verò distinguebant, qui autem hi sint, explicat: qui enim vnum principium ponebant, vt qui ponebant aquam, aut ignem, aut quid aliud, hos necessarium erat dicere, generationem esse alterationem, & quod generatur, alterari. at qui ponebant plura, vt Empedocl. & Anaxago. necesse erat, hos alterationem distinguere à generatione. In quo reprehẽditur Anaxag. qui cum posuisset plura principia, dixit, quòd generari & corrumpi idem est, ac alterari, & in hoc propriam vocem, dicitur ignorasse.

Dubium solutio D. Tho.

Dubitatur, quid est vocem propriã ignorare. Respondet D. Thomas, quod is dicitur propriam vocem ignorare, qui suis fundamentis nõ correspondet. Cùm autem Anaxa. posuisset fundamentũ, ex quo posset distinguere generatiõẽ ab alteratione, & non distinxerit, dictus est propriã vocẽ ignorare. Ita etiam exponit Auerroes.

Solutio Philop.

At Philop. aliter videtur dicere, cur dictus est vocem ignorare, quia quã debuit vocare generationem, dixit alterationem, puta congregationem illorum principiorũ separationem nuncupauit: hęc. n. potius generatio dicẽda est, cùm res per eam consistat.

Nota. 1.

Aduerte hic ex Philop. quod simplex generatio vocatur in prę senti ea, quæ est substantiæ: ea. n. qua fit accidẽs, vt ex nõ albo albũ est secundum quid, & etiam ista simplex, posteà dicitur propria, in sequentibus verbis, cùm dicitur propriè fit.

Nota 2.

Aduerte, quod dicit qui vnũ dicunt vniuersum & omnia, ex vno generãt, quod posterius est explicatio prioris. Nã vt dicit Philop. idem est esse vniuersum, & omnia vnum, & quod sint ex vno, puta ex aqua, igne, aut alio quouis, vt isti philosophi dicebant.

Emped. enim corpora quidẽ quatuor.

Aristotelis opinio. Ponẽtia principia.

Cum dixisset, Anaxagorã posuisse multa principia, sicut alios qui generationem distingunt ab alteratione, modo exponit sententias aliorum, inter quos quidã plura, & finita ponebãt principia, vt Empedocl. qui quatuor materialia posuit, puta elemẽta, & duo efficientia, & ita erant sex: quidam infinita ponebant, vt Anaxago. & Leucippus, ac Democr. Erat tamen inter hos discrimen, nam Anaxag. posuit infinitas par-

tes indiuisibiles similares cuiuslibet rei, vt ossis, & carnis, & aliorũ & hæc dicebat esse principia rerum. At Democr. addebat nõ solũ has multitudine infinitas, sed formis, & figuris distinctas: erant enim quædam triangulares, aliæ orbiculares, aliæ cuiusuis alterius figuræ.

Quomodo inter se differrent secũdum Democr.

Atque ipsa composita dicebat, tripliciter differre inter se: Prima differentia erat ex his atomis, puta cũm hoc ex triangularibus, illud ex orbicularibus componebatur. Secunda differentia nõ ex his, sed ex horum positione sumebatur, nam cùm ordo mutabatur, vt posteriora priora fierent, vel ècontra, tunc mutabatur res, vt accidit in dictionibus, literis cõuersis, vt si dicas, mus, conuersa fit, sum. Tertia differentia penes positionem, & situ: hic.n. inducebat etiam variationẽ, vt accidit in literis his, Z. si conuertatur & mutetur situs fit N. & sic ponebat variationem ipsorum cõpositorũ: & vt inferius dicetur, priorem mutationem vocabat generationem, reliquas duas alterationem, quia seruabatur res, ea non variatis atomis. Ita dicebat Democr. & differebat ab Anaxag.

Nota. Nota literam, vbi dicitur (ipsa autem à se ipsis) significat ipsa cõposita interse differebãt, his, idest aut per diuersas atomos, aut ordine, & positione ipsarum, in quibus denominantur tres dictæ differentiæ, vt exponit Philop.

Contraria autem videntur dicere.

Differentia inter Anaxa. et Empe.

Differẽtiã constituit inter Anaxag. & Empedo. circa elementa quatuor, nam Empedo. principia ponebat, ex quibus & caro, os, & reliqua componebantur, ipsa verõ non ex alijs. At Anaxag, elementa putabat composita ex illis particulis, imò maximè compositis, cum videret ex elementis confici ferè omnia, ob id in elemẽtis maximè latere has particulas: vnde elementa vocabat omni seminaria omnium aliorum, quasi continentia materias aliorum.

Iis igitur, qui ex vno omnia cõstituũt.

Qui vnũ tantũ ponũt nõ possunt distinguere inter generationem, & alterationem.

Dixerat superius: qui vnũ principiũ ponũt nõ posse distinguere generationem ab alteratione, sicut illi, qui plura ponũt, & explicuit opiniones eorũ, qui plura ponunt: modo explicat, quomodo qui vnum ponunt principium nõ possint distinguere: qui verò plura possint, explicat primo de his, qui vnum ponunt. Isti enim cùm ponant vnũ principium, semper tale principium manere idem in mutatione debẽt fateri, aliter nõ esset principiũ. Cũm igitur vnũ, & idem principium in mutatione manet, illa mutatio nõ generatio, sed alteratio est: hoc enim est esse alterationem, quod vnũ prorsus maneat subiectum.

Dubium Solutio.

Obijcies, nõne, posset esse augmentatio? Respõ. non, nã ibi iam videtur acquiri substantia ab extrinseco: nõ ergo distingunt generationem isti ab altetatione.

Qui plura principia ponunt, non possunt distinguere inter generationē, & alterationem.

Illi verō, qui plura ponūt, distinguunt, nam cōgregationem, & disgregationem illorum principiorum possunt generationem & corruptionē dicere, & confertur ex Emped, qui naturam rerū in illa mixtione, & compositione consistere dicebat, vt ipsius verba indicant: vnde concludit, quod ita loqui est proprius sermo positione horum, id est, secundum ipsorum dicta hāc oportet vocare generationem & corruptionem, & etiam quia ipsi ita dicūt, vt diximus ex Empedocle: quam autē alterationem vocauerint, superius explicuimus.

Dubium ex Philo.

Dnbitat Philop. nā videtur, quod nec secundum Arist. oporteat ponere vnam aliā mutationē esse alterationem à generatione: nā etiā ipse ponit vnum subiectum, puta materiam primam, quæ eadē manet in mutatione: ergo pariter dicetur alteratio, generatio.

Solutio.

Respon. & benè, q̄ aliter illi ponebāt vnū principiū, aliter Arist. Illi.n. ponebāt vnū ens, actu determinatū, puta, ignē, aquā, aut quid simile. At Arist. vnū ens potētia, & indeterminatū: alteratio autē nō est, cū vnicū manet subiectū in mutatione, sed cū illud subiectū est ens actu completo, & determinato: constat autem, quod non sic posuit Arist. principium, & subiectum vnum, in ipsa generatione.

Non possunt distinguere

Necesse autem est & his dicere.

Cùm eos, qui plura ponunt principia generationē ab alteratione debere distinguere docuisset. Nūc cōtra ipsos cōuertitur dicēs, quod impossibile est secūdū eorū sententiam, verā generationem aut alterationem constituere, & hoc ostendere, dicit, esse facile.

Illorum generationem, ab alteratione.

Ad probationē sumit hoc; quod in alteratione debet subiectum esse vnum, quod contrariorum sit susceptiuū, & modo hoc, modo illud recipiat: at hoc nō potest poni iuxta dicta horū: ergo vera alteratio nō est apud hos. Maiorē ostēdit exēplo augmētationis, in qua manet eadē substātia, puta animal & modo maius, modo fit minus.

In alteratione, debet subiectum esse vnū.

Minorē probat ex Empedocle: hic enim ponebat qualitates differentias elemētorū, faciebat enim ignem album, calidum, & reliqua alijs subiecta qualitatibus inseparabilibus, & dicebar, quod elemēta non mutātur inuicem inter se. Si ergo fieri nō potest, vt ex igne fiat aqua, nec ex vno aliud, nec fieri poterit, quòd vnum acquirat alterius qualitatem: & ita non erit vnum subiectum alterationis: sed quodque cum suis manebit qualitatibus. Hoc idem dici poterit de alijs, vt dicit Philop. qui figura, & accidentia semper inseparabilia ab athomis ponebant: vnde nunquam apud eos vnū dabatur subiectum contrariorum.

An & manifestum quod semper vnā.

In mutatione oportet subiectum esse vnum.

Cūm dixisset, vnum subiectum esse in alteratione: hoc principiū vniuersaliùs ponit, dicens simpliciter

citer in omni mutatione quæ fit ex contrarijs esse supponendum vnum subiectum, vt si mutatur ex loco in locum, debet esse vnũ subiectũ, similiter si augetur & diminuitur, similiter si alteratur, & denique omnium inuicem transmutabilium vna debet esse materia, quod si talis sit, tunc alteratio potest esse.

Nota. Nota quod dicit: omnium inuicem mutabilium vnam esse materiã, quia vt aduertit Philop. hinc non necessario colligitur cœlum habere materiam eiusdem rationis cum his inferioribus, cùm sit intransmutabile.

Empedocles igitur ipse videtur
Tex. 2.

Prior vt prehensio Empedo. Reprædendit Empedoclem dupliciter. Primò, quia sibi, & rebus notis, & apparentibus cõtradicit: rebus quidem apparentibus, quia aufert alterationem manifestam, vt dicit Philop. sibi ipsi verò, quia dicit duo repugnãtia: alterum est, quod nullum elementum fit ex altero, nõ enim ignis, fit ex aqua, nec ex aqua fit ignis, sed ex elementis omnia alia fiunt. Alterum dicit quòd cùm ex elementis fit chaos, omnia illa fiunt vnũ quid, & confunduntur ita vt sit vna natura, præter litem, & amicitiam, quæ causę efficientes sunt, & iterum ex chao fiunt omnia ista, & distinguntur per passiones varias, ex vno tamen principio, vt illud fit ignis ratione aliarum passionum, id aqua ratione aliarum, & sic reliqua duo. Ex his duobus colligitur contradictio: si enim istę qualitates elementorum sunt genitę ex chao, & factæ ergo sunt auferibiles: & sic possunt inuicẽ elementa mutari, cum istæ qualitates auferũtur modo, sicut in principio in ipso chao.

Sunt enim ex quibus dicit Empedocles.

Quia posset quis dicere, quòd non valet consequentia: si possunt elementa destrui ad chaos, quod etiam modo inter se possunt: hoc probat, quia illæ qualitates, quæ elementa discernunt sunt amissibiles ex se, & præterea est modo lis, & pugna inter ista, vt apparet.

Quod si dicas, non corrumpuntur, cum fit chaos: ad hoc dicit quod destruuntur, & vnum fiunt: cùm enim adhuc sunt sub illis formis, nondum vnum chaos fit. Aliter exponit hoc Philop. At ista est Latinorum expositio, & bona.

Incertum autem & vtrum.
Tex. 3.

Alterum in quo errauit Empedocl. ponit. Nam nec potest dici vnum esse principium, nec plura, certo & determinate: nam quatenus ex chao fiunt ipsa elementa per productionem, videntur vnũ esse principium, puta chaos: at quatenus ex ipsis elementis coeuntibus fit chaos, nec solum per aggregationem, sed per mutationem, quia ex eis vna fit natura: videtur quod plura sint principia, *Altera reprehensio Emp.*

& ista sint priora natura. At ipse nihil dixit certum de hoc: ob id reprehensione non caret.

QVESTIO. I.

An si generatio non esset possibilis, alteratio posset esse, & de aliis circa textum difficultatibus.

HAec difficultas mouetur ob ea, quę Arist. dixit tex. 1. cõtra Empedoclem, puta, si ignis non posset ex aqua fieri, nec vnum elementum ex altero, non esset possibile aliquid alterari, ob id quæstio ista ꝓponitur ab alijs, quam etiam nos elucidabimus.

1. Arg. Est primum argumentum. Prius non dependet à posteriori: substãtia est prior accidenti, nõ ergo dependet ab eo: potest ergo manere substantia accidenti destructo: & sic potest alteratio esse, quę est ad accidens, sine generatione & corruptione substantiæ.

2. Secundo eorum, quæ non inter se essentialiter ordinantur, nõ est necesse, quod vnum non sit, si alterum non est possibile: at alteratio, & generatio non ordinantur essentialiter, cum sit alteratio, puta dealbatio, absque generatione: ergo quanuis esse non posset generatio, adhuc alteratio, & generatio non ordinantur essentialiter, cum sit alteratio, puta dealbatio, absque generatione: ergo quãuis esse non posset generatio, adhuc alteratio esset possibilis.

3. Tertio, qui aliquid est alterabile, quod non est generabile: puta, cœlum, & astra, quæ lumen à sole recipiunt, & id concedit Alexan. 1. Metheororum com. 17. ergo potest esse alteratio licet non esset possibilis generatio. Hæc sunt argumẽta circa titulum quęstionis.

4. At vt simul aliæ difficultates textus explicentur est argumentum quãtum aduersus id, quod de Democrito dicitur, ꝙ posuerit corpora indiuisibilia: videtur, quod nullus potuerit tale dicere, quia corpus omne diuisibile est, ac perin de est dicere corpus indiuisibile, sicut animal insensibile.

5. Quintum argumentum est contra id, quod ex Anaxagora affertur, quod pusuerit, partes similares esse principia, & ex alia parte elementa non esse principia, videtur hoc implicatio, quia elementa sunt maximè similaria, & homogenea: non ergo possunt habere principium.

6. Sextum est contra id, quod dicitur: qui plura principia ponũt salnare generationem videtur hoc non posse fieri, quia isti non ponunt vnum subiectum, quod maneat sub vtroque extremo mutationis, at hoc in generatione, sicut in alteratione, & quãuis alia mutatione est necessariũ: ergo secundum opinionem horum, non potest generatio consistere.

7. Septimũ est, dicitur enim, quod quæ inuicem mutantur habent vnam materiam: videtur hoc falsum, elementa secundum Aristo. sunt inuicem mutabilia, at nõ habent

bent vnam materiam, ergo illud principium est, falsum probatur antecedens ex hoc.4. cœli, text. 37. dicitur ibi tot esse materias, quot sunt elementa.

8 Octauum est, nam tex. 2. Arist. argumentatur contra Empedoclẽ, quod si elementa possunt mutari in chaos, possunt mutari etiam modo, quia qualitates amissibiles sunt: argumentum hoc non videtur bonum, nam secundum Aristot. aquæ qualitates sunt amissibiles, tamen elementum aquæ nullatenus potest destrui. Hęc sunt argumenta quę circa textum Arist. maiorem videtur habere difficultatem.

1. sc. alb. Aegidij &c. Circa quæstionem igitur est sententia Aegidij in presenti: & Marsilij. q. 4. & Alberti Sax. q. 3. quod illa propositio simpliciter est vera: si generatio est impossibilis, etiam alteratio impossibilis est, dummodo de alteratione vera, & reali intelligatur, puta quæ fit inter contraria.

1. ratio Aegid. ex parte formæ. Probat Aegidius tripliciter hoc. Primo ex parte formæ, sic; Quę uis forma habet suas certas dispositiones, & qualitates, quibus remotis ipsa remouetur: at alteratio remouet dispositionẽ formæ, ergo tẽdit in ipsius corruptionẽ, & sic in generationẽ alterius, quã uis aliquando impediatur, puta, cum non continuatur alteratio.

2. ex parte materiæ. Secũdo ex parte materię sic; omnis materia habet certam dispositionem secundum quam recipit formam, & sustentat eam: sed alteratio inducit nouam dispositionẽ in materiam, quia nunquam expellitur vnum, nisi introducatur oppositum: ergo alteratio de se inclinat materiam ad aliam formã: ergo si non posset esse generatio, nec similiter esset alteratio.

Tertio ex parte ipsius motus, nam generatio est finis alterationis: sed si non est finis possibilis nec erit mediũ: ergo si non esset generatio, non esset possibilis alteratio. 3. ex parte motus

Hoc argumentũ videtur petere principiũ, nã debet probari, quod omnis alteratio habeat pro fini ipsam generationẽ, tũc enim melius cõcluderet. Præterea nõ videtur adhuc probare multũ, quia generatio nõ est terminus intrinsecus, & specificus alterationis, sed est coniuncta cum fine specifico. Solvitur ar. Aeg.

Hoc tamen est certum, & notandum, quod non fit vlla generatio substantiæ naturaliter, nisi alteratio præcedat: & sic Aristotel. 8. Phys. tex. 1. impossibile, inquit, est generationẽ esse, nisi motu, id est, alteratione saltẽ præcedẽte: & merito id fit, nã non fit generatio, nisi fit dispositio aliqua in materia, quæ sine alteratione non fit. Preterea, quia non fit generatio sine actione aliqua inter contraria, quia semper in materia præcedit opposita forma: præuia igitur est alteratio generationi. 1. fundam. Nõ est generatio naturalis nisi præuia alteratione.

Has rationes Aegidij debes intelligere, vigosẽ habere suppositaphi- Not. quãuis, habeant rõnes Aegidij.

philosophia Arist. nam cõtra Antiquos non concludunt.

2. *fund.* At pro resolutione horum, dico aliqua: oportet tamen primo supponere, esse duplicem alterationem: alteram, quæ non fit inter contraria, vt illuminatio, receptio specierum in intellectu, & sensu: huiusmodi enim qualitates, puta lumen, species, & similes non habent propriè cõtrarium: alteram, quæ fit secundum qualitates habentes contrarium: & hæc est duplex: aut enim qualitates sunt cõtrariæ immediate quæ se ipsis agunt, & patiũtur, vt sunt illæ quatuor primæ, puta, calor, frigiditas, siccitas, & humiditas, & secundũ has fit alteratio prima: aut qualitates non sunt immediatè contrariæ, nec in se agunt, secundum se: huiusmodi sunt, colores sapores, odores, quæ nõ agunt inter se, nisi ratione primarum qualitatum: & secũdum has dicitur alteratio secunda.

Duplex est alteratio. altera inter cõtraria altera nõ &c.

1. *cõcl.* Dico primo, quod potest aliquid esse alterabile alteratione, quæ fit sine contrario, & simul est se ingenerabile, & incorruptibile: & de hoc patet de cœlo, & astris, nec de hoc est contrauersia.

2. Dico secundo, quod alteratione secunda potest aliquid ita alterari, vt per se nõ sequatur corruptio rei, idest, potest de albari, nec de albatio tendit in rei corruptionem per se vnde completur de albatio, nec res corrũpitur nec alia generatur.

3. Dico tertio, quod alteratio prima per se tendit in corruptionem vnius, & in alterius generationẽ, nisi impediatur, quòd est dicere, calefactio si ad suum perfectum terminum peruenire sinatur, rem corrumpit & aliam generat: & ratio discriminis harum qualitatum & secundarum est, quia qualitates primæ sunt dispositiones antecedentes formam introducendam, secundæ vero non, sed consequentes. vnde albedo, sapor, odor, licet intendantur, per se non inducunt aliam formam: calor vero, & similes inducunt. Preterea, quia intensio primarum qualitatum non cõpatitur quancunque formam reliquarum vẽro sic.

4. Dico quartò quod quatenus reliquæ qualitates secundæ non constant sine primis, hac ex parte inducunt corruptionem, sed non per se: vnde colligitur, quod quicquid est alterabile secundum alterationem tam primam, quam secundam, est corruptibile, vnde si non esset possibilis generatio, nec esset corruptio, ac consequenter, nec talis alteratio possibilis: & sic patet difficultatis determinatio.

Nota explicationem text. Arist.

{Aduerte tamen, quod si tu consideres verba Atistot. & contextum, non indigebamus quastione, quam mouent Modemi: nam Aristot. procedit contra Empedoclẽ ex suppositis ab ipso: dicebat enim duo. Primo quod qualitates sunt inseparabiles differentiæ ele

mẽ-

mentorum, vt calor est solius ignis, frigiditas solius aquæ.

Dicebat secundò, quod ex aqua non potest fieri ignis. Ex his procedit Arist. si non est calor, nisi in igne, ergo non poterit aqua fieri calida, nisi conuertatur in ignem, sed non est secundum Empedoclem talis mutatio: ergo nihil fiet ex frigido calidum, & sic non est alteratio. Idem dicendum est de alijs qualitatibus.

Ad. 1. Respondeamus ergo ad argumẽta. Ad primum dico, quod quauis substantia secundum essentiã, & naturam suam non dependeat ab accidenti, tamen quantum ad existentiam dependet, quia formæ physicè non existunt in materia, nisi certis accidentibus disposita, ob id mutatio accidentiũ potest inducere substantiæ mutationem.

Ad. 2. 1. solutio A secundum dico primo, quod generatio est ordinata essentialiter, cũ alteratione: diximus enim, non posse naturaliter dari generationem, absque præcedente alteratione: non tamen econtra, alteratio quæuis est ordinata cum generatione defacto, cũ sit alteratio, licet non sequatur generatio.

2. solutio Dico secundò, quod de possibili loquendo alteratio secundum contraria ordinatur essentialiter cum generatione ita, vt si vna non esset possibilis, nec altera, quia hęc est natura alterationis secũdũ cõtraria generationẽ, & corruptionẽ, ex se inducere, vt explicuim⁹.

Ad. 3. Ad tertium patet solutio ex dictis, non enim est sermo de illa alteratione, quæ non fit secundum contraria propriè.

Ad. 4. Ad quartum respondeo, quod dupliciter aliquid est indiuisibile, vno modo, quia nullam habet extensionem, sicut pũctum, quod dicitur indiuisibile mathematicè: altero modo, quia habet quidem extensionem, tamen sub minori non potest cõsistere, quod dicitur indiuisibile physicè, & nimium naturale, de quo locuti sumus. 1. Physic. hoc autem indiuisibile non repugnat esse corpus, & huiusmodi erant corpora indiuisibilia, quæ ponebat Democr.

Nota circa sentẽtiam Democr. Aduerte autem, quod de his indiuisibilibus quatuor dicebat Democr. Primò esse corpora, quia cùm ex ipsis continuum componatur, & corpus, nisi ipsa essẽt corpora, corpus conficeretur ex non corpore, quòd absurdum, & impossibile putabat. Secundò dicebat esse indiuisibilia, ne si diuisibilia essent, componerentur ex alijs: & sic non essent ipsi principia. Tertiò dicebat esse diuersarum figurarum, vt posset ex eis rerum varietas prouenire. Quartò esse infinita vt innumeræ rerum differentiæ consisterent.

Ad. 5. Nota duplicẽ homogeneorum differentiã secundũ Anaxag. Ad. 5. notat Aegid. quòd Anaxag. posuit homogeneã in duplici differentia, quædam apparẽtia tantũ, qualia illa, quę per se stant, vt lignum, caro, neruus & reliqua: quædam verò quæ non per se

se sunt, quales sunt athomi, ex quibus quęque res constat: modo elementa existimabat esse homogenea, apparentia tamen, non vera, cùm composita sint: vera autem similaria erant principia, & sic ponebat ignem vere homogeneum, puta illas athomos ignis, & igne apparentem, & hic erat elementum, & sic de alijs.

Ad.6. Ad sextum aduerte, quòd non dicit Arist. quod poterant hi, qui plura principia ponunt, veram generationem ponere; imò nec generationem, nec alterationem vllam propriam esse, secundum ipsorum sententiam probauit, sed dicit, quod poterant ponere modos aliquos distinctos generationis, & alterationis, sed illa generatio per congregationem non est vera naturalis, potius est artificialis: res enim artificiales ex pluribus actu existentibus compositæ sunt: & sic isti de rebus naturalibus dicebant: at non ita est, vt dicetur inferius.

Ad.7. Ad septimum, facilis est solutio: est enim dupliciter materiam considerare. Primò secundum se, ac nudam in substantia sua, & sic vna est omnium generabilium, vt dicitur in præsenti, & alibi disputabitur: secundò potest considerari cum dispositionibus ad formam, & sic dicitur multiplex, eò quod variæ sint dispositiones, pro varijs formis: & sic loquitur Aristotel. 4. de cœlo, nulla est ergo contradictio.

Ad octauum dico, quòd non cõcludat contra Empedoc. quod totum elementum destruatur, sed quod secũdum partes saltem: hoc enim modo dicit Aristotel. quod elementa se mutuo corrumpunt secundum partes, nunquam secundum se tota. Hæc de quæstione. *Ad.8.*

CAPVT. II.

Omnino itaque de generatione.

Tex. 4.

Entẽtijs philosophorũ distinctis, & enarratis, iterum intentionem suam repetit, nẽpe se dicturum de generatione, in sit, & quomodo fiat, id est quibus ex causis sit: & similiter de alijs motibus, de augmentatione, & de alteratione, quas vocat simplices motus, vt distinguat à generatione, hæc enim non est simpliciter motus, sed secundum quid ratione materiæ, quæ ipsius est subiectum, vt diximus libro. 5. Physico. *Intentio Arist. de quibus, ideſt rebus ſit a Eſſus.*

Plato igitur solum de generatione.

Tex. 5.

Antiquos reprehendit, qui parum de his tradiderunt, & primo Platone qui quàuis laudem inter alios meruerit, quòd solus de generatione sit locutus, tamen in tribus defecit. Primò, quia de generatione tantum quid sit, disputauit: sed an sit, nihil probauit. Secũdò, quia nõ de omni generatione, sed solum de ea, quæ est elementorum *Reprobatio antiquorũ in tractu de generatione ex Plato.*

torum locutus est: de generatione autē mixtorum, quæ diuersa est, non curauit. Tertiò, quia de alteratione, & augmentatione nihil dixit, ob id insufficiens fuit in doctrina præsenti.

Reprehēsio tertia, aliorum antiquorum.

Etiam antiqui alij sunt arguendi. Primò, quia superficialiter omnes locuti sunt, nec causas attigerunt, præter Democrit. hic enim de omnibus curauit, id est, tractauit de omnibus, & attigit horum omnium difficultates, & adhibuit responsiones, quamuis in modo respondendi differat à nobis, nec veritatem habeat: satis tamē quod sit omnium meminit, tamen adhuc cum alijs deficit, & quia nihil dixerunt de augmentatione, nisi quod quilibet, quamuis rudis diceret: puta q̄ augentur res per sibi similia, at quo pacto nihil amplius dicunt. Præterea etiam de mixtione nihil dixerunt: similiter nec de actione & passione naturali: fuerunt igitur diminuti, videtur textui conformius, quod in his non arguatur. Democrit. quia dictus est curasse de omnibus, sed alij philosophi omnes.

Democritus autem & Leucippus.

Q̄ Democr. explicauit mutationis generationē &c.

Quia Democr. de omnibus curasse dict⁹ est quo pacto id fit, explicat istę enim cùm Leucip. per illas athomos explicabat mutationes: nam per congregationem illarum generatio, per disgregationem corruptio fiebat: ordinis autem, & positionis variatione erat alteratio, vt superiùs explicuimus. Vlteriùs, vt melius exponeret causam effectum naturalium, quia ipse putabat omne quod apparet, ita esse, sicut apparet, & infinita existimabat apparere: ob id athomos posuit infinitas figuras differentes, vt vnamet res posset varijs apparere varia, collum columbæ modo vnius, modò alterius colore apparet secundum situum diuersitatem, quod ita esse putabat Democrit. & hoc diuersę figuræ athomorum tribuebat.

Et hinc etiā proueniebat, quòd per substantiam vel additionem quamuis minimam factam rei, fiebat in re diuersitas: similiter per transpositionem, vel ordinis mutationem, sicut ex eisdem literis conficitur comœdia, & tragedia: tamen quia varia est dispositio, & illæ diuersæ sunt inter se.

Hic erat difficultas, an omne, quod appareat, sit: sed aliena est admodum, difficultas à proposito: sat sit modò intelligere, quod omnibus in confesso est, non omne, quod apparet, verum esse. *Nota.*

Quoniam autē videtur ferè omnibus. Tex. 6.

De Democriti opinione.

Reiecta opinione singulari non distinguentium generationem ab alteratione in posterum, nūc contra communem opinionem conuertit se: erat enim opinio communis Democrit. puta per congregationem fieri, generationem, atque

atque per ordinis, & propositionis variationem ipsam alterationem, est igitur hoc examinandum, an generatio fit per cõgregationem.

Difficultatem huius proponit, dicitque esse multas rationes pro vtraque parte facientes rem dubiam: si enim dicatur, generationem esse cõgregationem multa sequũtur impossibilia: si verò negetur id sunt rationes fortes, & quæ facilè soluuntur, quibus probatur, quod si generatio non est congregatio, aut non est, aut est alteratio: ob id hoc soluere tentandum est, & veritatem generationis aperire.

Principium autẽ horum omnium est.

Tex. 7.

3. qõ. an magnitudines sint indiuisibiles.

Ad difficultatis propositę solutionem, duas quæstiones proponit determinandas: prior est an sint magnitudines indiuisibiles, ex quibus fiunt generationes, alterationes, & augmentationes, & harum oppositа, puta corruptiones, & diminutiones, an non, sed nulla sit talis magnitudo indiuisibilis: plurimum autem refert hoc ad difficultatem propositam: nam si probatur, non esse has, tũc opinio horũ corruit, quod per cõgregationem fiat generatio.

2. qõ. an hæc indiuisibilia sunt, vt corpora an superficies, vt dicebat Pl.

Posterior quæstio est, an dato, quod sint tales magnitudines indiuisibiles: sint sicut ponit Democr. corpora: an sicut ponit Plato, superficies: ponebat enim Plato corpora ex superficiebus indiuisibilibus componi.

Hoc igitur ipsum, vt & in aliis.

Cõparatio opinionis Democr. & Pla. quod sit Democr. ratio nabilior

Comparat opinionem Platonis, & Democr. vt secundam quæstionem absoluat, dicitque opinionẽ Platonis esse irrationabilem, vt dictum est, & probatum. 3. de cœlo: est autem opinio Democriti probabilior: nam rationabilius est, corpora esse ex corporibus composita, quam ex superficiebus: non tamen ob id opinio Democriti est vera: nam etiam ipsa irrationabilis est, tamen minus, quàm Platonis opinio, & causa huius est, quia Democrit. reddit aliquam rationem per illa corpora generationis, & alterationis, eomodo, qui dictus est, puta per cõgregationem, aut transpositionem athomorum diuersarum figurarum: & sic Democritus dicebat colores, & reliquas omnes qualitates non esset aliud, quam athomorum, varias dispositiones, quibus mutatis, istæ qualitates diuersæ apparent. At Plato non poterat per superficies horum reddere rationem, quia ex superficiebus non fit nisi solidum mathematicum, non autem passio, aut affectio vlla Physica, quemadmodum fit ex corporibus, quæ ponit Democr.

Causa autem quare minus possunt.

Cur Plato peius fuerit opinatus quã Democ.

Posses dubitare, quare Democr. talem protulit sententiã, qua posset responderi aliquo modo ad omnes has difficultates: non autem Plato, cùm fuerit sapientissimus. Respond. ad hoc Arist. quia

Demo

Democritus fuit magis expertus in his effectibus naturalibus: qui autem sunt magis experti cognoscũt plures affectus, & sic possunt proferre sententiam, qua omnibus satisfiat. At qui solum rationibus vniuersalibus contenti, non considerãt existentia, idest, singularia, vno, aut altero oblato, facilè proferunt sententiam, huiusmodi autem fuit Plato: erat enim magis in rebus abstractis occupatus. In hoc mouemur, vt in Physicis rebꝰ, quod fieri possit, sensum cõsulamus, & rationem cum eo conjungamus.

Videbit autem quis, & ex his.

Tex. 8.

Nequis diceret, vnde comperitur Democr. esse magis expertũ Platone: dicit, quod huius probatio non est longè petenda, sed ex singulorum rationibus, quas pro suo opinione quisque adducit, haberi potest: Platonis enim ratio ista erat, si non esset magnitudo indiuisibilis, sed qualibet esset diuisibilis sequeretur, quòd triangulus esset diuisibilis, quod est falsum, est enim prima omnium figura, quæ non ex alijs constat, nec in alias diuiditur: sed ista ratio, quid omninò facit ad res Physicas, quę in materia sensibili sunt: est enim aliena, cùm sit mathematica. At Democritus ex proprijs procedebat, & Physica ratione suam opinionem probabat, vt patebit.

Migis fuit inre bus phy. expertus Democr. qua Plato.

Ratio qua plato putabat magnitudine aliquam esse indiuisibilẽ.

Inutile mihi prorsus videtur Platonis sententiam explicare in præsenti: tum quia ad libros de cœlo hoc pertinet: tum quia cum metaphorice sæpè loquatur, more Pythagoreorum, alium habet forsan sensum quàm Arist. explicat: sed parum hoc refert.

Habet autem dubitationem, si quis ponat corpus.

Rationem Democr. ponit qua esse corpora indiuisibilia, probat ex quibus cõponitur corpus Physicum: breuiter autem ratio, quæ ex textu deducitur, hæc erat: sumebat enim vnum ex sentẽtia aduersariorum, qui enim dicunt, nõ esse magnitudinẽ indiuisibilem, dicunt corpus esse diuisibile semper potentia omni ex parte ita, vt non sit ad vllam particulam ita minimam deuenire, quin illa sit potentia diuisibilis. Ex hoc sumebat vnum, quod si continuum omni ex parte potest diuidi, ponatur inesse ista diuisio: nam possibili posito inesse nullum debet sequi impossibile: suppositа igitur hac diuisione constituebat argumentum tale: id, quod facta diuisione supersit, vel est nihil, vel punctum indiuisibile, vel magnitudo diuisibilis, vel magnitudo indiuisibilis: tria prima esse non possunt, erit ergo quartum & ita habetur intentum, quod non esset nihil: probabat, quia totũ esset nihil, ex nihilo enim fit nihil: quod non esset punctum probabat, quia pũctum puncto additum non facit maius: quòd non esset magnitudo diuisibilis, etiã probabat, quia

Ratio De mo. qua ponebat corpora indiuisibilia.

tunc non ẽsset completa diuisio, vt supponebatur: supereſt ergo quod ſit magnitudo indiuiſibilis. Hoc eſt argumentũ Democ. Sed literã particularius exponamus.

Explicat ratio Democr. Proponit igitur Democ. fundamentum dicens, quod ſi quis docebat, corpus vndiquaq; diuiſibile eſſe, & hoc eſſe poſsibile, videtur profecto, quòd debeat etiam cõcedere, quod poſsit eſſe in actu totum diuiſum, quamuis non ſimul ſi facta diuiſio, ſed paulatim fiat, & quamuis per medias partes fiat: nam repetendo diuiſiones, tãdem ad actũ reducitur totum, id quod erat potẽtia diuiſibile: quod ſi nullus vnquam diuidet, ſat eſt, quod id ſit poſsibile: & ex tali poſitione nõ ſequatur impoſsibile ſicut nullus diuidet granum in decem mille partes, tñ id diuiſum eſſe, nõ eſt impoſsibile: detur ergo vel intellecta, vel re, q̃ ſi corpus omni ex parte diuiſũ, ſicut erat in potẽtia: tũc eſt argumẽtũ Democ.

Fundamentum.

Quoniã ergo vndiquaq; eſt tale corpus

Explicatio rationis. Diuiſione admiſſa, id, quòd ſupereſt, non erit magnitudo diuiſibilis, quia tunc non eſſe facta diuiſio integra, cũm illa ſemper eſſet dividenda, nec ſimiliter erit illud nihil, quia tunc totum ex nihilo fieret, & ex nihilo eſſet compoſitum: & ſic ipſum nihil eſſet vere: niſi ſolum ſecundum apparentiam, quod eſt impoſsibile: nec ſimiliter erunt puncta, quæ ex diuiſione reſultant, quod probat, quia puncta, cùm ſint non quanta, cũm copulantur, & in vnã magnitudinem rediguntur, non faciẽt maius, aut minus, ſicut & in diuiſione, vno, aut pluribus ablatis, nõ minuitur quantum: ſi ergo in diuiſione non faciunt minus, nec profecto in compoſitione facient quãtum.

Sed & ſiquid veluti raſura.

Excluditur à Democr. ſolutiones quædam poterant Excludit Democr. aliqua, quæ poterant reſponderi. Primò, dici poterat, quòd ex diuiſione nihil ſupereſt, quia totum abijt in raſuras, ideſt, in eas particulas, quæ ex ſectione corporum reſtant. Contra hoc replicabat, quia cùm illud ſit corpus, adhuc erit diuiſibile, & ſic non abſoluitur difficultas.

Excludit etiam *aliud*, quod dici poterat, puta, quòd pũcta componunt corpus, ratione alicuius qualitatis, quam habent, & hęc in diuiſione amittitur, & recedit, & ſola manẽt puncta, itaque magnitudo non eſt aliud, quam puncta ſic affecta ideſt, talẽ habentia qualitatem: tunc replicabat, quia ex non magnitudinibus componeretur magnitudo, puncta enim ſic affecta adhuc quanta non ſunt.

Et nota, q̃ in his textibus, pũcta multa ſortiuntur nomina, dicũtur n. pũcta, diuiſione, tactus, ſigna, & indiuiſibilia, quæ omnia idẽ, quãuis varijs rationibus ſignificant. *Nota*

Amplius autem vbi erunt.

Quia illa pars argumenti, quòd ex punctis ſit compoſitio corporis, erat multorum opinio, inſiſtebat contra eam agere Democr. ac

tri

Variale tio. tripliciter contra ipsam argumentabatur. Primum argumentum cõtinetur in his verbis, quæ dupliciter possunt legi, vt notat Philopo. Primo, interrogatiue, & tũc argumentum est tale: quem locum occupabunt ipsa puncta? non enim erunt sursum, cùm non sint ignis, nec deorsum, cùm non sint aqua, nec alibi, cùm non sint corpus naturale. Præterea non erunt mobilia, quia nõ habẽt, quo moueãtur, nec immobilia, quia tunc non conuenirent ad cõpositionem corporis, nõ est ergo possibile, quod ex his componatur corpus.

1. Ratio Democ. ad probãdũ expũctis non componi corpora.

Possunt legi etiam eadem verba assertiuè, & tunc est sensus, pũcta diuisa occupabũt locum: nam aliter esset vacuus locus totius diuisi, sed cum incorporea sunt, nõ possunt occupare locum: ergo nõ componitur ex his corpus.

Alterum argumentum. Cùm tactio est, est ibi vnus tactus, & duo, quæ se tangunt, quasi non sit idem tactus, & punctũ, ac ea, quæ se tangunt, ergo præter puncta aliud est in corpore. Existimo, sensum argumenti esse hunc, inconti nuo est vnum commune punctũ, ratione cuius duo se tangunt & continuantur: ergo aliud est punctũ ad his, quæ se tãgũt: & sic præter pũcta aliud est incõtinuo, ex quo cõponitur: si.n. omnia essent pũcta, quomodo possent vnũ cõmune sumi vtrique continuato?

2. Ratio

Amplius si cum diuisero.

Tertiùm faciebat argumentũ. Cũ diuiditur aliquid in partẽs, ex partibus rursus cõiũctis fit æquale at ex pũctis id nõ fit, ergo non est diuisio in pũcta: minorem probat, quia si à cõtinuo quodcũque pũctũ auferatur, non minuitur, cũ fit non quãtũ: ergo nec postea auget, nec facit æquale, quia æqua est ratio diuisionis, & compositionis.

3. Ratio

Omniquaq; igitur diuisũ est potentia.

Remisit argumentum principale: si ergo corpus omniquaq; diuisibile, diuisum sit, quid erit reliquum? si enim est aliqua qualitas, vt dictũ est, quo ex qualitate componitur corpus, aut quomodo pũcta, & qualitas ista separantur? vt diximus prius: cætera prætermittit, & cõcludit, quod corpus cõponatur ex corporibꝰ indiuisibilibꝰ. Hæc est ratio Democ. quę quãuis sit magis naturalis, quã ratio Platonis. Addit tamẽ Arist. quod ad huc est ista sententia impossibilis vt probatur. 3. de cælo.

Repetitio argumenti principalis cõtra dãtis corpora cõponi ex corporibus indiuisibilibus.

Sed hæc soluere tentandum est.

Tex. 9.

Solutionẽ argumẽti adhibere intẽtat, in cuius declarationẽ aduerte, quod ista ꝓpositio, cõtinuum potest diuidi secundũ quamlibet sui partẽ, habet duplicẽ sensum: alter est, vt nulla sit pars, in quã diuidi nõ potest, qui sensus dicitur distributibus: alter est, vt diuidi possit simul in omnẽ suã partem, qui sensus est copulatus. Est exẽplũ Philop. homo est capax omniũ disciplinarũ duplicẽ sensum habet: alter est, qđ homo sit capax

Solutio Arist.

Ad rõnẽ Democr. nota duplicẽ sensũ illius propositionis cõtinuum potest diuidi secundum.

Quamlibet sui partem. s. distributiue et collectiue.

cuiusq; ita, vt non sit vlla, quã nó possit capere: alter est, quòd omnes simul scientias collectiuè possit capare: ita similiter de diuisibilitate continui in omnem suam partem: prior sensus est verus, posterior falsus, & impossibilis, & hunc sumebat Democr. ob id argumẽtum procedit ex impossibili suppositio.

Nota priẽria quãtinuũ potest diuidi in omnem suam partẽ dupliciter respondere assumpto copulatiue & distributiue.

Aduerte vlterius, quod cum dupliciter possit intelligi illa potentia, quia continuum est diuisibile secundum omnem suam partem, vt dictum est: & vt potentia cadat suprà omnem partẽ distributiuè, & vt cadat copulatim, & collectiuè, sic duplex respondet actus: si enim sit in potentia vt secundum quamlibet sui partem diuidatur copulatiue, tunc actus erit, quòd diuidatur secundum hanc, & secundũ quamcunq; datam: & hoc verum est. At si potentia sumatur collectiuè, tunc actus est quòd sit totaliter diuisum: hoc autem est impossibile.

Error Democr. ex quo eius ratio soluitur.

Ex quo parte Democ. error: nõ enim sic continuum omni ex parte diuisibile, vt possit in quamlibet copulatim, & collectiuè simul esse diuisam, sed quòd nulla sit pars, in quã non possit esse diuisum non tamen in omnes simul.

Expositio textus.

Ad textum accedamus. Dicit, quòd non est incõueniens dicere, quod continuum est diuisibile secũdũ quãlibet sui partem, & etiã simul esse indiuisibile. Tu intelligе diuisibile modo priori, indiuisibile verò modo posteriori, puta secundum omnem partem copulatiuè, & collectiuè. Statim vlterius addit, quod est in potentia, id esse actu idest vnumquodq; esse reducendum ad eum actum, ad quẽ erat in potentia, vt declarauit: & in hoc errauit Democritus, qui reducebat ad actum, vt totaliter simul continuum esset diuisum, non tamen sic erat potentia diuisibile.

Si enim est possibile, & si fiat, non tamen.

Excludit sensum diuisionis copulatim.

Excludit sensum illius propositionis, quem sumebat Democ. repetendo idem argumentum: dicit ergo, quod si ita possibile est diuidi continuum secundum quamlibet sui partem, vt sit diuisum totũ omninò, nõ vt aliquo modo sit diuisum, aliquo non, vt dictũ est, sed omni ex parte, tunc sequitur argumentum Democr. quid enim post hanc diuisionem reliquum erit, aut enim, erit nihil, aut puncta, & sic corpus resoluetur in nõ corpus, & componetur ex pũctis, quod est impossibile.

Neque itaque successiue diuidenti.

Repetitur tertio Democr.

Prosequitur argumentum Democ. quod non erit diuisio infinita in partes minimas, nec qualibet pars erit indiuisibilis semper, erit ergo standum in magnitudine indiuisibili: argumentum enim est: si non statur ad nihil, nec ad puncta, nec ad infinitas partes, ergo oportebit deuenire ad magni-

magnitudines indiuisibiles, & inuisibiles, ob earum paruitatem, & harum congregatione generatio, disgregatione vero corruptio erit sic ratiocinabatur Democr.

Fallax ratio Democ. est diuers.

Dicit tamen Arist. quod est latens fallacia in ratione: nam cùm punctum puncto non sit cõtinuũ, & immediatum, ipsum compositum aliquomodo est in omnẽ partem diuisibile, aliquomodo non: est quidem, vti diximus diuisibile secundum quamcunque partem datam, non tamen secundum omnem collectiue: si enim punctum pũcto esset immediatũ, esset vtraque secundum quamlibet partem simul diuisibile, at quia non est non ita fit, vt Democr. sumebat.

Videtur autem, quando hoc positum.

Obiectio de linea quæ ex punctis est posita videatur.

Dubium proponit contra dicta, dictum enim est, quod diuisio potest vbique, & secundum quamlibet partem fieri, quamuis non simul secũdum omnem: videtur ergo quod linea ex punctis, vel tactibus composita sit: patet vbique enim diuisio potest fieri, & diuisio non fit nisi in pũcto, seu supra punctum: ergo vbique est punctũ, igitur tota linea ex punctis est & magnitudo ex omninò indiuisibilibus & ita diuidetur magnitudo, vel in puncta, & indiuisibilia, vel in nihil.

Hoc autem vt inest, in omni parte est.

Solutio obiectionis.

Dubium soluit Arist. pro cuius solutione aduerte, quod linea, & magnitudo quæuis est vnum ens actu, nec debes imaginari in ea esse puncta, vt accidentia realiter distincta: est enim totum vnum actu ens, sit plura per diuisionem, & sic sunt potentia puncta plura: cùm igitur sic sit, magnitudinem vnam actu, vbicunque libuerit, poteris diuidere, & punctũ sumere: at cùm semel diuisa est, si iterũ velis diuidere, necessario relinques partiulam aliquã inter punctum prius, & quomodo facis verbi gratia fit linea A. B. poteris vbique diuisionem facere: si autem facias semel in C. non poteris aliã diuisionem facere, quin relinquas partem inter mediam inter C. & punctum, super quod diuidis, puta E. & hoc, quia non licet duo pũcta actu immediata sumere per diuisionem.

Not. quo sint puncta in li nea.

ACEB

Habet igitur illa propositio, vbique est diuisio, vel vbiq; est punctũ duplicẽ sensum: alterum, quod in linea posis quamcunque diuisionem facere, siue hanc, siue illam, & incipere vnde libuerit: & iste est sensus verus: alterum, quòd post vnum punctum, & diuisionem, facias alteram illi immediatam, & hoc est impossibile, quia per priorem diuisionem separasti actu partes, per secundam impossibile est, quin diuidas nisi in partes, & sic vna mediabit inter punctum prius, & quod mediate est sumptum.

Not. quo fit verum vbique est punctum in linea & vbique diuisio esse potest.

Ad textum accedamus. Dicit ergo, quod hoc, quod est in omni parte est diuisio, siue punctum, habet sensum hunc, quod vbique per

expositio textus.

totam magnitudinem potest fieri diuisio secundum partem, quam libuerit sumere, vel est vnum punctum id est vbique potest sumi vnum punctum similiter cùm dicitur, est omne diuisibile intelligitur, quod quacumque ex parte diuisio fieri potest, & hoc significat illud (sic omne, vt vnũquodque) vel potest referri ad punctum, idẽ enim est referre ad diuisionẽ, vel ad punctum: nam diuisio fit supra punctum: si ergo ad punctum referatur, est sensus, quòd sic omne punctum sumi potest ad diuisionem vt vnumquodque per se, & hoc totum verum est, non tamen est sensus verus, quod vbique diuisio est vel punctum id est quòd diuisioni factę alia fit immediata ita, vt non relinquatur magnitudo media: tunc enim punctum puncto esset immediatum, quod est impossibile: sic igitur est diuisio, & similiter compositio: vt.n. secũdum duo immediata puncta non licet actu diuidere, cum non sint, sed relinquitur intermedium, ita nec ex punctis est compositio ipsius totius. De hac re dixim⁹ lib. 6. Physic. ob id modo prætermittitur.

Quare est & congregatio & segregatio.

Corporũ congregatio, & segregatio est admittenda, sed aliter quam à Democ.

Vnde congregationem, & segregationem esse non negat: sed quomodo docebat Democritus: est enim duplex differimẽ. Primũ est quod Democritus ponebat cõgregationem ex magnitudinibus indiuisibilibus: at Aristot. nõ, quia non admittit continuum: posse esse diuisum simul secundum omnes suas partes, sed segregationi partes maiores, & minores, vt per diuisionem fit, non tamen indiuisibilis: similiter est harum partium congregatis, & copulatio, vt notum est.

Dicit autem, quòd si punctum puncto esset immediatũ, tũc posset cõtinuũ esse diuisum in omnẽ suam partem, quia cum peruenire tur ad immediata puncta cessaret diuisio: at quia non sic sunt, nec oportet deuenire nisi ad puncta, inter quæ semper mediet diuisibile, non potest simul esse diuisum. Nota.

Sed non simplex & perfecta generatio.

Text. 10.

Alterum differimen est, quòd illam congregationem vocabat Democritus, generationem: cum autem facta congregatione fit mutatio in ipsis atomis, dicebat alterationem. At Arist. dicit, quòd in vtroque errat, quia generatio, & alteratio non fiunt, nisi mutatione vnius in aliud, & non congregatione: vt cum ex aqua fit mutatio in ignem, generatio est, non per congregationẽ, sed quia id, quod erat aqua, fit ignis, quam alij existimabant alterationem, sed non est. Alterũ differimẽ à Democ. congregatione.

In quo differat generatio ab alteratione, & à congregatione, & segregatione.

Distinguit autem generationẽ ab alteratione, quamuis vtraque sit mutatio vnius in aliud: dicit, quod in composito est ratio, id est, forma: est materia, & sunt passiones, cum fit mutatio in materia secũdum formas, hæc est generatio: cum

cum verò est mutatio in compositio secundum ipsas passiones illa est alteratio: non tamen est generatio congregatio, nec segregatio corruptio: verum est, quod sunt dispositiones ad corruptionem, vel generationem: nã quod diuisum, & segregatum est in minores particulas, expositum magis est corruptioni: vt cum aqua in minutissimas guttulas diuisa est, citius in aerem conuertitur, quam cum tota coniuncta est: non tamen ob id segregatio corruptio est: sed de hoc remittit se ad sequentia: nunc ista dicta tantum vult, vt contra Democri. explicat congregationem, & segregationem nõ esse generationem, nec corruptionem, vt expositum est.

Dubium Corpora atomã etiã si essent non posset esse principiũ generationis.

Dubitatur. An si essent ista corpora indiuisibilia, possẽ dici principia generationis rei. Respõdeo nullo modo propter duo, alterum est, quia illa congregatio illorum corporum, nõ esset generatio, sed potius augmentum, quia non fit de nouo ignis, aut substantia aliqua, sed potius crescit, & fit maior, si illa corpora actu præcedunt: vnde sicut additio plurium partiũ aquæ non dicitur generatio, quia præcessit aqua, ita nec illa congregatio. Verum quidem est, quod illa essent principia corporis, qua parte quantum est, & continuum, sed non qua parte substantia. In hoc autem errabant Antiqui: non enim cognoscebant substantiæ de nouo productionem, ob id talem generationem præexistentium ponebant, quæ non est substantiæ generatio sed continui cremẽtum.

Alterum etiam propter, quod non est generationis principium atomus, & magnitudo hæc, quia quæuis pars est tam composita secundum substantiam, sicut continuum totum: quæuis enim particula ignis aquæ & aliorum est ad huc ex materia, & forma composita, non ergo principium est, debet enim principium esse simplex & incompositum.

obiectio. Quod si obijcias Antiqui non admitterent hanc compositionem materiæ, & formæ. Respond. licet non admitterent, saltem faterentur, quòd ista pars, quo ad substantiam est æqua, & tanti actus, sicut est composita ipsa: quamuis non secundum quantitatem, & sic non potest esse principium substãtiæ, sed quantitatis: vnde non erat illa congregatio vllo modo generatio. Hęc satis de opinionibus Antiquorum.

Solutio.

CAPVT. III.

Determinatis autem his primo speculãdum. Tex. 11.

Quæstio Aristot. an aliquid simpliciter generetur.

Ejectis Antiquorũ sententijs, aggreditur veritatem generationis determinare, & quæstionẽ circa hoc proponit: an aliqui simpliciter

citer generetur, id est, an fiat de nouo aliqua substantia, vt exponit Philop. an nō sic, sed quod generatur, semper accidens est, quod subiecto suppositō ex aliquo fit, vt ex sano ægrum, ex laborāte sanū, ex magno paruum, & reliqua.

Ratio, pro parte negatiua.

Ponit argumentum pro parte negatiua. Si generatur aliquid simpliciter, ex non ente simpliciter generabitur, ergo erit non ens in quibusdā: probat à simili, cū enim generatur ex aliquo, quod sit non album, & cum sanū generatur ex eo, quod est non sanum: ergo cum simpliciter fit ens, generabitur ex aliquo, quod sit nō ens: & hoc est, quòd dicit (erit non ens in quibusdam) id est, erit aliquod subiectū, quòd recipiat negationem entis, ex quo fiat generatio. Quod autē hoc non possit esse manifestiùs probat in sequētibus verbis textus.

Ipsum autem simpliciter, aut primum.

Confirmatur ex exdistinctione verbi simpliciter.

Distinguit verbum simpliciter: aut enim per simpliciter ens, intelligitur præcipuum ens scilicet substātia, cum dicitur, fit simpliciter ens, aut per simpliciter intelligitur vniuersaliter quodcumque ens, & etiam in isto sensu adhuc includitur substantia: tunc si fit substantia, ergo ex non substantia, sed nō substantia nihil est, ergo fieret ex nihilo, quod est impossibile: maior est nota, minor probatur, quia quod non est substantia, nihil erit aliorum prædicamentorū, quæ non sunt, nisi in substantia, erit ergo nihil.

Solutio quæstionis & rationis dubitandi.

Respon. breuiter resumēdo, quę dicit in physicis: quod generatur simpliciter fit ex ente, & ex non ente simpliciter idest ex aliquo scilicet materia, quæ & est ens, & non est simpliciter, sed diuersimode: est enim ens potentia, non ens actu: & sic non fit ex nihilo, quod simpliciter, fit.

QVAESTIO. II.

An quod simpliciter generatur, ex non ente generetur.

DIfficultas ista est principalis in hoc textu, propterea ipsam examinandam separatim sumimus: est autem titulus quæstionis notus ex textu: sed est argumentum primum, quod simpliciter fit, totum fit, sed eius quod totum fit, nihil ante præfuit, ergo quod simpliciter fit, ex nullo fit, & non ex ente. *1. Arg.*

Attende autem, quod cum dicitur, quod fit, ex ente fit, non dicimus, quod fit ab ente, puta causa efficienti: hoc enim in dubiū non vertitur: sed ex ente fit idest ex aliqua materia manente in re, & circa hoc est quæstio. *Nota.*

Secundum argumentum est: forma fit quia ante nō erat, & de nouo est, at non fit ex aliquo, probatur, nam maxime fieret ea materia, at materia non est pars formæ, ergo ex nihilo fit illa forma. *2.*

Tertio, agens facit formam, quæ est maioris entitatis, quam materia, ergo faciet ipsam materiam, ergo tota res potest produci. *3.*

Quarto dices forsan, quòd cum *4.*

forma

forma producitur, tunc educitur de potentia materiæ, & ob id non fit ex nihilo. Contra, lumen producitur in aere: similiter species coloris, & sensibilium in medio, & species intellectu, tamen non educuntur de potentia subiecti, vt cõmuniter dicitur, ergo tota res produci omnino potest.

5. Quintò contra id, quod dicit Aristo. quod generatio fit ex ente in potentia, videtur falsum experientia: quod enim generatur, ex aliquo ente in actu generatur vt ex igne fit aer, ex aqua terra.

Prætereà ratione probatur omnis generatio est coniuncta cum motu antecedenti, & alteratione: sed ois alterationis subiectum est ens in actu, & cõpositũ, ergo generationis etiã subiectũ est ens actu.

1. Fund. Veteres non cognouerunt aliquid posse de nouo produci.

Aduerte primò, quod antiqui Philosophi non cognouerunt, aliquid posse de nouo produci ita, vt fit id, quod ante non erat, sed solũ productionem putabant, quod apparent ea, quę ante non apparebat, & quod essentialiter, quàm ante erant: & sic existimarunt, omnes res actu præcedere, & solum mutari secundum modum quendam puta congregationem, vel segregationem, raritatem, vel densitatem, hoc autem affirmabant, quia sibi persuaserant, nihil posse fieri ex nihilo quod si res in actum de nouo emergeret, videbatur illis esse necessarium, quod ex nihilo fieret.

Arist. verò consentiens (maximè in rebus omninò Physicis: nã de cæteris alibi) principio illi, ex nihilo fieri nihil, & simul conuictus experientijs, quibus aliquid de nouo fieri componebat, modũ philosophandi inuenit, quo vtrũq; coniungeret: dixit enim, quod quæuis substantia habet duas partes ita, vt neutra per se, sed simul vtraque sit ipsa res, vna pars est ingenerata, quæ materia est, altera est de nouo, & forma dicitur. *Modus philosophandi Arist.*

Vult ergo, quod substantia ratione vnius scilicet materiæ, non fit de nouo, sed præexistat, ratione verò alterius producatur, & de nouo sit: illa autem pars præexistens est in potentia ad alterã, quæ de nouo est, & sic fiet quòd fit productio de nouo cùm sit, quod ante non erat, & non sit ex nihilo.

Omnis productio naturalis est cum mutatione.

Hinc docuit Arist. quod omnis productio naturalis est cum mutatione, quia quod acquirit esse, nõ illud acquirit, nisi cum mutatione subiecti precedentis, cum tota res, quæ fit, non fit secundum se tota facta. An verò esset aliqua productio, in qua tota res fieret non agnouit Aristot. saltem de productione naturali. Nos verò fatemur productiones esse, quibus tota res fit, absque mutatione, & dicuntur creationes, sed tales non sunt concessæ agẽtibus naturalibus, de quibus est sermo in præsenti.

2. fund. aliquid fieri simpliciter duos habet sensus.

Aduerte secundò, quod ex hoc sequitur, hanc propositionem, aliquid fit simpliciter posse duos habere sensus. Alter est, q tota res fiat secundum quodlibet sui, vt si res.

mate-

materia & forma rei simul ab agente producerentur, & tũc esset creatio: dico autem secundum quodlibet, sui quia vt tota res produci dicatur, & creari solum hoc necessarium est, quòd secundum omnes partes suæ naturæ intrinsecas producatur: & in hoc sensu non conceditur, ab Arist.

2. Sẽsus. Alter sensus est, ꝙ res producatur simpliciter idest fiat ens simpliciter, & perfectum, quod ante non erat, vt cùm fit ignis leo, vel substantia alia, dicitur fieri simpliciter, quia fit ens perfectum: & sic in presenti sumitur.

Nota duplicẽ terminum à quo. Vbi aduerte, ꝙ cùm terminus à quo, & ad quem mutationis oppo nantur, sicut est diuersus terminus ad quem illius mutationis secũdũ duplicem sensum, ita est diuersus terminus, à quo: si enim dicatur tota res fieri secũdum quodlibet sui, tunc terminus à quo erit nihil illius: & sic, quod totum, fit secundum se totum, ex nihilo fit. At si dicatur, simpliciter fieri, quia fit ens perfectum, tunc terminus à quo erit imperfectum, & ita est: quod enim generatur ex imperfecta substantia idest est materia, sit perfectum ratione formæ nouæ.

1. Conc. Aliquid de nouo generatur et corrumpitur His suppositis sit prima conclusio. Aliquid de nouo generatur, & similiter corrũpitur, nec actu præcedunt omnia, vt volebant Antiqui. Hæc conclusio experientijs certis conuincitur, quibus maximè innititur Physicus. Duo mihi videntur conuincere, aliquid de nouo produci, similiter & corrumpi. Alterum est regressus difficillimus eorum, quæ corrumpuntur, præsertim viuentiũ. v. g. moritur equus, si nulla hinc substantia recessit corrupta, sed totum quod erat, manet, sed latens, profecto incredibile est, quomodo hoc ita sit, & nulla sit causa in natura, quæ possit equum in statum pristinum restituere: præsertim, cùm minus sit proportionata materia, ex qua primò factus est, quam modo. Est enim adhuc organizata, & cum dispositione maiori, cũ igitur nulla sit naturalis causa, quæ id possit facere, signum est quod non ibi latet, quod ante erat, est igitur corruptio alicuius entitatis, & consequenter, cum primum fuit, erat productio. 1. Ratio.

Alterum est ex operationibus rerũ sumptis cũ enim quęque operatio sequatur rei naturam, experiamur autẽ in singulis rebus non esse multas operationes, nec vestigium illarum, quæ tamen postea in eis sunt, profectò conuincimur, productiones, & corruptiones de nouo ponere. v. g. sit aqua frigidissima, quomodo si actu hic est ignis, & hic sunt alia omnia, nec minimũ apparet operationum aliarum rerum, non ergo in ea latent: vnde cùm ignis ex ea fit, fatendũ est nouam esse productionẽ. Colligitur pretereà ex operatione quia ibi apparet noua operatio naturalis constans & semper. Quare ab aliqua re de nouo ibi produ- 2. Ratio

cta

cta oportet, vt proueniat, quæ quã diu permanet tandiu, eandem habet operationem.

2. Cõclu. Secunda conclusio agendo de naturalibus & vt naturaliter fiunt cum aliqua substantia de nouo fit, nunquam tota fit ita, vt nihil illius præcesserit. Probat hanc Aegid. 1. Reg. q. 12. tribus rationibus. Prima est, quamuis non eodem ordine ipse proponat. Omnes agens naturale agit mediis accidentibus, vi notũ est: non enim substantia est immediate actiua: ergo id, ꝙ primo introducit: & producit ante substantiam est accidens, sed accidens nõ potest naturaliter induci, nisi in subiectum, ergo non producitur ipsa substantia, nisi præsupposito subiecto: non ergo ex nihilo nec secundum se totam: cùm enim substantia non sit inhærens alicui, id ex quo fit, erit pars ipsius.

Secunda est ferè eadem, sed alia proposita via. Omne agens non agit nisi per motum, ad motus indigẽt subiecto aliquo, ergo & generatio: vt enim dictum est superius, generatio est annexa, & conjuncta cum motu.

Tertia est, natura est media inter artem, & Deũ, sed ars non facit, nisi in subiectum, & compositum: ars enim, cùm circa accidentia versetur, præsupponit subiectũ, & substantiã perfectã: Deus autẽ agit, nullo prosupposito subiecto: ergo natura, quę media est, aget ex subiecto, quidem, sed non perfecto, sed in potẽtia, qualis est materia. Hæ sunt rationes Aegidij, & sunt bonæ, ac probabiles.

Vlterius. 4. ista propositio colligitur ex sensu: nam est principiũ in Physica: in omni enim mutatione, quam sensus experitur, ita fit: circa visum enim, ex albo nigrum fit: non ex nihilo, sed subiecto: circa gustũ ex amaro dulce: circa tactum ex calido frigidum. etiam in alijs omnibus. 4.

Præterea, quia omnes antiqui philosophi in hoc conuenerunt ꝙ ex ente semper fieret aliquid, quãuis in modo fuerint diuersi. An tamen sit aliquod agens supra naturam: quod ex nihilo possit facere, alibi est disputandum: 5.

Tertia conclusio. Cũ aliqua substantia generatur, quodammodo dici potest, tota generari. Nã forma imprimis de nouo est, materia etiam, quanuis non absolutè fiat tamen sit illius rei, quæ generatur, non enim ante illius generationẽ erat: ob id dici potest, hęc res tota facta est. Per hæc possumus ad argumenta respondere. 3. Concl. Substantia aliquo modo generatur tota.

Ad primũ solutio est nota ex dictis: non enim simpliciter dicitur fieri aliquid, quasi totum fiat, sed quasi perfectum ens fiat. Præterea vt diximus in tertia conclusione res quodammodo tota fit. Ad. 1.

Ad secundum respõ. Marsilius. q. 2. quod forma producitur tamẽ quia in materia producitur, dicitur ex aliquo fieri: & hoc sufficit, vt non dicatur creari, terminus enim productionis est forma in mate Ad. 2. 1. Solutio.

materia. Hęc doctrina mihi non placet: nam profectò si productio primò est ipsius formæ cùm nihil formę præcesserit, dicetur creatio. De hoc plura diximus. 1. Physic.

2. *solut.* Magis placet solutio AEgidij. q. 12. quam etiam doctrinam nos loco citato latiùs ex posuimus & est Aristot. 7. Metaphy. cap. 8. quod non producitur forma, nec fit, sed compositum ad cuius productionem comproducitur, & confit ipsa forma: sicut qui virgam incuruat, non facit curuitatem, sed facit curuum, id est dum lignum tale facit, curuitatem comproducit,

obiectio. Quòd si dicas, quomodo dū circa materiam agit potest fieri, vel cōproducit illa forma, & entitas. Respon. non carere admiratione. Quidā dixerunt ex nostris, quòd creatur forma, & agentia naturalia habent virtutem participatā creandi. Auicenna attendens hoc esse vltra vires agentium naturalium, dixit, causam quandam separatam formas producere. Nos diximus, quod non est neganda virtus productiua causis particularibus, vt alibi probabimus, tamen non ob id dicendæ sunt creare: fateor tamen esse virtutem mirabilem quæ participat aliquid virtutis creatiuæ: sed non est, cū semper circa subiecta, operetur: est etiam mirabilis virtus materiæ, ex cuius potentia educūtur, quę actu non sunt, non tamen quia mirabilis est neganda,

nota an formæ creentur.

In. 2. ph. fo. 18.

Ad tertium negatur consequentia: licet enim forma nobilius sit ens, tamē faciliùs producitur, quā materia produceretur: quia agens ad illam iuuatur per potencia materiæ, & per dispositiones, & accidentia, quæ ad eam introducūtur, hæc autem non esset in productione materiæ. *Ad ter. tium.*

Ad quartum difficultas est: an talia accidentia educantur de potē tia subiecti, & quamuis multi teneant partem negatiuam, mihi videtur oppositum, quod educātur de potentia subiecti, vt reliqua accidentia nec vllum ex hoc sequitur absurdum, sicut ex opposito: nam profectò, si ex potentia subiecti non educuntur, non video, quare non dicantur creari. Dicere enim q̄ non creantur, quia in subiecto producūtur, nihil valet: nā gratia in anima creari, aut certè concreari dicicitur à Deo, at in subiecto producitur: hoc tamē alibi probandum est ex professo. *Ad.*

Ad quintum respon. Phi. op. q̄ cum aliquid generatur ex ente in actu, non generatur ex eo, qua ex parte actu est, sed ratione materię quæ est in potentia, & sic non manet ex eo aliquid, nisi materia in eo q̄ generatur: vt cū ex aqua fit aer, manet in aere materia aquę, non forma. *Ad. 5. 1. Solut. Ph ilop.*

Alb. Mag. tract. 1. cap. 21. ferè idem dicit tamen magis ad argumentum respondit dicens, quod generationem possumus considerare, aut secundū se, & naturā suā, *Alb.*

aut

aut ratione alterationis præcedentis: si modo priori cõsideretur, nõ respicit nisi materiam: modo posteriori, respicit compositum, cũ autem ipsa sit in fine motus, quando ipsa est, nõ est motus, & sic nec compositum, verbi gratia, in fine alterationis cũ verum est, dicere nunc non est, sed immediate ante fuit, tunc non est compositũ præcedens, & est generatio, & forma producta in materia, vt dictum est lib. 6. Physi. vnde dicit, quod agẽs, vt agẽs, & corrumpẽs versatur circa cõpositũ, vt generãs circa materiam, non agit nisi per motũ: quare autẽ sit necessariũ, quod in generatione sit precedẽs forma in materia, ex qua debet fieri res: diximus. 1. Physi. Hæc de quæst.

Quod autem & his determinatis admirabilem.

Iterũm magis explicandum quomodo sit simplex generatio ex ente in potẽtia.

Cũm dixisset, simplicẽ generationẽ esse expotẽtia ente, actu nõ ente, vt magis hoc explicet, adhuc circa hoc idẽ instat, & dubitat quomodo sit possibile generationẽ simplicẽ esse, siue substãtiã fieri, quãuis ex ente in potencia, vel ex ente quouis modo: mirabile enim & difficile est precipere, quomodo de nouo fiat substãtia.

Dubitabit enim aliquis, an sit substantiæ. Tex. 12.

Dubium An sit aliqua productio substãtiæ animatæ sit accidentalis

Non est nouũ dubiũ hoc, vt aliqui putant, sed idem clarius propositum, & distinctius, vt circa ipsum argumentetur. Dubium ergo est, non sit substãtiæ productio an non, sed omnis productio sit accidentis alicuius, similiter de corruptione.

Probatio dubitationis.

Videtur autẽ, quòd non sit substantiæ productio: si enim substãtia producitur vtique ex non substantia produci debet: peto de hoc quod non est hoc, id est, non est substantia, nec ens simpliciter actu, sed potentia, an sit aliquid aliorum prædicamentorum actu, vel non, sed omnia potentia: si dicas esse omnia potentia, iam erit separabile a substantia, & accidenti, idest, nec erit substantia, nec accidens, & erit nihil: & sit continget substantiam ex nihilo fieri, q̃ philosophi formidarunt, & noluerũt admittere. Si verò dicas, q̃ tantũ nõ est substãtia, tamẽ est aliquid aliorũ prędicamẽtorũ actu, tunc datur aliud maius absurdũ, quod existant ipsa accidentia absque substantia: non ergo videtur posse substantiam produci.

Et de his igitur quantum fieri potest. Tex. 13.

1. quæstio Arist. Quæ sit causa perpetuitatis, in generationibus.

Aristoteles vt soluat difficultatem propositam, ad duas quęstiones se conuertit, ex quarum determinatione illa dependet. Prior quęstio est quę sit causa perpetuę, & indeficientis generationis ita vt in natura nunquam cessent generationes, & corruptiones. Posterior est, quę generatio dicatur simpliciter, quę secundum quid.

2. Quæstio. Quę sit generatio simpliciter & quæ secundũ quid.

Philop. hãc secundam quęstionem de substantię generatione intelligit. Latini de generatione in communi, vt comprehendit tã sub

substantia quàm accidentis generationem, & mihi hoc placet: quãuis præcipuè de substantiæ generatione, & huius occasione de accidenti tractet.

cum autẽ sit causa vna quidẽ Tex. 14.

De qua causa intelligenda sit sequẽs dictio.

Primam quæstionem aggreditur, explicatque, quam causam petat perpetuæ generationis: est enim duplex causa, vna efficiens, altera materialis: efficiens duplex est, vna, quæ immota mouet, & est primus motor: altera quæ mota mouet, & est primum mobile, vtraque perpetua. Dicit, quod de efficienti immoto non quærit quia id ad Metaphysicum pertinet: de efficienti autem moto pertinet ad Physicum, sed de hoc dicetur lib. 2. nunc in præsenti tãtum agetur de causa materiali: dicit autem quod efficiens motum est causa eorum, quæ singularia sunt idest, est causa individuorum istorum sensibilium vniuersalis.

Nunc autem eam, quæ vt in materia. Tex. 15.

De causa materiali inquirendum non de efficiẽti.

Cum dixisset se non de efficiẽte dicturum explicat causam, quę est in genere materiæ, se modo quærere, puta quæ sit materialis causa perpetuæ, & continuę generationis, & corruptionis naturalium. Si enim ista causa percipitur, determinatũ erit, quod superius dubitatum est de generatione simplici, an aliquid simpliciter generetur, & corrumpatur.

Habet autem dubitationem idoneam. Tex. 16.

Ad causam explicandam continuæ generationis argumentatur & probat, quod non sit perpetua generatio: & est argumentũ, quod corrumpitur, vel abit in ens: vel in non ens: si in ens, ergo non, est corruptum, cùm adhuc sit, si in non ens ergo in nihil, quia non abit in substantiam: nec in quantum, nec in aliud horum, ista enim omnia entia sunt: si ergo abit in nihil, ergo tandem finietur mundus continuis corruptionibus, nec erit generatione perpetua.

Ratio ad partem negatiuam quod nõ possit esse generatio perpetua.

Dices est infinita materia, ex qua generationes fiunt, & quantumcunq; corrumpantur partes, & partes adhuc restat, ex quo fit generatio: hoc dici non potest, quia nõ datur infinitum actu, sed potentia & diuisione.

Obiectio prima.

Solutio.

Dices verum est, esse finitã materiam, tamen non sunt æquales partes ablatæ, ex quibus fiunt generationes, sed semper minores, & minores, & præterea quia minꝰ est, ꝙ corrũpitur semper. Hoc etiam dici non potest, oppositum enim videmus, puta magnã molẽ aeris conuerti in parũ aquæ, si ergo perpetua generatio est dãda, & materia est finita, alius modus est excogitandus, quàm istæ sit.

Obiectio secunda.

Solutio.

Quo circa propterea quòd huius corruptio. Tex. 17.

Modum adhibet, quo ex finita materia possit perpetua generatio, & corruptio sustineri, puta quia generatio vnius est alterius corruptio, & è contra, ita vt

Quod in eadẽ materia possit esse perpetua generatio. & corruptio & quomodo

ex corrupto restet semper eadem materia, ex qua alterum generetur, & quod generatur, generetur ex materia, quam alterum corruptū reliquit, & ipsa materia in corrupta maneat, sic fiet profectò vt ex finito principio perpetua possit & generatio, & corruptio circa singularia, & cōpositā continuari, & hunc eundem modū etiā docuit Arist. lib. 3. Physi. tex. 73.

Et sic est absoluta prior quæstio, ex qua habetur, q̄ generatio sit ex aliquo, & hoc elegāter ostēdit per ipsam corruptionem, quæ necessario definit in aliquid, & non in nihil, vt ostensum est.

QVAESTIO. III. AN *generatio vnius sit corruptio alterius.*

1. Arg. VT magis hęc ꝓpositio Arist. nota sit, libet eam exactè disputare: est autem in oppositū argumentum primum. Quę idētificantur cum rebus, disparatis, & oppositis, nō possūt inuicē prædicari vere, sed generatio, & corruptio sunt huiusmodi: est n. generatio idem re cū forma genita, corruptio cū forma corrupta quæ formæ non valent vltimo modo inuicem affirmari: ergo falsum est dicere, quod generatio vnius sit corruptio alterius.

2. Secundum est: aliqua forma producitur, non tamē alia corrumpitur, ergo vnius generatio non est alterius corruptio: probo antecedens: cùm homo moritur, inducitur forma cadaueris, non tamen corrumpitur forma hominis, quæ est anima immortalis.

3. Tertiò, cùm nutritur animal, est corruptio cibi, quia nō manet illius forma, at non generatur ipsum animal, quia iam erat.

4. Quartò, si semper vnius generatio esset, cùm est alterius corruptio: sequeretur, quod semper mūdus haberet eundem indiuiduorum numerum, quia recedēte vno alterum succedit, illud autem non vertitur verum.

5. Quintò, cū ex elemētis fit mixtū, fit noua mixti forma, at nihil corrūpitur, cùm elemēta maneāt quæ sunt materia mixti, materia autem non debet corrumpi.

6. Sextò, multa accidentia producuntur absq; alicuius corruptione vt lumē, species, similiter colores, & sapores, & odores, quæ in mixtis fiunt: nam elementa nec odorem, nec colorem, nec saporem habent, & sic cum miscentur, fiunt tales qualitates absq; aliarum contrariarum corruptione, non ergo vera videtur in vniuersum propositio Aristot.

Dup'ex quæst. sensus.

Circa hoc aduerte, q̄ duo sunt hic ita tractanda: alterum de sensu logico huius propositionis: generatio vnius est corruptio alterius, & è contra: alterum de physica veritate. Circa primū Marsil. q. 5. & Albert. Saxo. q. 4. notant primo, q̄ generatio aliquando sumitur pro materia: similiter corruptio aliquando pro ipsa forma. Dicūt præterea, q̄ res quędā sunt permanētes, quædam successiuæ.

De. i. n i nio. Mar filij. &c.

His

Dictum eorum. His duobus ſuppoſitis aſſerunt primò, q̃ rerum ſucceſſiuarum eadem eſt generatio, & corruptio, & eſſe, quia ſimul profectò iſta ſunt: cum enim ſunt, tũc fiũt, & deſinũt eſſe: & ſic vera eſt propoſitio in iſtis, generatio eſt corruptio.

2. Dicunt ſecundò, q̃ in permanẽtibus ſi generatio & corruptio ſumatur pro materia, cum eadem ſit materia, eſt vera propoſito, generatio eſt corruptio.

3. Dicunt tertiò, q̃ ſi pro forma ſumatur, tunc de præſenti eſt propoſitio falſa, generatio eſt corruptio cum ſint diuerſæ formæ: tamẽ de futuro eſt vera, generatio erit corruptio, quia ſupponit pro eadem forma, vt ſit ſenſus: forma, quę modo eſt generatio, cùm eſt, poſtea erit corruptio, cum deſinit eſſe.

Reiicitur. eorum. ſententia Hæc eſt doctrina horum nimis nominalis, & profectò miror, quis ſibi talem dicendi, modum, & in Ariſtot. & in communi vſu hominum potuit perſuadere. Imprimis

Primo. iſti vocant eandem eſſe generationem, corruptionem in ſucceſſiuis, quia ſimul ſunt, & eodem tempore: hoc autem eſt falſum: nam quãtumcunque ſimul ſit, imò res vna adhuc manet diuerſa ratio illorũ, quæ ſufficit, vt non affirmetur vnum de altero.

2. Præterea quis dixit vnquã generationem pro materia, vel forma ſupponi, cũ generatio ſit mutatio, materia, & forma mutationis, & generationis principia vel termini.

Præterea, ſi forma & materia eſt generatio, dicetur de re iam antiqua modo generatur, quæ modo habet formam, & materiam. 3.

Preterea putant iſti, motum generari, & corrũpi, quod falſum eſt, & contra Ariſt. 5. Phyſi. q̃ enim motus generatur, ſed eſt id, quo aliquid generatur, vel corrumpitur, vt dictum eſt lib. 4. & 5. 4.

Præterea quando corrumpitur res, cum iam generatio ſit præterea, quomodo dici poteſt, quod generatio erit corruptio. 5.

Præterea eodem modo dicitur, quod res quæ eſt iam, generabitur & corrumpetur. 6.

Hæc omnia facilè concederent nominales, ſed profectò aliena ſunt iſta à philoſophia, ob id prætermittantur, Alij dicunt, quòd iſta *Sententia* eſt vera generatio vnius eſt corruptio alterius, vel è cõtrà, quia ſunt relatiua generatio, & corruptio, & dicunt ad conuertentiam, ſicut filius eſt patris filius, & , & pater eſt filij pater.

Sed hoc nullam habet probabilitatẽ, quia generatio, & corruptio *Reiicitur.* ſunt contraria, vel diſparata, ſi nõ ſint eiuſdem, hęc autem non dicuntur ad conuertentiam.

Reſpon. igitur iſtam propoſitionem non eſſe intelligendam in *Senſus propoſitionis, generatio vnius eſt corruptio alterius.* ſenſu formali, vt generatio ſit corruptio formaliter, ſed importare ſequelam quandam, & facere velut ſenſum cauſalẽ: eſt enim dicere, generatio vnius eſt corruptio alterius. i. generatio vnius ſecũ fert

alte

alterius corruptionem, & econtra, & huiusmodi propositiones passim occurrunt, & inter philosophos, & in communi loquēdo modo, & sic sumitur ab Aristotele.

Hæc de Logica veritate.

De 2. sensu quinti Physico. Duplex sensus Physicus propositionis.

Circa sensum physicum aduerte, q̄ superius diximus, compositū proprie, & per se generari, & corrumpi, formam verò comproduci & corrumpi, nec primo generari, vel corrumpi: & sic propositio ista potest intelligi, aut de eo quod primò corrumpitur, vel generatur, aut de eo quod non primò, sed de formis: quamuis Aristot. sumpserit in sensu priori, loquitur enim de eo, cuius est primò generatio vel corruptio, scilicet de composito, & hoc in substantijs.

1. Cōclu. in substātijs compositis.

Sit igitur prima conclusio. Si loquamur de eo, cuius est primò generatio, vel corruptio, vt Arist. loquitur, est in vniuersum vera propositio illa in substantijs puta non contingit vllam compositam substantiam corrumpi, quin altera generatur nec vnam generari, quin altera corrumpatur.

Probatur ex tribus propositionibus philosophicis.

Huius conclusionis veritatis sumatur in tribus ꝓpositionibus philosophicis. Prima est, non contingere, duas formas, vltimas & specificas esse simul in eadem matēria: Altera est, numquam materiā esse sine aliqua forma: Tertia est, quod corrumpitur, non abire in nihil, sed materiam remanere.

1. ratio.

Ex his fit argumentum: post corruptionē remanet materia, & hæc non habet formam præcedentem, propter corruptionem, ergo habebit alteram, quia non potest manere nuda, erit ergo generatio post corruptionem.

2. ratio.

Item cùm generatur aliquid præ supponitur materia, hæc non poterat esse absque forma, ergo præcessit compositum: cùm ergo generatur, inducitur noua forma, ergo expelletur præcedens, quia duæ non sunt simul, generationem ergo præcedit corruptio.

2. Cōclu. informis substantialibus.

Secunda conclusio: Si fiat sermo, de ipsis formis, semper corruptio vnius inducit generationem alterius. Quia non stat vnam in materia corrumpi, quin altera producatur, non tamen contrà semper productio vnius inducit corruptionem alterius, est enim instantia in homine, qui cùm moritur, producitur forma cadaueris, non tamen corrumpitur anima, quia est immortalis: & hoc docet Aristot. 12. Metaphys. tex. 17. vbi dicit, quòd causa formalis manet destructio effectu, non omnis, sed mens, id est, anima rationalis: non tamen ob id homo non corrūpitur, imò compositū corrumpitur per animæ à materia separationem, hæc enim sufficit ad compositi corruptionem, vt alibi diximus.

Nota.

Aduerte tamen q̄ etiā verū est, dicere hic, q̄ corrumpitur anima, secundum quid tamen, quatenus desinit esse in illo corpore, & non est forma actu similiter omnes eius disputationes corrumpuntur,

& potentiæ, quas communes habebat cum corpore, sicut sunt potentiæ vegetatiuæ & sensitiuę.

3 concl. informis accidentalibus.

Tertia conclusio: In accidentibus non est vniuersaliter propositio hæc vera: deficit enim triplici ter, Primo cum accidentia non habent contrarium, tunc enim producũtur absque alterius corruptione, & corrumpuntur absque alterius productione, vt lumen in aere species in medio.

Primo. Nota qn fit verũ in accidentalibus generationem vnius esse corruptionẽ alterius. 2.

Deest etiam in his quæ contrariũ habent, tamen neutrũ de necessitate inest suo subiecto, nec medium, sunt enim aliqua contraria, quorum alterum necesse est inesse proprio subiecto, vt mixtũ corpus necessariò aut est calidum, aut frigidum: alia quorum alterum, aut medium necesse est inesse, vt corpus mixtum, aut est album, aut nigrum, aut medium: quædam sunt alia, quibus neutrum horum competit, vt scientia, & ignorantia prauæ dispositionis: datur enim homo, qui nec est sciens, nec prauè ignorans: & in his non est semper necesse, quòd vnum inducatur cum alterius expulsione vel contra, vt notum est.

Tertio deficit in his etiam quæ contrarium habent modo prędicto, vt habeant ordinem necessarium ad subiectũ: deficit in quãcũ nõ per se producuntur, nisi cũ substantia: habent enim accidentia aliquando produci sola, vt cum substantia genita ex alba fit nigra: aliquando cum substantia simul producuntur, vt simul fiat vtrumque, & tunc fiunt absque contrarij productione, vt patet in saporibus, odoribus, coloribus, quia ex mixtione elementorum simul cùm ipso mixto de nouo fiunt, nõ enim cõtraria corrupta sunt, cum non præcesserint: nam elementa non sunt capacia talium qualitatum.

Quarta cõclusio, Cum corruptio alicuius fit, quodammodo dici potest quod totum destructũ est, si enim manet materia, non tamen iam illius est, sed alterius existentis compositi, vt dictum etiam est superius de generationé. Ex his omnibus patet declaratio propositæ quæstionis. 4. concl.

Ad argumenta respondeo. Ad primum patet solutio ex dictis: non enim formaliter illa propositio conceditur, Sed denotat mutuam generationis & corruptionis sequelam. Ad 1. argumẽt.

Ad secũdum dico, quod quamuis anima hominis nõ corrũpatur, tamẽ homo ipse corrumpitur & sic est generatio cadaueris cum corruptione hominis: non enim Arist. loquitur nisi de eo quod per se corrumpitur, & per se generatur, hoc autem compositum est. Ad 2.

Ad tertium dico, verum esse in nutritione cibũ destrui: est tamen ibi quædã partialis generatio, puta, quia noua forma intrat in illam materiæ partem, in qua erat forma cibi præcedens. Ad 3.

Ad quartum dico, quod non semper est idem numerus individuorum Ad 4.

rum, quia accidit materias multo rũ effici vnã, & vnam effici multo rũ per diuisionem, vt cum ex vno homine multi vermes fiunt, quia ipsius materia in multas diuiditur partes, quę possint diuersas recipere formas, & contra multa in vnũ coniunguntur, vt patet: multis enim nutritur homo, quæ in se conuertit: numerus ergo non semper est æqualis: hoc tamen verum est, quod tanta est materia omni tempore, quæ modo in plures, modo in pauciores diuisa partes induit, duorũ auget aut minuit numerũ.

Ad. 5. Ad quintum dico, quod elementa corrumpuntur in mixti compositione, nec manent formaliter, & quamuis formaliter dicamus manere, adhuc corrumpuntur partim, puta quoad ipsorum intensionem, sed de hoc inferius disputabitur.

Ad. 6. Ad sextum patet solutio satis clarè ex conclusione tertia superius posita. Hæc de quæstione.

Propter quid autem hoc quidem simpliciter. Text 18.

2 Quæst. in Arist. an aliquid dicatur simpliciter generari aliquis non.

Secundam quæstionem textu. 15. propositam aggreditur soluere, eam autem repetit, & primo, in substãtijs dicit cũ generatio vnius, sit alterius corruptio, quæ est causa quare aliquid dicatur simpliciter generari, aliud simpliciter corrũpi? sensus quæstionis clarus est, quare cum homo moritur, absolutè dicamus corruptionem esse factam, nec dicamus generationem factam, cum constet, cadauer esse generatum: & contra, cum gignitur animal absolutè vocemus generationem, cum tamen ibi sit Embrionis corruptio: sic enim in alijs multis, non enim est causa huius, cum vtraque mutatio simul fit, & videatur posse vtraque dici tam generatio, quàm ipsa corruptio.

Dicimus enim quod corrumpitur, non simpliciter.

Dubium. Cur accidentium non dicatur generatio simpliciter.

Alteram dubitationem proponit, quare, cum sint quædam quæ generantur & corrũpuntur simpliciter, & sint quędam generationes & corruptiones simpliciter, & nõ secundum hoc, id est, secundum quid, non est ex istis, cũ fit quis sapiens? non enim dicimus fieri simpliciter, qui sapiens fit, sed fieri sapientem, & secundum quid.

Solutio.

Respon. ad hoc dubiũ posterius, dicens, hoc prouenire, quia eorũ, quædam sunt simpliciter, vt substantiæ: quædam secundum quid, vt accidentia: & sic fit horũ productione, vt quædam simpliciter, quædam sint secundum quid.

Differãt enim ea in quæ trãsmutatur.

Quomodo in substãtijs differat generatio simpliciter & secundum quid. 1. differentia ex parte terminorũ.

Accedit ad explicandum in substantijs, quare generatio quædam fit simpliciter, quædam simpliciter corruptio, ac dicit huius differentiam sumendam esse ex his, ex quibus, & in quæ est mutatio, id est, attendendi sunt termini: & ponit tres differentias. Prima est, cũ id, quod generatur est ens, dicitur simpliciter generatio, cum id in quod est corruptio est non ens,

dicitur ſimpliciter corruptio: per eas intelligit perfectam, per non ens imperfectum ſubſtantiam: vt de cum generatur homo dicitur, ſimpliciter generatio, licet corrumpatur Embrio: cum verò generatur cadauer, ſimpliciter corruptio. Ponit exemplum de igne, & terra, ignis enim eſt perfecta ſubſtantia, ob id à Parmenide dicebatur ens; terra verò non ens, quia imperfecta: cum igitur fit ignis, generatio ſimpliciter eſt, cum vera terra, corruptio.

Obiectio At quia poſſet dubitare quis, quomodo ita ſit, quòd ignis ſit ens, & *Solutio.* perfecta ſubſtantia, terra verò nõ. Reſpon. id eſſe impertinens, quia ſunt tantum exempla, quibus modus explicatur, quo dicatur ſimpliciter generatio vel corruptio, ſolum autem modum explicare intendit, de re ſubiecta, de exemplo modo non curans.

2. differentia per qualitatẽ materialiũ. *Alio aut modo materia qualiſcũque.* Alteram differentiam ponit ex parte qualitatum materialium, & ſingulariũ, dicitque q̃ eius eſt ſimpliciter generatio, cuius qualitas, quæ differentia dicitur, magis indicat ſubſtantiam, quales ſunt qualitates magis actiuę, vt calor & frigiditas: & ſic ignis generatio, eſt ſimpliciter generatio, & aeris; terræ verò corruptio: nam ſiccitas eſt differentia parum actiua, & frigiditas reſpectu caloris.

Alter ſi ſus Ariſ. Poſſumus etiam intelligere hoc de perfectiori forma ſubſtãtiali vt per has qualitates intelligebat formas ſubſtantiales rei. Erit ergo prima differentia ex parte ipſius rei cõpoſitæ perfectioris. Hęc verò ſecunda ex parte perfectioris ſolius formæ: ſunt enim formę, quæ ſunt velut priuationes, vt forma cadaueris, & alię ſimiles,

Videtur autem multis magis. Tex: 19.

3. differẽtia ex omniũ opinione Tertiam ſumit differentiam ex vulgo: omnes enim, cum aliquid mutatur in id, quod non ſentiunt, vocant ſimpliciter corruptionem, vt cum aqua in aerem mutatur; cũ vero ex inſenſibili aliquid fit ſenſibile, vocant ſimpliciter generationem, vt cum ex aere fit aqua: hoc autem fit circa vulgus, quia exiſtimat, quod ſentitur eſſe magis ens, quod non ſentitur eſſe non ens: vititur enim ſenſu pro ſcientia.

Colligamus ergo veritatem, q̃ cum fit minus ens, eſt ſimpliciter generatio, cũ fit magis ens, fit ſimpliciter corruptio: & in hoc bene dicit vulgus, quamuis erret in applicatione, & ſic contra veritatẽ: quia putat non ens, quod eſt ens, & putat ens, quod eſt non ens: & ſic apud ſapiẽtes eſt corruptio ſimpliciter, quæ apud vulgus generatio ſimpliciter: & quę apud vulgus corruptio ſimpliciter, apud ſapientes generatio ſimpliciter eſt. Hæc eſt huius textus expoſitio.

Eſſe igitur ſimplicem generationem.

Tex. 20.

Epilogus tractatio nis, de generatione. Epilogum dictorum facit, putat, q̃ eſt ſimpliciter generatio, quamuis ſit ſimul alicuius corruptio, ne.

&

& est simpliciter corruptio, licet sit alicuius generatio, idest, non ob stãte, quòd simul hęc duo sint semper, tamen dicitur vna simpliciter corruptio, altera simpliciter generatio, & hoc pendet ex materia, id est, ex his, quæ generantur, vel corrumpuntur, vt exponit Philop. nã cum substantia generatur, vel corrumpitur, est simpliciter generatio vel corruptio: cùm verò accidens, tunc secundum quid.

Adhuc inter substantias vt dictũ est, est generatio simpliciter, cùm perfectior est substãtia quę fit, aut magis sensibilis secundum vulgus, ipsius verò imperfectę productio, corruptio simpliciter est.

Concludit ergo causam dictam esse, quare sit simpliciter generatio, & corruptio, nõ solùm in his, quæ mutantur, sed etiã in his quæ mutantur inuicem, qualia sunt elemẽta, in omnibus enim perfectionis est simpliciter generatio.

Quod autẽ post dicitur, nõ quærit hoc.

Cur substãtia sit simpliciter gen ratio & non accidentium

Regreditur ad secũdam quæstionem propositam tex. 18. dicitq; nõ esse similem priori, prior enim est de Solis generationibus substantiarum inter se: posterior verò de substãtiali collato accidentibus ipsis. Erat enim, quare, cùm fit substantia, dicitur res absolutè fieri, vt cum fit homo, & acquirit formam substantialem, non autem cũ acquirit accidens. Responsio autem est, quæ iam posita est, quia reliqua accidentium prædicamenta non significant simpliciter ens, sed secundum quid, scilicet quale, quantum, & cætera: substantia verò est simpliciter ens.

Addit tamen, quod etiam in quo cũq; prędicamento est simpliciter generatio, collatione facta in ipso. puta cùm vnum ordinis illius generatur, idest, cùm generatur meliùs, & perfectiùs cuiusque ordinis, vt inter substantias, ignis generatio est simpliciter, & non terra, quia ignis est perfectior: in qualitate generatio scientiæ est simpliciter in illo genere, & ignorantiæ generatio simpliciter corruptio: similiter est in alijs. *Quod & accidentiã inter se cõferantur aliqua dicatur generatio simpliciter, ad alteram collata, & alteram secundum quid.*

Vnde colligitur, quòd si generationes substantiæ, & accidentium inter se conferantur: illæ generationes sunt simpliciter, hæ verò secundum quid: at si quæque intra suum genus, tunc est vna simpliciter, puta perfectioris extremi, altera secundum quid, quę est imperfectioris, vt dictum est.

De eo igitur, quod est simpliciter hoc generari.

Facit omnium epilogum, & repetit duas quæstiones quas suprà proposuit text. 15. dictum igitur est, quæ generatio simpliciter, quę secundum quid sit, & vniuersaliter puta tam in accidentibus, & substantijs facta inuicem collatione, quam in substantijs inter se, & hęc erat posterior quæstio: dictum etiam est, quę sit causa materialis continuę generationis, & erat materia susceptiua contrariorũ: ex hac enim procedebat, quod *Dictorũ omnium epilogus.*

generatio vnius sit corruptio alterius, & contrà.

At verò neque dubitare oportet, quare.

Tex. 21.

Nota difficilè huius text. expositionem.

Non est facilè apud expositores, intelligere, quid sibi velit Aristo. in hoc tex. quod possit cum præcedentibus continuari: tamen existimo, sensum esse hunc, ipse enim voluit primò ostendere quòd generatio fit ex ente, ad cuius probationem sumpsit, quòd corruptio non est in nihil, sed in ens aliquo modo, & cùm corruptio desinat in ens, generatio erit ex ente, quia generatio est ex alterius corruptione: & cum hoc modo in epilogo repeteret, confirmat ex sententia etiam vulgi, quod generatio fit ex eo, in quod desinit corruptio, ita vt terminus ad quem corruptionis, sit à quo generationis. Reputat ergo, quod communiter dicitur, vulgus cùm res in insensibile desinit, quòd putat non ens, vocare corruptionem: ac cum ex insensibili, & non ente fit sensibile, vocare generationem: vide quomodo terminum ad quem corruptionis, facit à quo generationis, quanuis in re ipsa erret, quia putat non ens esse, quod est ens, tamẽ in alio non erit.

Confirmat quæ in epilogo dixerat, ex vulgi sententia.

Hinc patet quomodo sit generatio continua: quia sicut corruptio ex ente tendit in non ens, ita generatio ex non ente facit ens: & sic corruptio est entis, vt termini à quo, generatio verò non entis. Vide igitur quã ingeniosè probauit Aristot. quòd ex ente sit generatio per corruptionem. Et nota expositionem.

Sed hoc non ens simpliciter dubitauerit. Tex. 22.

Dubium quid sit illud nõ ens ex quo res generatur.

Vulgus non ens putat esse nihil: sed iam suprà probatũ est, non posse nihil esse, quia nihil fit ex nihilo: ob id modo dubitat, quid sit illud non ens, ex quo res generatur, an sit contrarium eius quod generatur: vt si ignis fit ex non ente, non ens fit aqua: contrarium enim fit ex contrario.

Solutio.

Respon. quod non est contrariũ, sed illius materia, vt ignis fit ex nõ ente, idest, ex materia, quæ substat sub contrario. Nota hic, quod dictum est in Physi. quòd contrarium fit ex contrario, non tanquã ex materia, sed tanquam ex termino: ex ipsius verò materia tanquam ex principio extrinseco: fit enim, ignis ex aqua, vel aere vel alio, tanquã ex termino, quia non manet aqua vel aer in igne, sed horum materia. Dices, ad quid ergo fit ex contrario? Dico, quod illa materia nõ poterat esse absq; forma, ob id debuit aliquam habere, sed debet esse opposita, & contraria, quia debet illa expelli, & altera introduci ab agẽte per actionem naturalem: ac non est actio nisi inter cõtraria, ob id alteratio, actio passio, generationem præcedunt.

Alterũ dubium an sit ea

Alium dubium ponit Aristote. cùm dixisset, nõ ens esse materiã contrarij, an talis materia sit vna vtriusq;

vtriusque contrarij, & corrupti, & generati: si enim non esset eadem, non possent contraria fieri inuicem: cùm igitur elemẽtis quatuor insit cõtrarietas, videtur, quod sit eadem materia.

Dem. materiam esse eandem vsque ad contrarij generationem, & corruptionem.

Solutio. Respon. quòd quodammodo est eadem, quodammodo non: est enim eadem secũdum id, quòd substat vtrique formæ, est enim materia vna secundum substantiam cõtrariarum formarum, secundum esse verò non est eadem, ideſt, aliter est disposita, & aliter se habet, ac existit sub vna, quam sub alia, licet id, quod existit, semper idem sit.

QVAESTIO. IIII.

An substãtia suscipiat magis & minus.

PRopter id, quod in fine textus. 18. habetur, puta esse vnam magis substantiam altera, hic dubitamus. Quæstionis sensus satis notus est: petimus enim, an sicut vnum dicitur alio magis album, ita sit vnus altero magis ignis, & imprimis probatur pars affirmatiua ex Arist. in hoc textu, vbi dicit magis substantiam.

1. arg. ab auctoritate.

2. Ex præterea. 2. de anima. text. 3. dicitur, sensibilia corpora esse magis substantias. Nec poteris dicere, quod velit dicere, esse magis id est perfectiores substantias, quia tunc sensibilia non deberent dici magis substantiæ sed potius immaterialia.

3. Præterea. 7. Metap. c. 3. inter materiã formam, & compositum, hoc vocat maximè substantiam.

4. Et. 8. Met. tex. 10. (qui locus est notandus:) dicit, quod formæ substantiales secundum se sunt sicut numeri, nõ suscipientes magis vel minus: at in materia suscipiũt magis, & minus.

2. arg. à ratione. Vlterius sunt rationes. Prima est, si effectus immediatus alicuius causæ suscipit magis & minus, & ipsa causa suscipiet: sed immediatus effectus, substantiarum, præsertim elementorum, sunt qualitates primæ suscipientis magis, & minus: ergo & ipsæ substantię suscipient.

2. Secundò per operationes cognoscimus rei substãtias, sed operationes vnius subiecti, & speciei non sunt æquales, modò. n. perfectiores, modo imperfectiores sunt, ergo etiã substantiæ, & subiecta suscipiunt magis, & minus: antecedens patet: nã intelligere, discurrere, quibusdam magis, quibusdam minus inest: ergo etiã substantia, quæ discurrendi, principium est.

3. Tertiò. Cui inest passio, inest etiam subiectum, aquę inest calor, quę est passio ignis, ergo inest ipsa forma ignis, non in tota sua perfectione, quia non esset tunc forma aquę, ergo est remissa, suscipitque magis, & minus.

1. opinio Auer. In hac difficultate sunt tres sententiæ. Prima est Auerr. lib. 3. cœli. comm. 67. qui sustinent elementorum formas substantiales suscipere magis, & minus.

2. opinio Scoti. Altera est Scoti, & discipulorum lib. 11. Met. q. omnes formę præter animam rationalẽ, suscipiunt

magis, & minus, & pro vtraq: sententia faciunt loca Arist. & rationes in principio adductæ.

3. opinio D. Thom.

Tertia sententia est S. Thom. quod nulla forma substantialis recipit magis, & minus: quám sentẽtiam sequitur Aegidius. q. 18. consistit autem sententia Aegidij in hoc: dupliciter enim potest intelligi magis, & minus: vno modo secũdum intensionem, quod vocant gradualiter, sicut vna albedo intensior est altera, & sic dicitur suscipere magis, & minus: quo autẽ modo id fiat, diximus libr. 4. Physicorum: altero modo, secundum perfectionem, vt vnum dicatur esse altero perfectius. Dicit igitur, quòd forma substantialis non suscipit magis, & minus secundum intensionem, ita vt vna & eadem specie modo minus, modo magis sit intensa: suscipit tamen magis, & minus secundum perfectionem in diuersa specie, quia vna est altera perfectior.

Duplicit. aliquid suscipit magis & minus.

quæs. 12.

Quadrupliciter aliqua substãtia est magis vel minus perfectior.

Primus modus.

Hoc autem quadrupliciter contingit: vno modo, in aliquo analogo, in quo est vnum primum reliqua, quo magis huic propinqua, vel ab eo remota sunt, eo perfectiora, vel imperfectiora dicuntur, sicut in ente, in quo primum omniũ Deus est: reliqua, quò ad Deũ magis accedunt, sunt perfectiora. Altero modo in vniuoco aliquo secundum quòd vnum est à natura præcipuè intentum, alterum verò non.

2.

Pro quo nota ex S. Thom. suprá text. 18. quòd formæ substantiales sunt duplices, quædam quę nõ per se à natura intenduntur, sed vt aliàs ordinantur, qualis est forma seminis, aut embrionis: similiter quæ, ex aliarum corruptione consequuntur vt forma cadaueris, forma aceti, & similes. Hæ formę dicuntur non intentæ per se à natura. Alię sunt per se à natura intentæ, vt forma hominis, forma plantæ, & aliæ huiusmodi: Dicit ergo Aegidius, quòd quę à natura per se sunt, dicuntur magis substãtiæ ideſt perfectiores.

Nota. duo genera formarum substãtialiũ

Tertiò modo dicitur magis substantia, cuius forma vincit materiam, & econtra minus substantia, cuius forma vincitur à materia: tunc vincit forma materiam, cùm minus trahitur in naturam passionis, sed liberius agit, qualis est forma ignis, & animæ in materia dispositæ: cùm verò impedita est à materiæ multitudine, dicitur victa à materia, & imperfectior.

3.

Quartò sumitur magis, & minus in speciebus eiusdẽ generis, ob inæqualitatem differẽtiarũ, & perfectionũ quibus contrahitur genus. His modis omnibus contingit vnã esse magis substantiam: sed nullus est secundum intensionem.

4.

Probat Aegi. quòd forma substantialis non sit intẽsior & remissior, quia si susciperet intẽsionem, vel esset in essentia vel in existentia: non in essentia, quia cõsistit in diuisibili, nec in existentia, quia

Probat sententia Aegid.

hoc

hac variata etiamvariatur essentia, quia existentia immediatè fluit ab essentia: ergo non potest intendi, vel remitti.

obiectio Quòd si obijcias, hoc modo nec forma accidentalis susciperet magis, & minus. Respō. in. q. 19. quod

solutio. accidens recipit ratione subiecti magis, & minus, eò quòd magis ipsum actuat, sed non secundum essentiam, nec existentiam suam.

Dupliciter accidens suscipit magis, etiam ratione subiecti secundum Aegidij Dicit autem quòd dupliciter accidens propter subiectum recipit magis, & minus, vno modo quando pendet ex accidentibus suscipientibus magis, vel minus, vt albedo sit intensior vel remissior in subiecto, iuxta primas qualitates à quibus pendet: altero modo quia est in subiecto, vbi est qualitas altera, minus, aut magis proportionata sibi v.g. calor sit intensior, & magis actuat subiectum si sit ignis, quam si sit aer quia in igne coniūgitur siccitati, quæ magis proportionatur cum calore, in aere verò cum humiditate, quæ minus accedit ad calorem. Hæc est sententia Aegidij, quæ mihi non placet in omnibus.

1. Concl. Pro huius autem explicatione sit prima conclusio. Accidentia per additionem gradus in esse & essentia sua, intenduntur, & per ablationem remittuntur in subiecto. Hæc conclusio probata fuit,

Explicatur concl. Duobus modis dicitur essentia. 4. Physic. ob id non multum immorabor, sed tantùm explicabitur. Essentiam dupliciter dicimus: vno modo naturam, quæ definitione explicatur, altero modo entitatem rei seu integritatem, potestque vno manente inuariato, alterum variari. v. g. linea in sua entitate fit maior, fit minor: at lineę essentia id est natura, & definitio eadem est semper: quod igitur de linea est quantum ad extensionem, id est, de qualitate quo ad intensionem: additur enim albedini albedo educta de potentia subiecti: & augetur albedo in intensione.

Et profectò non est intelligibile quod dicit Aegidius. Quomodo enim vna qualitas prorsus in se eodem modo se habens potest subiectum magis aut minus actuare? Sed de hoc diximus alibi.

Secunda conclusio. Nulla forma substantialis recipit intensionem, vel remissionem. *2. Concl.* Hæc est contra Auerr. & Scotum. Hanc mihi persuadeo tanquam probabiliorem propter tres rationes, quarum prima est. Si forma substantialis intendi potest, aut remitti, ergo introducitur per motum, & definit cum motu, & tunc est motus in substantia, quod est contra Aristotelem & ipsos: probo id sequi, quia calor, & qualitates aliæ ob id cum motu inducuntur, quia certis gradibus intendi possunt, nec alia est ratio. Quodsi dicas formam substantialem præ requirere certas dispositiones, quibus positis, ipsa inducitur in instāti, profectò hoc est cōtra ipsos, quia ob id introducitur in fine dispositionū,

Proba. 1

quia indiuisibilis est, & non gradualis: si enim esset gradualis, sicut paulatim dispositiones introducuntur, vtique etiam ipsa forma, quod falsum est.

2. Ratio Secunda ratio est: Si esset intensibilis, & remissibilis, vtique duę formæ essent simul, nunquam.n. calor remittitur, nisi cùm forma opposita coniunctus sit in eadem materia, nec similiter albedo sine nigredine, ergo etiam vna forma substantialis erit cum altera in eadem materia. At hoc quis concedet saltem in formis animatorum, & mixtorum: esset enim tunc vna res duarum essentiarum & sub duplici simul specie quod implicat, non ergo est magis, & minus in his formis.

3. Ratio Tertio ratio est. Quia vbi nō est contrarietas non est magis & minus, in his quæ oppositionem habent positiuam: at in substantijs non est contrarietas, saltem in animatis, & mixtis, nō ergo in his est magis, vel minus. Dico, cùm habent oppositionem positiuam, id est cum sunt duę formę quę simul esse non possunt, nisi sint contrarię, non suscipiunt magis & minus: nam lumen suscipit magis, vel minus absque cōtrarietate, sed lumen nō habet repugnantiā cū forma positiua, sed priuationi tātum opponitur, scilicet tenebris.

Aliæ argumenta petita ex testimonijs Arist. Per hæc possumus ad argumenta respondere. Circa loca Aristot. nota, quod magis substantia, dicitur apud Arist. multipliciter. Primò, ratione secundę intentionis: id enim quod pluribus prędicatis substat, dicitur magis, substantia: & sic inferiora, vt species & individua substantię dicuntur magis substantię, quàm genera: Altero modo magis substantia, quę notior est apud omnes, & sic sensibilia corpora vocat magis substantias, id est, apud nos notiores. Tertiò magis substātia, quę magis operatiua est, & vincit ipsam materiam: & sic sumitur hoc tex. 18. vt notat Alb. cap. 24. quartò dicitur magis substātia. i. perfectior vnde nullis ex his modis est secūdū intensionem, sicut in accidentibus.

Nota magis substantia multipliciter dici tur. *primò.* *2.* *3.* *4.* *Solutio.* *4. testimonij Arist.* *1. Solut. quorūdā*

Ad illum locum. 8. Metaphys. qui difficilis est: Respondent aliqui, quod loquitur, ibi cōdicionaliter secundum sententiam propositam contra Platonem, vt sit sensus: formę separatę non suscipiunt magis vel minus, si quæ susciperent, potiùs essent, quę sunt in materia: sed non sequitur hinc, q̄ suscipiant. Ista glossa non mihi placet, quia nihil illis contra Platonem.

2. Dico ergo secundò, quod secundum expositionē Alexandri, nil contra nos: exponit enim sic, forma non est magis substātia quàm materia, sed collata materię est magis substātia, id est, perfectior, quam materia.

3. Dico etiam tertiò, quod etiam si admittamus verba, vt sonāt formę in materia suscipiunt magis vel minus, non secundum se, sed

rationē conditionum & proprietatum materialium indiuiduantiū ipsam formam in materia.

Ad primā ratio nem. Ad primum argumentum respondeo maiorem esse falsam: nō enim intensio effectus prouenit ex intensione causæ, sed ex maiori vel minori dispositione subiecti: vnde sicut in medio ignis idē inducit calorem, quem non inducet in lapide eodem tempore, nō prouenit hoc ex variatione ignis: ita similiter qualitatis ab ipsis formis suscipiunt magis & minus inuaria ta forma substantiali, propter materię dispositionem, vt diximus paulò antè ex Aegidio.

Ad. 2. Et per hoc respondetur ad secūdum: operationes enim præsertim animalium & hominis variæ sunt, secundum perfectionem etiam in eadem specie, propter diuersam dispositionem organorum corporalium, quibus operationes illæ exercentur: vnde animę hominū æqualiter perfectę sunt in se quo ad naturam, at quia hæc aptiùs sortita est corpus, perfectiùs operatur, sicut scriba benè scribit calamo apto, alius ita bonus, malè calamo inepto.

Ad. 3. Ad tertium dico, quod ignis passio non est quicunque calor, sed intensissimus, & coniunctus cū siccitate: calor verò citra summum alijs inest subiectis: Aut potiùs propria passio non est calor, sed esse calefactiuū. Et hęc satis de quæstione.

CAPVT. IIII.

De generatione autem, & alteratione dicamus. Tex. 23.

Cōstituitur differentia inter generationē & alterationem. DIfferētiā inter generationē & alterationē constituit, ex qua quid vtraq; sit, cognoscitur: potuit autē fundamentum vnū, *1 fundamentum Aristot.* q̄ aliud est subiectum, aliud passio, quę de subiecto dicitur, vt aliud, homo, aliud albedo, aliud corpus, aliud color, aliud animal, aliud sanitas,

Addit alterum fundamentum, *2. fundamentum* quòd vtrunque contingit pati mutationem: aliquando enim est mutatio in passione tantū, vt aliquid, puta homo, ex albo niger fit, tamen manet homo: aliquando etiam est mutatio ipsius totius & subiecti, vt cùm aqua in aerem, & cibus in sanguinem conuertitur.

His suppositis, dicit duo, alterū est, cū mutatio tantum fit in passionibus subiecto sensibili (id est subiecto in actu, & composito, vt exponit Philop.) manente, tunc est alteratio: alterum est, cùm verò ipsum mutatur, nec manet sensibile subiectū, id est, cōpositū, sed aliud & aliud, tunc vnius est generatio, alterius corruptio: atque hæc est differentia inter mutationem quę est alteratio, & eam quæ est generatio & corruptio.

Maximè autem si trāsmutatio fiat Tex 24.

Hanc substantię mutationem, que totum ipsum mutatur maximę

Vbi maximè apparet mutatio substãtiæ

mæ apparere docet, cum ex insensibili fit sensibile, vel ècõtra: cùm aer ex aqua, vel aqua ex aere fit, hinc enim patet totum ipsum mutari magis, quàm in alijs, vbi vtrumque est sensibile, puta cùm vinum in acetum mutatur.

Nota.

Dicit autem quòd sensibile vocat, quod sentitur quocunque sensu tactu vel alio quouis. At ne quis dubitet, quomodo aer insensibilis dicatur, cùm sit calidus, & humidus. Respond. esse quidem sensibilem, sed parum propter subtilitatẽ, vel raritatem, & sic quodammodo insensibilibus dici potest.

In his autem ſi aliqua maneat paſsio

Dubium proponit Ariſtot. An in generatione ſolum totũ mutetur.

Variè diuersi interpretes textũ hunc exponunt, sed mihi non videtur adeò difficilis, vt multis indigeat expositionibus: sensus igitur est. Cùm dixisset Aristot. in generatione totum mutari, in alteratione qualitates, est dubium, an in generatione solum totum mutetur, & non qualitas, sicut in alteratione qualitas, & non totum.

Solutio.

Respon. quod cùm qualitas est communis genito & corrupto, nõ est opus quod illa mutetur in suã oppositam. Vt si aqua mutetur in aerem, quia vterque est humidus & transparens, non oportet quod humiditas aquæ mutetur in suam oppositam, scilicet siccitatẽ: quia etiam aer est humidus: atque hæc est huius loci expositio fidelis.

Nota.

An tamen ex hoc loco concludatur, accidentia aliqua geniti manere, quæ erant in corrupto, dicemus in quæstione circa hoc, in qua latè hoc examinabitur.

Si autem non, erit alteratio, vt muſicus homo.

Quando non mutatur totum ſubiectum eſt alteratio.

Quamuis aliqui laborent circa huius loci expositionẽ, mihi placet expositio Aegid. & Pauli, quod ista verba respondeant antecedentibus, quibus dixit esse generationem & corruptionem, cùm totum mutatur, modo addit, quod si totum non mutatur, non erit nisi alteratio: vt cùm homo musicus fit immusicus: si musica, & immusica essent formæ, & constituerent aliquod per se, tunc esse horum generatio & corruptio, quamuis manere homo: at cum passiones sunt subiecti manentis in mutatione, tunc secundum talia erit alteratio non autem generatio, nisi secundum quid, puta hominis musici vel immusici.

Quando igitur ſecundum quantum ſit tranſmutatio.

Alteratio & generatio diſtinguuntur ab alijs mutationibus Primò.

Distinguit has duas mutationes, puta alterationem, & generationem ab alijs: nam cùm mutatio est in quantitate, est augmentatio, vel diminutio: quando in loco latio: quando in qualitate est alteratio: quando verò in subiecto ipso, cuius est passio & accidens, est generatio & corruptio.

2.

Statim comparat omnes non ratione termini, sed in subiecto: dicitque quod generationis subiectum est maximè materia: est enim omnium subiectũ primum. Reliquarum subiecta sunt aliquo mo-

do

do materia, scilicet secunda, materia quidem, quia suscipit cõtraria extrinseca, sed non maximè materia, quia est cõposita habẽs adhuc materiam. Atque hæc est de generatione, & alteratione.

QVESTIO. V.

An generatio ab alteratione destinguatur.

1. Arg. NOn indiget titulus declaratione, quia satis est manifestus.

At est argumentum primum, quo probatur non esse mutationes distinctas in essẽtia. Si distinguerentur, maximè esset in subiectis, quia generationis subiectum est materia, quæ est ens in potentia: sed alterationis subiectum est ens actu: sed hæc nulla est differẽtia, quia etiam materia secundum se suum habet actum, quãuis autem non sit ita perfectus, sicut actus compositi, non videtur hoc sufficere ad faciendam distinctionem genericam inter generationem, & alterationem.

2. Secundò, tam extra essentiam materiæ est forma substantialis, quam extra essentiam subiecti est forma accidẽtalis: vt ergo subiectum dicitur alterari secundum accidentales formas, ita etiam materia secũdum substãtiales: & generatio erit quædam alteratio.

Tertiò, si differrent istæ mutationes, ex eo esset quòd alteratio est excõtrario in contrariũ, non autem generatio: sed generatio etiam est à contrario in contrarium, & à subiecto in subiectum, vt ex aqua in ignem, & contra: ergo non est differentia inter ista.

Aduerte primò quid sit generatio, quid corruptio, quid alteratio: ex his enim quæ in tex. dicta sunt possunt earum definitiones componi. Est enim generatio mutatio ex non substantia in substantiam: corruptio verò mutatio ex substãtiam in non substantiam. Vbi per substantiam intelligimus compositam, & actu perfectam substantiã: per non substantiam, verò imperfectam, & inconsummatam substãtiam, vt sit sensus, generatio est mutatio, qua completa sit composita substantia ex imperfecta & incompleta: contra verò corruptio. Alteratio verò est mutatio secundum qualitates, seu passiones, *1. fund. quid sit generatio corruptio & alteratio.*

Aduerte secundò, q̃ ex differẽtias possumus constituere inter generationem, & alterationem. *2. fund. ex d differentiæ inter generatiõẽ & alteratiõnem.*

Prima est ex parte terminorum ad quos: nam generatio est secundum formam substantialem, alteratio verò secundum qualitatem, & hinc sumitur essentialis differentia & generica inter has duas mutationes, puta penes terminos ad quos genere differentes. *1. ex parte terminorũ ad quos.*

Secunda est ex parte terminorũ à quibus: nam alteratio est à subiecto, idest, à contrario positiuo, at generatio est, à non subiecto, & ab opposito priuatiuo: est enim alteratio ab albo in nigrum, at generatio ex non homine in hominem. *2. ex parte terminorum à quibus.*

Huius autem ratio duplex esse *1. Ratio*

potest, prior est, quia in alteratione, qua fit ad contrarium, terminus à quo semper est determinatus: si.n. est ad calidum, semper est ex frigido: & quod tendit in nigrũ semper est ab albo vel á medio: at in generatione non est certus semper terminus à quo determinatus positiuus: ignis enim aliquando ex aqua, aliquando ex aere, aliquando ex alio fit: similiter corrumpitur: ob id non sumimus terminum positiuum, sed priuatiuum, quia semper iste est, vt ex non igne fit semper ignis.

2. Ratio. Posterior ratio est, quia alteratio habet vniuersaliter quantitatem, & successionem in forma ad quam tendit. Ad explicandã autẽ hanc quantitatem sumimus contrarium, vt ab albo in nigrum Si enim diceretur à non nigro in nigrum nulla esset hic quantitas, quia ex non nigro nigrum in instanti fit: at generatio non sic: est enim indiuidua, instãtanea, ob id priuatiuum terminum sumimus.

3. differentia ex parte subiecti. Tertia differentia est ex parte subiecti, quod enim dicitur alteratione mutari, est compositum totum: at quod generatione mutatur, & idem manet sub vtroq; termino mutationis, materia est: nam compositum, quod ante erat, non manet, quod succedit, non erat ante, ob id neutrum mutatur: quod enim mutatur, debet idẽ sub vtroque termino mutationis manere: in generatione autẽ, & corruptione sola materia prima talis est.

Quarta est ex parte successionis motus: nam in alteratione inuenitur fere semper quantitas, quia fere omnis successiue est, præsertim quæ inter cõtraria fit: atque hinc sequitur quod tẽpore mẽsuretur, & ei adæquetur: at generatio pura non est successiua, nec tẽpore, sed instanti temporis mensuratur. Dico puram generationẽ, ideſt, secũdũ, suã solam naturã cõsideratam: aliquando enim generationem vocamus mutationem instantię cũ præuia alteratione, & tunc successiua est, sed non secundum se. 4. ex parte successionis motus.

Quinta est, quod generationẽ præcedit semper alteratio coniuncta ei at, nõ è cõtra, præcedit generatio alterationem ei coniunctã de necessitate. Dico ei coniunctã quia bene generatio præcedit: nã res postquam generata est, alteratur, sed generatio nõ est cõiuncta alterationi, ita vt nullum intercedat tẽpus: & hoc dico d necessitate, quia accidit simul atque generata est res alterari, sed non id ex se postulat alteratio. Præterea alterationem nõ semper præcedit alteratio, quia calefit aliquid, non præcedente necessario alteratione alia Dico, non semper, quia alterationem quę fit secundũ qualitates secundas, præcedit alteratio semper secundum primas, vt dictum est libr. 7: physic. 5. ex parte dispositionum præcedẽtium. 6. ex parte expulsionis alterius formę.

Sexta est, in alteratione nõ semper cum vna forma introducitur, expellitur altera, nec contra: nã lumen introducitur absque expul-

sione,

sione formæ, & recedit absq; alterius introductione. At in generatione semper, & vniuersaliter nō inducitur vna forma in materiam nisi expellatur altera, nec vna expellitur, quin altera inducatur.

Nota. Et attēde quod nō dico q̄ corrūpatur, sed quod expellatur; anima n. rationalis aduentu alterius expellitur à materia, sed nō corrūpitur. Ex his omnib⁹ infertur & probata remanet cōclusio q̄d differūt maximè generatio, & alteratio.

Ad. 1. Ad primū argumētum respon. Argum quod est magna differentia inter actum materiæ, & cōpositi: materia n. est actus nō per se, nec propter se, sed est dimidium ens naturale: at compositū est ens iam consummatum. Vnde differt mutatio vtriusque maximè, quia mutatio materiæ nō est propter ipsam, sed propter compositum, & per talem materiam consummatur, & perficitur ad tale compositum, at alteratio non consumat compositum, sed disponit, & ipsum ordinat secundum aliquē modum: vnde materia non dicitur altera per formā, sed perfecta.

Ad. 2. Et per hoc etiam soluitur argumentum secundū, quia forma substantialis facit vnum ens, at non accidētalis, nisi vnum per accidens, sed potius superuenit vni enti.

Ad. 3. Ad tertium solutio patet ex secunda differentia posita inter generationem, & alterationē, sit quidem generatio aliquando ex cōtrario, sed nō vt ex termino per se, sicut fit alteratio, ppter dictas causas ibi. Et hoc sit satis de qōne.

QVAESTIO VI.

An alteratio sit motus continuus.

POstquam quid esset alteratio diximus, & quomodo à generatione differat, examinare oportet, an alteratio *sit* successiuus motus, & continuus, in hoc n. dicebamus à generatione differre: & videtur quod non sit vlla alteratio cōtinua. Primo dicit Aristo. expresse. 8. Physi. tex. 23. dicere alterationem fieri continue, est aduersari valde manifestis, *Arg. 1. ab auctoritat.*

Et vltra hoc est ratio prima: si alteratio est continua: puta calefactio, fiet in aliquo tempore incessanter, hoc autem esse non posse probatur: si in toto tempore isto est calefactio, ergo in quocunque instanti res est facta magis calida: sed sunt in tali tempore instantia infinita, ergo in fine illius temporis erit infinitus calor, quod est impossibile: non ergo alteratio cōtinua esse potest. *1. ex ratione.*

Præterea est altera ratio: Si alteratio fieret cōtinue, esset diuisibilis in infinitū, sicut motus & quodlibet continuum: sed hoc esse non posse probatur: si enim calefactio in infinitum diuisibilis est, non dabitur primus gradus caloris aut qualitatis, nec prima pars subiecti, quæ calefacta sit: ergo iam non dabitur minimum naturale, quod videtur falsum, & contra ea, quæ diximus. 1. Physic. 2.

Præterea tertiò cuius motus termini 3.

mini non possunt continuari, nec ipse motus potest esse continuus, at alterationis termini non possunt continuari cum sint contrarij: nō ergo potest alteratio esse continua: confirmatur ex Aristotel. 6. physic. text. 58. vbi motus in contrarijs, aut contradictorijs factos ob id vocat non continuos.

1. fund. Difficultas duplex in hac q̃ne Qualitas dupliciter diuisibilis.

Circa hoc aduerte, difficultatem esse duplicem: est enim qualitas dupliciter diuisibilis: vno modo secundum extensionem in subiecto: diuiditur enim albedo secundum diuisionem partium subiecti, cui inest, similiter quælibet alia sensibilis passio: altero modo secundum intensionis gradus, eo quod qualitas habet certam graduum latitudinem, secundum quā est intensior vel remissior in subiecto vno.

Duplex alteratio

Cum igitur dupliciter diuidatur qualitas, duplex est alteratio, altera quę fit secundum partes subiecti, cum calefit subiectum quantū secundum suas partes: altera quæ secundum graduum intensionem, cum idem subiectum ex calido fit magis calidū, & ex non calido calidum: & de vtraq; alteratione est difficultas, an sit continua ita vt duret per aliquod tempus absque interpolatione & quiete media.

Opinio Aegid.

De hæc re sunt tres opiniones, diuersæ: prima est Aegidij quæst. 26. qui dicit, quod alteratio quoad intensionem est continua, tamen quoad subiecti partes est discontinua, & interrupta: imaginatur enim sic fieri calefactionem quod accedat ignis aquæ, & per tempus disponit minimū, in quod potest introduci calor, & per totū minimum in vno instāti calorē introducat, sed per tempus continuè intendat introductum, postea cessat, & disponat secundum minimum, & in instanti introducat: & sic de alijs minimis: vnde non est, continuus motus quantum ad extensionem, sed est successiuus, quia pars post partem alteratur, media tamen est quies: at quo ad intensionem est continuus, quamuis nō omnino, quatenus intensio vnius minimi, & alterius non videntur omnino esse vna, & sic intensio totius continui non est omnino et ā continua. Hanc sententiam videtur sequi Iandunus lib. 8. Physic. quæst. 8.

2. opinio quorūdā ex discipulis Thom.

Altera sententia est quorundam Thomistarum credentiū esse sancti Thomæ. 8. Physic. text. 23. & re vera non est, solum enim de augmentatione ibi loquitur. Hæc igitur sententia est, quod nec quoad intensionē, nec quoad extensionē est alteratio continua, sed discontinua, ita vt ignis in hoc tempore disponat primum minimum subiecti, & in instanti per totum inducat calorem, & per aliud tempus cessat, & disponat aliud minimā, & in instanti inducat, & sic de alijs. Idem etiam quoad intensionem, per tempus enim disponit, & & inducit vnum gradum totum, postea disponit, & inducit alium,

& sic

& sic consequenter. Ista opinio solum innititur primo argumento facto in principio quęstionis.

3. Sentē. Tertia sententia est ferè cōmunis, quod sit continua, & quoad intēsionem, & quoad extensionem, ita vt non fiat per instantia, quiete interrupta, sed per aliquod tempus continuum, & huic maximè fauet Aristot. 6. Physic. text. 57. & 58. vbi diuisibilem dicit alterationem, & augmentationem, sicut motum localem.

2. concl. Altera tio quoutrūq. sepe est continua. Arg. At vt quid mihi in hac parte videatur tenendū, aperiam: sit prima conclusio. Altera quod vtrunque continua est sępe: dico sępe, quia aliquando euenit secundum subiecti partes non esse continuam, sed totam simul, vt dicemus postea. Hęc conclusio, meo iudicio, probatur euidenter, & primò suppono vnum principium certū: quando agens est debite approximatū passo, necesse est quod agat in ipsum statim. Ex hoc argumentor, demus ignem approximatū aquæ, & sit iam primum minimum calefactum: si per te tēpus est, in quo non calefacit secundum, ergo agēs non agit in passum cùm sit debitè approximatum.

Reiicitur solutio quorūdā. Dicunt isti, quòd tunc disponit illud minimum: sed contra hoc est ratio fortis vel introducit aliquid vel non: si non, ergo non disponit: nā impossibile est intelligere quomodo disponat, nisi agat, si agat, ergo alterū patitur, si patitur, ergo recipit: si ergo recipit per illud tempus: vide iam alterationem continuam in tempore, quā negas. quod si adhuc ista fiat in instanti, debes tandem deuenire ad dispositionē in tempore, aliter per tempus nihil aget agens: profectò hoc argumentum concludit.

2. Prætercà est altera ratio, quia qualitas prima, qualis est calor, nō habet aliam dispositionem in aqua præcedente, quia ista non est nisi raritas, & hoc ipsi dicunt: sed est impossibile: nam aquæ raritas est effectus caloris, nec ignis rarefacit, nisi calefaciendo, quia ignis raritas non est actiua, vt possit raritatem facere: non ergo introducit illam, nisi introducendo calorem, & oppositum nō est audiendum: quamuis non nego raritatem aliquando præcedere calorem, vt in motu duorum lapidū fit ignis, vel motus efficit calorem rarefaciendo. sed ignis non potest hanc raritatem facere, quia non se cōfricat cū partibus aquę, cōcludamus igitur quòd alteratio continua est.

3. Est tertium argumentū. Si sit per illa minima alteratio, sequitur q agens intentissimū & debilissimū ęqualiter agunt, quia vtrumq; nō nisi minimum gradum introducit, & minimam partem alterat in singulis instantibus.

Reiicitur solutio quorūdā. Aliqui hoc admittunt, sed dicūt quod quamuis ita sit, tamen agens fortiùs frequentiùs alterat, q̄ non ita fortè, sed profectò hoc non est recipiendum, quia si Deus impediret actionem vtriusque in alte-

ro in ſtanti, quis poſſet capere, q̃ tantum ageret calor vt octo, & calor vt duo?

4. Quartum argumentum eſt, quia tunc non eſſet alteratio vna, ſed plures mutationes ſimul coniunctæ: docet enim Ariſtot. lib. 5. Phyſic. quòd ſi quies intercedit, non eſt vnus motus, & lib. 8. ob id negat eſſe vnum motum reflexũ cum ſimplici.

Coſima. Præterea, quia ſi aliquis modo calefieret, & quieſceret per diem, & ſtatim calefieret, etiam diceretur vnus motus, quod eſt falſum: nam parum refert, quod quies ſit magna, aut parua.

5. Quintũ argumentũ eſt, concludens ad hominẽ: ipſi dicunt quod motus localis eſt omnino continuus, ex hoc ſumitur argumentũ. Rarefactio eſt coniuncta cum motu locali, quia non fit rarefactio quin locus acquiratur, ſed localis motus eſt continuus: ergo & ipſa rarefactio, hæc autẽ alteratio eſt, ergo eſt continua alteratio.

2. fund. Secunda concluſio: in alteratione datur primus gradus acquiſitus, & prima pars ſecundum ſubiectũ. Explico, cum ignis accedit ad aquam, datur vnus primus gradus caloris in vno inſtanti introductus, ſimiliter prima & minima pars aquæ calefacta.

2. Ratio. Hæc concluſio quantum ad minimã extenſionis probatur, quia ſi non datur prima pars quæ ſit calefacta, ſed ſemper minor & minor præceſſit, ſequitur q̃ nec dabitur minimũ ignis: & ſubſtãtiæ, qđ falſum eſſe ſuprà oſtendimus.

Probatur ſequela, quia calor diſponit ad formam ignis, ſicut ergo non datur primum in calore, nec dabitur ignis minimũ: quia videmus v.g. minimum ignis ſit A.B. ſi in medietate poteſt induci calor, detur quòd intendatur ibi vſque ad octo, peto, an erit ignis, vel non, ſi eſt, ergo minor minimo, ſi non, ergo poſita ſumma diſpoſitione, non erit forma.

Præterea, quia ſummus calor erit cum forma aquæ, vel erit materia ſine forma: neceſſe eſt igitur, quod ſi non datur iſta diuiſio in igne, ſed eſt minimum, q̃ etiam ſit in accidenti. 2. Ratio

Præterea, quia agens & alterans ſemper eſt applicatũ æqualiter alicui parti paſsi: & ſic nõ in minori, & minori prius inducit qualitatẽ. 3. Ratio

Hoc etiã patet de intenſione: nã vix intelligi poteſt, quòd detur forma aliqua permanens, & incipiat, nec detur pars primò producta, cum agens ſit certę & determinatæ virtutis. Iſta etiam ſententia eſt Auerrois expreſſa. 8. Phyſic. comment. 25. & Iandu. lib. 6. q. 15. & Aegidij. q. 25. huius.

Nec propterea exiſtimes quòd nos ponimus in motu primum mutatũ eſſe: nã iſte gradus, & hoc minimũ primũ mutatione inſtãtanea producuntur, nec ſunt quicquã motus, ſed ſunt vltimum non eſſe motus, quia tunc nõ eſt motus, ſed immediatè poſt illud erit: & ita *In alteratione nõ datur primum mutatũ eſſe.*

eſt

est intelligendus Arist. lib 6. Physic. tex. 55. & 56. quamuis nõ negarẽ illic magis dicere quòd non datur primũ: nã docet simpliciter quod ex albo incipit nigrum per motũ, & non per mutationẽ, propterea est probabilis sentẽtia tertia proposita. At S. Tho. 8. Physi. tex. 23. dicit ad illũ locum, quod loquitur in genere de motu, & non descendit ex professo ad motum particularem.

3. fund. Tertia conclusio, post primum istum gradum, & minimum non inducitur calor, nec quoad intensionem nec quoad extensionem nisi successiuè continuè. Et ratio Ratio. est, quia iã posteriores gradus adueniunt primò, & minima posteriora sunt primò continua: & sic quantumcunque illorum pars minor prius producatur, non dabitur, minus minimo per se existẽs, vt alibi declaratum est.

4. fund. Quarta cõclusio. Hoc nõ habet locum de partibus latitudinis, & longitudinis semper, quia frequẽter alterantia sunt maioris quantitatis, quàm sit minimũ, etsi magnam partem simul alterãt: at verum habet de partibus profunditatis, in quas posteriores, & interiores posteriùs alterãtur, cùm ab agẽte magis distẽt, nec in hoc est id vniuersaliter verum: sunt enim alterationes quæ secundum subiecti partes simul fiunt, vt patet de coagulatione, & congelatione, de quibus multoties diximus.

Ad primum argumẽtum dico, quòd sicut motus localis est continuus, ita vt in quocunque instanti mobile sit in alio loco, non tamen ob id conceditur spaciũ esse infinitum quia sunt infinita instãtia in potentia, ita similiter in alteratione circa qualitatem, & profectò mirabile est quod isti admittunt in motu locali, non autem in alteratione, cùm tamen vtriusque æqua sit ratio. Ad. 1.

Ad secundum patet solutio ex secunda conclusione. Ad. 2.

Ad tertium dico, quòd motus alterationis est in termino ad quem: vnde dealbatio est albedo fiuès, vel potius fluxus quo ipsa fluit, terminus à quo extrinsecus est, ob id quamuis non sit continuus, non aufert motus continuitatem. Motus localis excedit in hoc alterationem, quia eius termini possunt esse continui: ac ob id Arist. vocauit alterationem illic discontinuam, sed non semper, vt diximus in expositione illius loci. Hæc satis. Ad. 3.

QVAESTIO VII.

An in corruptione fiat resolutio vsque in primam materiam.

SOlennis est quæstio hæc, in his libris, & valdè vtilis in qua tria exequemur: primum est, sensum quæstionis aperire: alterum est sententias philosophorũ cum ipsorum potissimis rationibus proponere: tertiũ quid probabilius mihi videatur ostendere. *Quid sit faciendũ in hac re.*

Explicant ſenſum quæſtionis.

Circa primum aduerte, quòd non quæramus, an poſt rei corruptionem maneat materia nuda: hoc.n. impoſsibile eſt. Nō enim materia abſq; vlla forma eſſe poteſt, quod ſi hęc recedit, illa ſuccedit: ſed ſenſus eſt, an cū aliquid corrūpitur, & alterum generatur, nihil corrupti maneat in genito, niſi ſola materia. v.g. corrumpitur homo, fit cadauer, an in cadauere nihil hominis maneat, niſi ſola materia prima vel maneat aliquid aliud.

Duplex hæc in re difficultas, videlicet de ſubſtantiali forma, & accidentali an in corruptione aliqua maneat.

Et attēde, q̄ eſt duplex difficultas in hoc; altera eſt, an maneat aliqua forma ſubſtitialis. v.g. corrūpitur homo, manet ne aliqua forma ſubſtātialis, quæ erat primò, hominis? aliqui enim dicūt, q̄ ſic, puta qui ponūt formā corporeitatis ſubſtantialem, vt Auicen. & Scot. ſed cōtra hos diſputauimus. 1. Phyſi. Alij ponunt formas elementorum in mixto, ſed contra hos dicemus in capite de mixtione.

Modo ſupponamus nō eſſe niſi formā vnā ſubſtātialem in cōpoſito, & petimus de accidentibus, an quando corrumpitur aliquid, maneat aliqua ipſius qualitas aut accidens in genito, aut nihil niſi ſola ipſius materia prima, & per hęc patet quæſtionis ſenſus.

1. Sentē. fieri reſolutionem in generatione vſque ad materiā primam.

Sunt autem circa hoc duę celeberrimę opiniones, prior eſt eorū qui aſſerunt, quod ſemper in corruptione fit reſolutio vſq; in materiam primam, ita vt nullum accidens maneat idem numero in genito & incorrupto.

In generatione ſunt duplices diſpoſitiones

Notāt aūt q̄ in qualibet generatione cōueniunt diſpoſitiones duplices, quædā antecedentes rem ipſam generandā & introducentes ipſam formā, at iſtę corrūpuntur cū forma, quę recedit, à materia per primū non eſſe, & ſequuntur aliæ ſimiles diſpoſitiones cum forma producta per primum eſſe conſeruātes ipſam in materia. v.g. ignis exſiccat, & calefacit aquam, donec forma aquæ expellatur, & inducatur forma ignis: expulſa autem forma aquæ, corrūpitur totus calor & ſiccitas quæ in ipſa erant, quia ad ſubiecti corruptionem corrumpuntur quę in ipſo ſunt, & inducitur forma ignis cum nouo calore, noua ſiccitate, & alijs diſpoſitionibus.

Authoris huius ſententiā D. Tho. Aegid. &c.

Hæc ſententia eſt S. Thom. & AEgid. 2. gen. tex. 25. & lib. 1. tex. 24. & Capreo. 2. ſent. d. 15. q. 1. & Pauli. Sonz. 8. Met. q. 9. & Gaieta. de ente & eſſentia. q. 17. & communis Thomiſtarum.

Potiſsima argumenta huius ſententiæ ſunt iſta. Primū eſt. Accidens, eſt q̄ aduenit enti in actu, ergo ſubiectum cui accidens inhæret, eſt totum compoſitū, ergo deſtructo compoſito neceſſario deſtruetur accidens, ergo nihil corrupti manebit in genito. *1. Arg.*

Secundum eſt. Si accidens eſt in materia immediatè, & non in compoſito, ſumo ipſam materiam cum accidenti, & peto, an ſit vnū per accidens, vel per ſe, non per ſe, vt notū eſt, ergo p̄ accidēs: *2.*

ſed

sed omne per accidens præsuppo nit per se, ergo ante accidēs prius natura est forma in materia; ratione cuius est vnum per se.

3. Tertium est, accidens vnum numero nō potest migrare de subiecto in subiectū, sed si accidēs corrupti manent idē in genito, vtique esset migratio accidentis, vt notū est: ergo fieri non pōt vt maneat.

4. Quiarrò Aristot. text. 23. dicit, quod generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili manente, sed si maneret accidens idem, iam maneret aliquod sensibile in vtroque toto, ergo non esset generatio.

5. Quintò. Sequeretur, quod esset idem motus continuus vtriusque, & diuersi subiecti, quod est impossibile, probatur sequela, combura tur homo, vel animal viuū, & continuetur calefactio vsque ad cineres, tunc si idē est calor in mortuo qui erat in viuo, & talis calor semper intēditur, ergo erit calefactio continua duorum subiectorum.

6. Sexto. Sequitur etiā quod cum animal moritur, ille calor qui manet, est idem cum priore viui: sed probatur quòd non possit hoc esse: calor enim mortui inducit putrefactionem, calor viui conseruat, ergo non potest esse ille calor idem. His argumentis innititur hæc sententia.

2. sentē. non fieri resolutio nē vsque ad materiam primam.

Altera sententia est huic oppo sita: Distinguit n. duplex subiectum accidentium: alterum inhæsionis: alterum prædicationis & denominationis: materiam constituunt subiectum inhæsionis, cui insunt accidentia: at compositum est subiectum prędicationis, de ipso enim accidentia denominatiuè prædicantur. Ex hoc sequitur, quod cum maneat idem subiectū inhæsionis, non repugnat aliqua accidentia manere eadem in genito, quæ erant in corrupto.

Duplex subiectū inhæsionis, et denominationis.

Auctores huius sententiæ Albert. & Auerr.

Hæc sententia est Alber. Mag. tracta. 2. c. 2. & Auerr. 1. de gen. cō ment. 1. vbi dicit eandem esse materiam alterationis, & generationis: & similiter comment. 24. & Albert. Saxo. q. 6. & Marsil. q. 7. & Greg. 2. sent. d. 12. quæst. 2 ar. 2. & communis Nominalium.

1. arg.

Argumenta huius sententiæ potissima sunt, quæ sequuntur. Primum est ex Aristot. hoc tex. 24. vbi dicit accidentia communia genito & corruptio manere in generatione: & lib. 2. tex. 25. dicit elementa symbola facilius transmutari, quia vnam qualitatem habent communem, vt aer, & ignis: vterque enim est calidus, humiditas sola contraria est.

2.

Secundum argumentum communissimum est Nominaliū: frustra fiunt per plura quæ possunt fieri per pauciora, sed ad formam generandam sufficiunt dispositiones præcedētes: ergo frustra ponūtur aliæ, quæ sunt similes prorsus.

3.

Tertium est. Si non manet eadem qualitas, sequitur quod aliquid corrumpitur sine corruptione, quòd est impossibile: probatur

ſequetur: cùm aer in ignem conuertitur, ſi calor aeris non manet, à quo ergo corrumpitur? non à calore ignis, quia calor non deſtruit calorem, non à ſiccitate, quia non ſunt contraria, ergo non habet corrumpens.

4. Quartò. Sequitur etiã quod aliquid generatur & non habet generans: probatur, moriatur animal: manent albedo, ſapor, & alia accidentia, ſi verò non, à quo ergo generantur? quia non eſt vlla cauſa efficiens, niſi gladius corrumpens animal: at tale agens non poteſt ſimiles producere effectus.

5. Præterea quintò. Aliquid generaretur à ſuo contrario, patet, Demus quòd moriatur animal ex nimio frigore, tunc per aliquod tempus inuenitur calor in cadauere: ſi ergo non eſt idẽ, ſed de nouo productus, iam fieret à frigiditate contraria, quod eſt impoſsibile.

6. Sexto. Experientia probatur, quia vix credibile apparet, quòd in homine mortuo non ſit eadem cicatrix, eadem figura, eadem dimenſio, quæ erant ante, præſertim quia ſi de nouo producta ſunt, fruſtrà ſunt producta, cùm talia accidentia non ſint neceſſaria ad formam cadaueris. Hæc eſt ſententia horum, & rationes ipſorum.

1. Concl. Supereſt vt quid mihi probabiliùs videatur aperiam. Sit igitur prima concluſio. Reſolutio ſit vſque in materiam primam mediatè, & poſt multas corruptiones. Explico, cùm homo corrumpitur in cadauer, & iterum cadauer in aliud, & hoc iterum: profectò iam poſt tot mutationes non eſt vllum accidens quod erat hominis, ſed ſola materia. Explicatur concluſio.

Hæc cõcluſio eſt certa apud omnes, præter Auerroem, qui quantitatem manere perpetuò cum materia autumat: ſed contra iſtam ſententiam diximus iam lib. 1. Phyſic. de qualitatibus verò, alijſque accidentibus, nulli eſt dubium.

2. Concl. Secunda concluſio. Aliquando immediatè, ex prima mutatione fit talis reſolutio vſque in materiam primam, vt patet in combuſtione paleæ, & in mutatione elementi non ſymboli, & alijs huiuſmodi. De his duabus concluſionibus non eſt magna difficultas.

3. Concl. Tertia concluſio. Non ſemper fit reſolutio immediatè vſque in materiam primam. Hæc concluſio mihi videtur multo probabilior quam oppoſita. Explicatur concluſio. Aduerte ergo accidentia eſſe in duplici differentia: quædam enim ſunt communia geniti & corrupti: quædam propria vni: ſcias enim quod genitum, & corruptum ſemper ſpecie, vel genere differunt: nunquã enim primò vnũ in aliud eiuſdem ſpeciei corrumpitur, ſed alterius, vt homo in cadauer, ignis in aquam, aer in ignem, & idem in omnibus. Explicatur concluſio ex accidentium differentia communium & propriorum.

Vnde accidentia propia ſpeciei corrumpuntur, nec manent in genito; at quæ generica, & communia ſunt aliquo modo, nec contra-

trarium habent ingenito, nihil vetat eadem manere in mutatione immediata & prima. Istam sententiam mihi persuadeo multis rationibus.

1. Ratio Prima est, illi debent accidentia inhærere, de cuius potētia educuntur, at accidentia educuntur ex potentia materiæ, ergo in ea inhærent. Loquor autem de huiusmodi accidentibus sensibilibus: maior profectò videtur certa, qa vix potest intelligi quomodo si aliquid ex sola materia extrahatur, non sit in ea: minor probatur, summo calorem in aqua, istæ non potest extrahi ex forma, cùm sit forma oppositа, & determinata ad frigiditatem, ergo extrahetur ex materia: & ex potentia communi ad oppositа.

Secundum est. Dispositiones in aqua attingunt introductionem formæ ignis, & ipsam producunt, ergo sunt cum ipsa forma: si enim non essent: quomodo possent producere formam? antecedens autem probatur, quia non est aliud quod proximè attingat productionem formæ, nisi talis dispositio, agens enim non producit substantiam, nisi per accidentia, vt instrumenta.

Quòd si dicas adhuc quòd solus ignis producit, argumentū nō soluitur: ita pono quòd ignes agēs desinat esse per primum non esse eum dispositionibus inductus, tūc nec erit ageus, nec virtus eius, nec oportet casum fingere, hoc enim apparet in virtute seminis, etiam destructo generāte & patre: si virtus illa non est, cum anima incipit & producitur, non potest generari, & profectò mihi videtur argumentum esse admodum fortè.

3. Tertium. Si de nouo dispositiones producantur cum forma ventura, sequitur, quòd calor vt octò, & intensissima qualitas produceretur in instanti, & corrumperetur altera in instanti: vt cùm ignis producitur, & aqua corrumpitur: hoc autē ipsi concedunt, sed profectò gratis, & absque ratione qua id probent necessariò.

Et quamuis hoc de calore dici posset. tñ quomodo dici potest de animali, cuius dispositiones sunt tot organa, tot temperies particulares membrorum? Quis enim credet quòd destruuntur omnes adueniente anima, & in instanti producuntur aliæ? sequitur enim qꝑ frustrà illæ præcesserunt, sat enim fuit animam introducere: non .n. hic potest dici, quod sunt istæ dispositiones priores ad expellendam formam præcedentem, sicut calor in aqua, quia istæ organizationes, & instrumenta nullo modo tendunt contra formam seminis ergo profectò manent eadem adueniente anima, ad ipsiusq; aduē tum perficiuntur.

4. Quartum argumentū est, quod ex mixtionibus sumitur, in quibus formæ herbarum, lapidum, & ipsorum simplicium pereunt, tamen virtutes manent, & qualita-

tes inducentes eosdem effectus, quos ante: nec valet dicere quod iterum de nouo producuntur similes virtutes, quia non est agens quòd possit tales producere. qua enim ratione posset agens producere ex his herbis, quare non ex alijs rebus quas de nouo producit? nō ergo credendum est, sed q̄ manent ipsę eædem qualitates.

5 Quintum est. Cùm corrumpitur animal, & de nouo fit ille calor, petò vel per se producitur à causa quæ destruxit animal, vel mediatè & consequenter: nō per se, quia si occisum est gladio, non videtur gladius, nec vlla causa per se productiua illius caloris, si mediatè: & cōsequēter ad formā cadaueris profectò est impossibile, quia cùm talis calor non sit passio, nec effectus, nec dispositio necessaria talis formæ, sed alienum ab ea, non videtur quod possit conferre ad ipsius productionem.

Reijcitur solutio Caiet.

Nec valet quicquā solutio Gaietani, quòd ideo manet calor ille, quia non potuit ita corrumpi calor, vt in numero, & specie corrūperetur: ob id ille manet non idem numero, sed idē specie. Ego miror Gaietanum qui potest sibi talem conclusionē persuadere: nam qui corrumpit indiuiduum etiam corrumpit speciem in eo existentem: si ergo ille primus calor destructus est, etiam species in eo.

Quòd si dicat, alius est productus, tunc nō est in potentia corrūpētis quòd ille sit, cùm ipsum producat calorem illum.

6 Sextum argumentum est ad hominem. Si forma prius natura est in materiā introducta quam vllū accidens, & dispositio, peto, vel ilia forma e singularis vel non: si non, ergo non est producta, est .n. productio singularium: si ergo est singularis, ergo ante quantitatē & dispositionem indiuiduantur res: non ergo à materia signata prouenit formę indiuiduatio, hoc argumentum magnam habet vim in doctrina eorum, qui tenēt non esse accidentia nisi in composito; dicunt enim alibi esse indiuiduationem formę à materia signata & determinata. His igitur argumentis mihi probabilior apparet proposita conclusio.

Nec argumenta in oppositū habent multum roboris. Pro solutione nota, quòd non ita ponimus accidentia in materia, quòd in ipsa nuda sint, quamuis forma separaretur omnis, nullus enim hoc dicit, sed sunt in materia ita vt habeant aliquam formam, siue hanc, siue illam. *Nota pro solutione argumentorum.*

Ad primū igitur Respon. quod accidentia aduenīūt enti in actu, & composita, quia non sunt in materia, nisi habeat formam, & non insurgunt nisi ex materia, quæ aliquam habeat formam, siue hanc, siue illam: nam quamuis dispositiones vnius antecedant ipsam, non tamen sunt ante alteram formam, quæ erat in materia. Quòd si velis quòd primò & immediatè *Ad 1.*

omnis

omnia inhæreant cõpoſito id nego, ſat eſt quod aduenĩãt, & inſint materiæ, quæ eſt ſubſtantia, licet imperfecta: accidẽtia ergo toti aduenĩunt compoſito alicui, licet nõ inſint immediatè, niſi ratione materiæ.

Ad.2. Ad ſecundum, admitto accidẽs cum materia conſideratum vnum eſſe per accidens, & quòd tale pręſupponit vnũ per ſe, ſed dico hoc eſſe materiam: quis enim negare poterit, materiam ſecũdum ſe ſubſtantiam eſſe? ſi ſubſtantia, ergo & vna, & non per accidens.

Ad.3. Ad tertium dico, quod non eſt illud migrare de ſubiecto in ſubiectum: imò manet idem ſubiectum inhæſionis, puta materia, quæ eadem eſt in genito, & corrupto: repugnat autem quod accidentia trãſeant de materia in materiam.

Ad.4. Ad quartũ patet ſolutio ex textus expoſitione: nam ſecundum Philop. per ſubiectũ ſenſibile cõpoſitũ actu intelligitur, quod mutatur in corruptione & generatione, & idem non manet.

Ad.5. Ad quintum: ſicut diximus libr. 5. eundem eſſe motum cõtinuum cadaueris, & canis viui è turri cadentis, ac media in via obeuntis: ita etiam putamus eandem calefactionem, ſi continuo per illud tempus cõbureretur, quia manet idem mobile ſecundum partem vnam pręcipuam ad motum, & in calefactione manet idem ſubiectum, quamuis non ſit idem ſubiectum denominationis, ac propterea non videatur tantum vnus motus.

Ad.6. Ad ſextum eſt facilis reſpõſio, non enim calor qui erat naturalis inducit putrefactionem in cadauere, ſed calor extraneus, qui plurimus erat ante: & pręterea ipſe etiã calor naturalis, quia non eſt incõueniens vt qui erat naturalis vniformæ, fiat extraneus alteri: ita ergo ſolui poſſunt argumenta contrà concluſionem hanc noſtram.

Sit quarta concluſio; Oppoſita ſententia ſcilicet quod non ſint accidentia vlla eadem in genito, & corrupto, eſt valde probabilis, quãuis, vt dixi, mihi videatur oppoſitum probabilius, & magis tenendum. Sex argumenta quæ facta ſunt in alteram partem ſolui poſſunt, ſi notes duo, quæ ipſe dicunt. Alterum eſt quòd accidentia corrumpi contingit quatuor modis. Primò, à contrario manente ſubiecto: vt calor corrumpit aquæ frigiditatem. Secundò ad corruptionẽ ſubiecti, quando enim ſubiectum corrumpitur, etiam omnia quæ in eo ſunt, & ſic diſpoſitiones antecedentes corrumpuntur non à contrario, ſed ad ſubiecti corruptionem. Tertiò ad corruptionem termini vi deſtructo filio, recedit paternitas. Quartò, ad defectum cauſæ, vt lumen ad defectum lucernę.

4. Concl. prio D. Thom.

1. Notandum pro ſolutione argumẽtorum.

Alterum dicunt, quod accidens aliquando per ſe producitur, & tũc à ſimili: aliquando per accidens, & velut conſequenter, & tunc à diſimili & à contrario: & per hęc aliqualiter ſoluunt argumenta. At

2. Notandum.

que nos proposuimus, non ita facilem habent solutionem.

Ad loca Aristo. Ad. 1. Ad duo loca Arist. potest etiam responderi. Ad primum respondeo pro ipsis, quod Arist. solum dicit hoc quod eum qualitas est cõmunis vtrique, idest, genito & corrupto, non est necesse quod illa mutetur in contrariam, vt quia aer, & aqua humiditatem habent, nõ est opus, cum aer in aquam cõuertitur, quod sicut calor aeris mutatur in frigiditatem, ita etiam humiditas in siccitatem hoc non est opus: non tamen ex hoc colligitur quod maneat eadem, ista est apparens satis euasio.

Ad. 2. Ad secundum respon. S. Thom. eodem loco, quod ideo facilior est transitus in Symbolis, quia est minor resistentia, quia non est nisi vnum contrarium corrumpendũ, in non symbolis sunt duo.

Obiectio Marsilij Contra hoc subtiliter replicat Marsilius, quia si in non symbolis sunt duo corrumpenda, ita etiam sunt duo corrumpentia, & sic videtur eadem propositio vnius ad vnum, & duorum ad duo.

Solutio. Dico, quod non valet instantia, & ratio est, quia humiditas, verbi gratia, in aere minus resistit igni, quia est cum calore, qui minus est proportionatus ei, quam cum est cum frigiditate, tunc enim magis resistit, & propterea facilius est transmutare symbolũ.

Et hęc satis de hac quęstione.

TRACTATVS.
de Augmentatione.
CAP. V.
De Augmentatione autem reliquũ esse Tex. 2.

Propositio duarum quæstionum tractandarum.

POstquam de generatione, & alteratione dixit, nunc augmentationem aggreditur, ac duo tractanda proponit, alterum in quo differat à generatione & alteratione, alterum quomodo fiat augmẽtatio, similiter diminutio.

1. in quo differat augmentatio, ab alteratione.

Circa priorem quæstionem dubitat, an in solo termino ad quem sit differentia inter has mutationes: an etiam in aliquo alio scilicet in modo aliquo, & respondet quod in vtroque: in termino quidem ad quem, quia generatio est ad substantiam, alteratio secundũ qualitates, augmentatio autem secundum quantitatem: in modo quidem quia quod generatur, dum generatur non necessario mutat locum: lignum enim eodem loco manens potest substantialiter mutari: similiter quod alteratur, nam quiescens in loco potest alterari: at quod augetur necessario mutat locum, ob id differt in hoc modo augmentatio, à reliquis, Hęc enim cum mutatione loci, illæ non necessario coniunctæ sunt.

2. An augmentatio & alteratio differant solo termino ad quẽ an in alio aliquo.

Nota ex Philop. quam differentiam.

Notat Philop quod artes tripliciter differunt, quędam in sola materia, vt qui facit statuam ex ligno, & qui facit ex lapide, & qui facit ex ferro: quædam differũt forma sola, vt qui ex ligno facit statuam,

tuam, & qui ex ligno triremes facit: quædam in vtroque, vt medicina, & ars domificandi, & ars fabrilis: ita se habent hæ, augmentatio, generatio, & alteratio, differunt enim in termino ad quem, qui est velut materia, & in modo, qui est velut forma, vt dictum est: & ita in prima quæstione dubitauit in quo differrent, an in vno horum, an in vtroque.

Dubiū. 1. Dubitabis, quare, cum tres sint mutationes, dixit, vtraque mutatio fit ex potentia in actum, quia vtraque videtur denotare duo.

Solutio. Philop. Respondet Philop. quòd duas mutationes, scilicet augmentationem & alterationem sub vna coniunxit, quia vtraque est mutatio accidentis.

Dubiū. 2. Dubitabis vlterius, quia. 8. Physicor. tex. 55. dicit, quod alteratio *Solutio.* præsupponit motum localem, Dico quod non præsupponit motum localem semper sui, sed vel sui vel alterius: hic autem dicitur, quod non est opus quod ipsummet alterabile localiter moueatur, dum alteratur, sicut augmentabile.

Alio autem modo ab eo, quod fertur.

Quomodo quod augetur & diminuitur mutet locum. Cùm dixisset augmentabile vel quod diminuitur mutare locum: explicat quomodo mutet locum: dicitque primo, quod non mutat totum locū, sicut quod fertur, hoc enim vnum locum relinquit, alterum acquirit: at quod augetur non relinquit locum quem occupabat, sed ipsum retinet. Dicit secundo, quod nō retinet ipsum, sicut quod circulariter mouetur, quod intra eosdem terminos secundum partes mutatur, sed mutat locum sicut quod extenditur, quia retinens cūdem locū, ampliorem & latiorem acquirit, in minorem autem se cōtrahit quod diminuitur, non tamē totum deserit.

Quod igitur differt non solum in ipsa.

Tex. 26.

Infert cōclusionē, nō solū differre augmentationem ab alijs in termino à quo, sed etiam in modo, quia cū illa loci mutatione necessario fit, vt dictū est: & sic soluitur prior quæstio in principio posita. *Responsio ad. 1. quæstionem. Augmentatio differt ab alijs motibus, et ratione termini, & modi.*

Secundam autem quæstionem aggreditur, quomodo fiat augmentatio, & ponit quæstionem. Supponitque prius, quod ei ea magnitudines fit augmentatio, quo supposito, petitur quomodo fit augeri & minui secūdum magnitudinem & corpus, quia dupliciter potest intelligi, aut quod augemur magnitudine & corpore potentia, aut actu: & nota quod est quæstio de materia augmentationis & diminutionis. *Quæstio. 2. Arist. quomodo fit augmentatio. Sensus quæstionis.*

Vtrū ex potentia quidē magnitudine.

Tex. 27.

Quæstionem proponit. An corpus seu magnitudo generetur vel augeatur ex nō corpore & magnitudine actu, sed ex corpore potentia vel nō sic. Adhuc sic ex non corpore acta corpore vero potētia, an fiat ex tali corpore potentia, quæ materia est secundum se separata vel non, sed in aliquo existenti. *An magnitudo augeatur ex nō magnitudine.*

Et

Argum. Arist. à diffitio ne. Primum

Et facit argumentū quo probat non fieri augmentationem ex materia separata, tunc enim vel esset absque loco, vel esset vt punctus vel vacuū, vel corpus insensibile talis materia: sed nihil horum potest esse, ergo nō fit augmentatio ex materia separata, quæ sit potentia corpus. Minorem probat quātum ad duas priores partes, quod non possit esse non habēs locum, quia id quod generatur vel augetur, locum habet, ergo etiam ad ex quo debet esse generatio & augmentum debet locum habere, si non per se, saltē per accidens: probat etiam quod non sit vt pūctus, quia tunc esset in alio, & non separata.

Reliqua duo prætermittit, quod non sit vacuum, quia vacuum impugnatum est lib. 4. Phys. cap. 8. & 9. similiter quod non sit corpus insensibile, quia iam etiam non esset per se, sed in corpore: tum etiā, vt dicit Philop. quia non potest esse corpus quin sit sensibile: nam si corpus est, locum habet, & tūc vel sursum vel deorsum, naturaliter vel violentè, & omni modo sequitur, quod sit sensibile, aliter nō haberet locum.

Nota.

Nota, quòd hic locus varie exponitur à multis, & à Philop. quia variè legitur. Mihi magis ad mentē Arist. videtur expositio data, debes tamen supplere vnam coniunctionem quæ deest, vbi dicitur veluti punctus, legi debet: aut veluti punctus, vt habetur Græcè.

Sed si in aliquo inerit. Tex. 28.

Triplex impugnatio vnius partis diuisionis. Quod nō fit corpus in potentia ex quo fit augmentatio. Primo.

Impugnat alteram partem, quòd non sit hoc corpus in potentia in aliquo, ita tamen vt nihil ens sit nec pars, nec accidens eius: si enim aliquid esset, tunc non potentia, sed actu esset: hoc impugnat tripliciter, dicens primo, multa sequi impossibilia. Primò sequitur, quòd esset generatio ex aliquo non corrupto, vt aeris ex aqua non corrupta: patet, quia fit ex eo quod est in aqua, & non est ipsius quicquā, sed sicut vas.

2. Secūdò possent in vno esse infinitæ materiæ, cum nihil illius sint, & locum non occupent, cum non sint corpora, & sic infinita possent actu generari.

3. Tertiò sequitur, quòd cum ex aliquo generatur aliquid, tunc recederet aliquid ab eo, ex quo generatio fit, puta cū fit ex aqua aer, recederet aqua manens, & relinqueret materiam, sicut qui manens alteri relinquit locum. Hęc autem omnia impossibilia sunt.

Melius ergo est facere omnib⁹. Tex. 29.

Materia est inseparabilis ab vnoquoque.

Concludit, quòd cum materia non sit separata secundum se existens, nec in alio, ita vt nihil sit illius, debemus fateri ipsam esse inseparabilem ab omnibus, id est, esse quid in vnoquoque, quod non possit ab ipso manēte separari, atque ita ipsius erit pars, eritque cū ipsa re vnum numero, id est, vnum numero faciens, ratione & definitione distincta, & ita est: materia enim ignis cum ipso vnum est numero.

mero, cùm in ipso existat, ratione autem distincta est, sic etiam in alijs.

Puncta, et lineæ non sunt corporis materia.

Ex quo obiter reijcit eos, qui puncta, & lineas corporum materiam ponebant. Contra hos argumentum ponit, quia puncta, lineæ, & alia huiusmodi, corporis, & materiæ termini sunt: at materia non est terminus, nõ ergo sunt puncta materia, est ergo materia illa, cui insunt formæ, & ista nec ab his separari potest, vt probatum est.

Generatur igitur simpliciter alterum.

Text. 30.

In generatione terminus à quo est corpus actu, non potentia corpus.

Concludit, quòd id, ex quo generatio est, aliquid est, vel corpus actu, & non potentia, sicut id à quo res fit actu etiam est, vel simile in genere, aut in specie, vt in vniuocis causis, aut saltẽ actu, vt in æquiuocis: sicut ergo à quo, est actu, ita etiam ex quo: generat enim ignis actu ex aqua, vel aliquo in actu sibi simile: similiter frigus actu generat durum sibi dissimile ex aliquo actu, puta molli.

Nota primo, materia duplex, vna alterationis, altera compositionis.

Hic nota diligenter, vt intelligas Aristot. mẽtem, quòd materia est duplex, quædam est alterationis, quæ sui mutatione rem conficit, vt mel, & acetum sui mutatione faciunt oximel, & elementa mixtum: quædam est materia compositionis, quæ non destructa rem cõponit, vt lignum arcæ est materia in arte compositionis: at in naturalibus est materia prima in composito per se.

Nota. 2. In generatione repetitur vtraque materia, & in augmẽtatione, sed diuerso modo.

Aduerte etiam, quòd in generatione, præter materiam compositionis est etiam materia alterationis, puta terminus à quo, vt aqua materia est ignis: similiter in augmẽtatione est materia alterationis, cibus extrinsecus sumptꝰ, qui corrũpitur: & in hac materia alterationis conuenit generatio, & augmentatio, & talis in vtràque est corpus compositum: ac ob id Aristot. modò de generatione, modò de augmentatione loquitur hìc: quia communem habent alterationis materiam.

Generationis tamen materia compositionis differt ab ea, quæ est augmentationis, quòd materia generationis non est corpus, sed prima materia: at in augmentatione est corpus actu: nam (vt dicemꝰ) cibus, qui est materia alterationis, conuertitur in propriam substantiam rei viuentis, & sic cõuersus, & factus actu, auget tunc: vtraque ergo materia in augmentatione est corpus actu, vt latè dicemus post.

Quoniam autem est & substantia.

Text. 31.

Materia augmẽtationis est corpus actu, non commune corpus, sed particulare & singulare 1. Ratio.

Cùm dixisset, augmentationis materiam corpus esse, seu materiã vt est à re inseparabilis, nunc probat, quòd nõ qualecũque corpus, sed particulare, & singulare, non enim corpus actu in cõmuni, sed hoc, & illud, est materia augmentationis: & hoc sic probat, materia, vt est in corpore, est materia augmentationis: sed non est corpus

pus, quod nõ sit hoc corpus singulare, ergo corpus singulare est materia augmentationis.

Probat, q̃ omne corpus sit corpus singulare; quia nullum est vniuersale corpus separatum.

Nota. Idem esse alterationis, & augmentationis subiectũ ratione differre.

Ex quo fit, quòd corpus est quale, & sensibile, & idem est alterationis, & augmentationis subiectum, quamuis ratione differant, non tamen re, vel loco: idem enim est corpus, quod est quantũ, & qđ est quale, & eundem occupat locum: nisi quis velit dicere, qualitates esse separatas, quod est impossibile, ratio tamen vtriusque est diuersa, secundũ enim quantitatem est augmẽtationis materia, vt quale verò alterationis.

Colligitur ratio.

Et hinc colligitur ratio: nam materia augmenti, corpus actu est, & non potentia corpus, & magnitudo; quia idem est subiectũ, & materia circa quam contingit alterationes esse, & augmentationes; sed alterationes sunt circa corpora actu, & particularia, ergo & augmẽtationes: non ergo est aliquid commune, & separatum, putà materia, vt probatum est.

2. *Ratio* Alterã etiam rationem facit ad idem probandum ex differentia generationis, & augmentationis: nam generatio est ex potentia in actum, aut augmentatio est additamentum præexistentis magnitudinis habentis iam magnitudinẽ: fit ergò augmentatio secundum corpus actu: & nota, quòd loquitur hic de materia compositionis.

Dubitatur, nam cùm augmentatio sit motus, videtur quòd sit existentis in potentia, & ad quantitatẽ, quia est motus ipse ad quantitatem. *Dubium.*

Aduerte, quòd id, quod augetur, partim debet esse actu, partim potentia ad quãtitatem: est quidem actu, quia debet precedere sub aliqua quantitate; quod enim totam acquirit quantitatem de nouo, nò augetur, sed generatur: augmentatio enim ad maiorem quantitatem est, & respectu huius debet esse in potentia. *Solutio. Nota. Quid augetur est partim actu, & partim potentia. Sic etiam id ex quo fit augmẽtatio.*

Id etiam ex quo augmẽtatio fit, debet actu & potentia quantum esse: actu quidẽ, quatenus corpus aliquod debet esse, & non materia separata, potentia verò quatenùs deber esse sub quantitate illius rei, quæ augetur. Aristot. loquitur secundũ id, quod est vtrũque actu, & quòd augetur, & ex quo fit augmentum.

Accipiendum itaque magis. Tex. 32.

Modum augmenti scrutaturus, cùm materiã esse corpus actu docuisset, iterum eandẽ quæstionem proponit, vt iam modum hunc explicet; ob id iterum quęstionem à principio particulariùs dicit proponendam, an id ex quo augmentatio fit, sit corpus actu. *Repetitur quæstio, diligentius examinãda.*

Et nota verba, dicit. n. quali existenti augeri. i. cùm augmẽtum sit secũdum aliquem modum, huius causas determinare oportet. *Nota.*

Ad explicandum autem hoc, sumit tria principia communia in *Suppl. 6 trium principiorum.*

augmen-

augmẽtatione, per hæc autem re-
quæ inquirit: sicut de loco dispu-
taturus prius communia de ipso
Primum. sumit, sit. Primum principium au-
gmẽtationis, & diminutionis do-
ctrinæ est: quod augetur, eius quę-
libet pars augetur. Alterum; quod
2. augetur, idem est in principio, &
fine augmenti: similiter etiam de
diminutione: & hoc principium
3. in textu sequenti ponit. Tertium
est, augmentum fit aliquo ab ex-
trinseco sumpto; quæ omnia po-
stea examinanda sunt.

Ratio dubitationis. Ponit igitur argumentum: ex
quo augmẽtum fit, vel est corpus,
vel incorporeũ, si incorporeum,
erit vacuũ, vel aliquid ex ijs, quæ
superiùs impugnata sunt: si cor-
pus ab extrinseco sumptum, cùm
id, quod augetur, secundũ omnem
sui partẽ augeatur, videtur quòd
sit corporum penetratio, quod est
impossibile. Hoc est argumẽtum
dubitatiuum ad indagandum mo
dum augmenti.

Sed neque sic contingit. Tex. 33.

Reijcitur quidam augmentationis modus. Excludit quendã modũ, quem
aliquis posset excogitare, puta q
sic fit augmentum, quomodo ex
aqua aêr, fit enim maior substan-
tia ex minori. Diminutio verò è
contra, ex aere aqua, hũc modum
excludit, dicens quòd est generatio, & corruptio, nõ tamen augmẽ
tatio, nec aquæ, nec aêris, nec cor-
poris in communi: si enim aliquid
videretur augeri, esset corpus cõ-
mune aquæ, & aêri, quia illud ma
neret sub minori, & maiori quan-
titate; illorum enim vtrumque nõ
manet, sed vnum generatur, alte-
rum corrumpitur, sed tale corpus
non est actu; quia non est aliud,
quam aqua & aer: non enim cor-
pus est in commmni separatum,

Quòd autem aqua, vel aer non
augeatur, constat quia in augmen
to oportet seruare omnia tria prin
cipia, quæ dicta sunt, deest au-
tem vnum hîc, quia quod auge-
tur, debet manere idem sub vtro-
que termino: at cum ex aere fit
aqua, neutrũ manet ante, & post:
est enim vnum generatum, alte-
rum corruptum, & in hoc simila-
tur augmentatio alterationi, in v-
traque enim idem manet (intel-
lige compositum substantiale)
quamuis alteratio sit secundũ pas-
siones, augmẽtatio secundũ quan
titatem.

Hic dubitat Philop. de aêre cum *Dubium.*
fit aqua, videtur enim relinqui va
cuum, & cùm aqua fit aer, videtur
esse penetratio.

Respon. quòd neutrum sequi- *Solutio.*
tur, sed quòd partes propinquio-
res elementi parum cõdensentur,
cùm fit aer, rarefiant autem, cum
fit aqua. Sed de hoc diximus li. 4.
Physic. text. 83.

Dubitabit autem aliquis. Tex. 34.

Cũ dixisset corpus augeri corpo- *Quid augeatur, cibus, animal, an vtrumque.*
re, dubitat, quid dicatur augeri, an
cibus ipse, an id, quod sumit cibũ,
an vtrũq; videtur n. q vtrumque:
nam sicut cùm aqua miscetur vi-
no, vtrumque augmentum susci-
pit, ita similiter cibus, & animal.

Respon-

Respõsio animal augetur, nõ cibus.

Respon. quòd non augetur nutrimentum, sed animal, quia non manet nutrimentum, & cibus, animal autem manet, & quod augetur debet manere.

Respon. autem ad exemplũ de vino, quòd, id, quod dominans est & vincit alterum, dicitur augeri, vt vinum si parum aquæ infusum sit: quòd autem vinum dicatur augeri, patet, quia manet, & illa mixtio vinũ est, cùm faciat vini effectus: contrà vero aqua augetur, si parum est vini, & vincit aqua. Et attende, quòd loquitur de augmẽto improprio per similitudinẽ ad proprium, quod est viuentium.

Idẽm in alteratione dicendũ

Idem dicit in alteratione: non enim passio, quę de nouo est, alterata dicitur, sed subiectum, quod idem manet.

Quo autem alteratum est hoc quandoque quidem.

Similitudo, & dissimilitudo augmẽtationis & alterationis.

Cùm de alteratione, & augmentatione dixisset similitudinem habere (quòd, id, quod alterari, & augeri dicitur, debet permanere) nũc dissimilitudinem, & similitudinẽ quandam in ipsis ponit.

Alteratio duplex, quòd alterãtio alteratur, & quòd alterãtio non alteratur.

Dissimilitudo est, quòd si respicias id, à quo fit augmentum, & à quo alteratio, puta extrinsecũ ipsum, q̃ in alteratione est agens, in augmento cibus, tunc alterans aliquando alterat, & alteratur: vt dũ frigefacit aqua, calefit: aliquando non alteratur, vt sol agit, non alteratus ab eo, in quod agit: non sic autem in augmento se habet cibus, sed semper auget, & non augetur.

Similitudo tamen est, quòd sicut in aucto est virtus augendi, ita in alterato virtus alterandi, ita vt in vtroque, id est, alterabili, & augmentabili sit principium motus scilicet augmentationis, & alterationis.

Solutio cuiusdã dubij.

Et per hoc solui potest dubium vnum. Nã aliquando cibus fit maior in corpore, vt dum cõuertitur in spiritus, id est, in substantiã subtiliorem, vt in chilum, aut sanguinem, tamen non augeri dicitur, nõ solùm quia corruptus est, vt diximus, & non manet, sed etiam quia in cibo non erat illa virtus, vt conuerteretur in maiorem substantiã, sed in animali alterante, & cõuertente cibum: quòd si augeri diceretur, vtique haberet virtutem talem in se.

Nota. Quod augetur debet habere in se virtutem vt talem motum exerceat.

Hinc habes, quòd, id, quod augetur, in se habet virtutem, vt talem motum exerceat, nec est virtus augmentatiua ab extrinseco, sicut est cibus.

Dubium, An virtus alteratiua sit in alterante.

Duplex dubium hic esse potest, alterum est, quomodo dicitur virtus alteratiua esse in eo quòd alteratur: videtur enim potiùs esse ab extrinseco, non enim calefit aliquid, aut frigefit nisi ab extrinseco agente.

1. fund

Aduerte, quòd non est dubium de virtute augmentatiua; hanc enim certum est esse in eo, quòd augetur, non in ipso cibo, & hoc dupliciter,

pliciter, vt bene dicit Philo. Primò, quia in eo est virtus augmentatiua, vbi es virtus nutritiua, sed hæc non est nisi in eo, quod nutritur, non autem in cibo, & nutrimẽto, quia nutrimentum corrumpitur, at virtus nutritiua manet, est ergo in ipso, quod nutritur, hoc enim manet.

2v Secundò, quia ibi es virtus augmentatiua, quod assimilat sibi, & ad se trahit aliud, sed quod augetur, trahit ad se, & sibi assimilat nutrimentum, non autem è contrà: ergo in eo est talis virtus: de hoc non est dubium; at de alteratiua virtute hoc est difficile,

2. Opinio. Duplex est opinio circa hoc, & Latinorum, & Græcorum: Latini dicunt, sensum Arist. esse, virtutẽ alteratiuam esse simul cum augmentatiua, vt sicut in eo, quod augetur est virtus augmentatiua, ita etiam sit alteratiua alterandi cibum ipsum: & hęc est doctrina vera, sed non videtur ad mentem ipsius Aristot. Nam tunc non esset virtus in eo, quod alteratur: est enim cibus, qui alteratur.

Rejicitur hęc opin.

2. opin. Nota. 1. Duplex est alteratiua virtus, propinqua, & remota.

Propterea magis placet altera expositio Alexandri, & Philop. in cuius declarationem aduerte, q̃ est duplex virtus alteratiua, vna remota, quam aliqui actuatiuã vocant, altera propinqua, quam aliqui factiuam alterationis vocant.

Nota. 2 quòd d. alterans, ni alterat per non calefaciunt, nisi prius à calore naturali alterentur: similiter pharmaca: tunc illa virtus, quæ primò actuat, & alterat ipsum alterans dicitur remota, & actuatiua: illa verò quæ alterata alterat propinqua, & factiua illius alterationis.

Et vt clariùs hoc fiat, aduerte quòd est aliquod alterans, quod non alterat aliquid, nisi prius ab ipso alteretur, sicut vinum, & pi-

nisi prius ipsum alteretur.

Loquitur igitur Arist. de virtute alteratiua actuante, hæc enim est in eo, quod alteratur, vt notum est; vt virtus actiua piperis est in eo, quod à pipere calefit, & alteratur: & talis est ea, quæ est in eo, quod augetur, actuat enim cibum qui actuatus animal alterat, & ita locus exponitur.

Resp. ad dubium quæ virtus alterans sit in alterante.

Alterum dubium est, quomodo dicitur hic esse alterans, quod non alteratur, cum constet agens repati dum agit. Philop. dicit, verum est augens alterari, & aliquid parum alteratur, vt plus sit, quod agit: & hoc dicitur non alterari.

Dubiũ. 2

1. Resp. Philop.

At magis in hoc placet mihi expositio multorũ latinorum, quòd loquatur in genere de quocunque alterante: est autem aliquid, quod alterat, & non alteratur, vt sol, cœli, & causæ vniuersales. Est aliud, quòd alteratur simul, vt particularia agentia: & sic in textus expositione diximus exemplum ponentes de vniuersali causa.

2. Resp. verior.

Quoniam autem dubitatum est de his. Tex. 15.

De modo augendi in re prius nutrita quadam

Cum de modo argumentationis disputasset, ipsum iam explicare aggreditur, ac repetit, quod superius dixit, puta in modo 1 c Ela.

constituendo, & explicando esse obseruanda principia illa tria, ne aliquod falsificetur. Primum est, vt maneat idem quod augeri dicitur, alterum est, augmentum fieri, aliquo ab extrinseco aduenie nte: tertium est, vt quod libet signum sensibile augeatur. Vocat signum sensibile partem minimam naturalem, quæ potest per se actionem habere, & cibum conuertere.

Tria obseruanda principia in augmentatione.

Tres alię obseruandæ veritates.

Adhuc præter ista tria principia oportet alias tres veritates obseruare, quas simul concordare, est difficile, quòd non est vacuum intra corpus, quòd non est corporũ penetratio: quòd non augemur in corporeo, sed corpore.

Quid difficile videatur hæc simul conuenire, & quomodo fiat augmentatio.

Ista tria simul consonare, videtur difficile: nam corpore suscepto ab extrinseco augemur: quare videtur, quòd penetretur cum nostro corpore, quòd si penetratio nõ est videtur, quòd nõ debeat esse corpus, quo augemur: quòd si nec penetratio est, nec in corporeo augemur, videtur, q̃ interius sit vacuũ, in quod recipiatur corpus hoc q̃ si non est vacuum, profectò difficile est: modũ inuenire, quo possit augmẽtatio constare, at talis modus inueniẽdus est: nã impossibile est, vnumquodq; illorũ scilicet in corporeo augeri, penetrationem esse, aut vacuum intra corpus, quod augetur dari.

Suscipiendum autem causam cùm determinauerimus.

Antequam huius causam explicet, & modum, prius duo proponit: alterum est, quod partes dissimilares augentur, quia similares augentur, & ratio est, quia ex ipsis constant.

1. situs. Partes dissimilares augentur quia similares augentur.

Hoc proponit Arist. vt sciamus, quid est, quod primò augetur, & in eo modum consideremus.

Aduerte ex lib. 1. Histo. cap. 1. in animalibus, etiam in alijs viuentibus esse partes in duplici differẽtia, quædam dicuntur similares, puta quæ diuiduntur, & componuntur ex partibus eiusdem rationis & denominationis cum ipsis, vt caro cuius quælibet pars est caro, & os, & neruus, & similia.

Nota 1. Nota 2. Quæ sint partes similares & dissimilares.

Quædã sunt partes dissimilares, quæ ex huiusmodi similaribus cõstãt, & membra vocãtur, vt caput, manus, pes, & reliqua, & harũ non quælibet pars est eiusdem rationis cũ toto, non enim pars capitis, vel manus est caput, aut manus.

Cùm igitur dissimilares sint aggregationes similarium quędã augmentũ ipsarũ pendet ex similaribus: obid. n. augetur caput, quia os, caro, nerui ipsius augentur.

Suppositio. 2. Partes similares aliquando accipiuntur; pro forma aliquãdo p materia. Nota expositionẽ loci Arist.

Alterũ, q̃ proponit, est quamq; partium similarium, sicut, & aliæ res naturales, quæ dicunt formam in materia, dupliciter dici, vno modo pro forma, altero modo pro materia, vt os, caro, neruus, aliquando pro formis, aliquando pro materijs: sumuntur.

Et quamuis iste locus sit difficilis, & varie exponatur à multis, tamen sequar modo expositionem

Philop.

Philop. quia in quæstione hoc latiùs examinabitur: per formam, & materiã intelligit eas, quæ sunt partes substantię compositę naturalis & dicit, quòd nomina aliquã do significant formas, aliquando materias idest, aliquando rem ratione formæ, aliquando rem ratione materiæ, secundum quod contingit prædicare de his, & quæ secundum materiam, & quæ secundum formam insunt: aliquãdo etiã totum compositum significãt, vt dicit Philop. sed non exprimit Aristo. quia hoc nil facit ad presens.

Nomina aliquãdo significant rẽ ratione formæ aliquãdo ratione materiæ aliquãdo etiã ipsũ cõpositũ.

Quancunque igitur partem augmentari.

Suppositis his, quæ in prȩcedenti textu dicta sunt, constituit conclusionem, quòd augetur, caro, os, & reliqua secundum formam, non autem secundum materiam, ita vt illa tria dicta principia veritatẽ habeant in augmento secundum formam, non autem secundum materiam.

Conclusio Arist. augmentatio fit secundum formam non secundum materiam.

Quòd est dicere, os, nervus, & reliqua dicuntur augeri, quia ipsorum formę modo sub minori, postea sub maiori sunt materia: & ipsorum materiæ non dicuntur augeri, quia quędam partes recedũt: quædam adveniunt nec vnquam materia manet eadem.

Oportet enim intelligere quemadmodũ Tex. 36.

Comparatione explicat, quomodo vna forma maneat, puta sit aliquod vas, in quo infundatur aqua & effundatur ita, vt noua, & noua sit aqua, tũc manet idem vas, at materia non: ita similiter forma viventis est, sicut vas, manet eadem, tamen partes materiæ, quędam recedunt, quędam adveniunt.

Explcatur eadẽ solutio cõparatione.

Dices, quòd non est simile exẽplum: nam vas manet sub eadem quantitate, at forma aucti est maior, & maior.

Obiectio.

Dico, quòd exemplum tantum est ad vnitatem formæ ostendendam sub diuersa materia, quòd si exemplum velis adequatum, vt dicit Philop. fame vtrem, qui simul extendatur, dum aqua accedit, & tunc erit exemplum plenius.

Solutio.

In his autem, quæ sunt dissimilium partium. Tex. 37.

Cum dixisset, formam manere eandẽ in osse, & nervo, & reliquis nunc id magis esse manifestũ, docet, in dissimilaribus partibus, in quibus notius est, quod proportionaliter auctæ sunt, id est, secundum omnes suas partes.

Idẽ ostenditur in partibus dissimilaribus vbi fieri augmentationem secundũ formã in quibus clarius apparet.

Quare autem in his sit notius, reddit rationem, quia magis nota est forma: & semper videtur restare manus formę, pedis, & capitis, quantumcunque materia existens sub forma tali sit alia, & alia. 1. 2.

Confirmat ex vulgo, notiorem esse formam dissimilarium: nam omnes communiter putant, in animali mortuo manere eandem carnem, tamen non eadem membra, & re vera, neutrum manet, quia vtriusque forma scilicet anima recessit. At error est, quia minus discernitur forma in similaribus.

Quòd si huius quæras rationẽ, cur tam operationes membrorum sint notiores, quàm similarium partium ob id cũ in homine mortuo non sunt, facilius cognoscitur illic deesse formam, quàm in similaribus.

Cur vsus ar. ſit.

Concludit ex his, quod augeri & idem manere in actione, & secundum omnem partem augeri, verum est, secundum formam nõ tamen secundum materiam, quod post examinabitur.

Quod augetur manet idem & secundum omnem partem augetur secundum formam nõ secũdum materiã.

Maius autem totum generatum est.

Tex. 38.

De modo, quo augmentum fiat, dixit, nunc ad materiam, & id, ex quo augmentum fit, se transfert, ac dicit, quod nutrimentum quidem in principio est contrarium, & dissimile ipsi viuenti, tamen mutatur in simile, verbi gratia, accedit sanguis humidus, ossi sicco, est quidẽ sanguis contrarius, tamen mutatur in os, & fit similis, & sic auget ipsum os. & sic in reliquis partibus: & ita augmentum fit ex simili, & dissimili, simili in fine mutationis, dissimili in principio.

De cuius quo fit augmentum esse debeat dissimile in principio & simile in fine.

Dubitabit autẽ aliquis, quale oportet.

Tex. 39.

Quia dixerat, quòd nutrimentum est dissimile in principio, posset quis quærere, an omnis res sit nutrimentum ita, vt quodcunque corpus augeri possit. Ad hoc respondeo quòd non, sed id solum, quod est in potentia viuens, & potentia id, quod debet nutriri, & augeri: id ergo auget carnem vel os, quod est potentia caro vel os.

Id quod nutrit & auget, debet esse potentia viuens.

Ex quò sequitur, quòd debet esse corruptio, & generatio quædam: corrumpitur enim id, quod est potentia caro, vel os, si fit, puta sanguis vel aliud quid, & fit actu, ac generatur caro, & os, vel reliqua, quę augeri debent.

In nutritione ſit gẽo quæ dã & corruptio.

Vnde augmentationem præcedit generatio nutrimenti, secundũ quam fit actu simile ei: quod debet augere, & nutrire.

Nutritio præcedit augmentationem

Sed addit, quòd sic ille cibus, & nutrimentum debet generari, & fieri actu viuens, puta caro, os, vel neruus, vt non maneat per se existẽs, tunc enim esset generatio, sed debet coniungi, & vniri cum ipso aucto, & nutrito, & ita non per se, sed in hoc, quod augetur debet esse, & sic ipsum augere poterit.

Nutrimẽtum non debet manere per se sed vnitum nutrito, & aucto.

Quid igitur patiens ab hoc actum est.

Concludit ex dictis, quòd augetur, debet in se recipere ipsum nutrimentum mutatũ, & ab ipso pati recipiendo, & non solùm recipiẽdo, sed etiam velut secum miscendo per copulationem, & vnionẽ: & hoc Arist. dicit, modo interrogatiuo: explicatq; duplici exẽplo.

Quod augetur debet recipere in se nutrimẽtũ mutatum & sibi vnire.

Alterũ est: si quis habeat vinum quod habet potentiam conuertendi: & faciendo vinum aquam sibi mixtam, & infusam, & infundat parum aquę ipsi vino, tũc ex aqua fiet vinum, non vt per se, sed cum ipso vino coniunctum, & vnitum sic fit conuersio cibi in aucto, quãtum, ad hoc.

1. Exemplum.

Alterũ est de igne qui aliquãdo

2. Exẽplum.

con

comburit ligna distantia, & nō sibi vniendo: & tunc dicitur generatio ignis: aliquando vrit sibi iniecta, ac sibi vnit, & tunc augetur.

Sic virtus augmentatur, quæ inest in carne, vel osse, vel alijs partibus conuertit nutrimētum in potentia ad actum, & sibi vnit, & insurgit augmentatio.

Nota. Et aduerte, quod exempla solum in hoc ponuntur, vt ostendatur generatio, quæ fit nō per se, sed cum agentis copulatione, & vnione.

Quantum autem vniuersale quidem.

Tex. 40.

Dubium. Hunc locum benè exponit Philop. Dicit enim, quod dubium soluat, quod suboriri poterat ex his, quæ dicta sunt de nutrimento: dictum est enim, quod sit potentia viuens, scilicet caro, os, neruus, vel aliquid simile, & quod debeat mutari in actu tale: ex hoc videtur sequi, q̄ iam ipsum non sit actu corpus, sed potentia, nec magnitudo.

Solutio. Ad hoc respon. quod potest quidem esse, vnū actu corpus, & quātum, & aliud potentia: non enim prohibet, vt id, q̄ debet fieri ex potetia aliquid actu, sit aliud quid actu, & quod sit hoc quantum, sit aliud quantum: & ad hoc ostendendum dicit, quod non sit vniuersale, vt animal, sed ipsum singulare, putà hoc, vel illud, nec sit corpus in communi, sed hoc vel illud: similiter nec quantum in communi, sed hoc vel illud: si enim fieret in vniuersali corpus, fieret prorsus ex non corpore: &, si fieret quantum in vniuersali, fieret ex omni non quanto: at cùm fiat hoc corpus potest fieri ex hoc non corpore, sed quid sit aliud corpus similiter fit quantum, ex alio, quod non sit illud quantum, sit tamen aliud: ita ergo augetur caro ex aliquo quanto, sed non ex eo, quod sit caro ipsa quanta actu, vt ex sanguine similiter, nutritur, & augetur vnumquodque ex eo, quod est potentia tale, & mutabitur in actu tale: non tamen prohibet, quin sit aliquod aliud actu corpus.

Dubita Philop. quare cùm fit animal sit ex omninò non animali: at corpus sit semper ex corpore. *Dubium Philop.*

Respon. quod forma animalis est separabilis, ideſt, potest esse materia absq; quacunque animalis forma, at non a corpore separabilis est: & hoc quia materia semper habet quantitatem. *Solutio ex eodē.*

Nota. Ex quo loco aliqui putant secundum Philop. quantitatem esse coæuam materiæ, sed non est talis sententia Philop. in hoc loco, solùm enim dicit, quod non sit materia absque vlla quantitate, siue sit ista siue illa, sed non semper cum eadem.

2. *Soluto auctoris.* Sed debebat adhuc ratio dari, quare non sit separabilis à quantitate: ob id dico, quò materia non potest esse vnquam denudata ab omni forma corporis, sed aliquā semper debet habere, siue hanc siue illam, quia proprius, & primus ipsius materiæ actus, est actus corporis, & eius potentia in hunc termi-

natur, quãuis non habeat hũc actũ ab vna forma, vt voluit Auic. sed ab ipsis singulis formis sensibilibus, quibus omnibus cõmune est dare hunc actum primum materię, vt ipsa compositum fiat, & sit.

Secundum igitur quod potentia compositum. Tex. 41.

Distinctio augmẽtationis à nutritione. Cum nutrimentum, qualiter se haberet, ostendisset, nunc distinguit augmentationem à nutritione: hæ enim ex eodem fiunt subiecto, dicitq; ratione, & definitione differre, subiecto tamen conuenire. nam augmẽtatio respicit nutrimentum vt est potentia quantum illud, quod debet augeri: nutritio verò respicit idem, vt est potentia substantia viuens.

Conueniũt subiecto differũt ratione.

Exẽplũ. Verbi gratia, sit nutrimentum, putà sanguis, hic est potentia caro nutrienda, & potentia quantũ ipsum scilicet caro nutritio fit ex ipso, vt est potentia caro, & actu fit caro: augmentatio verò, ex ipso vt est potentia tale quantũ viuẽs, & fit actu quantum.

Nota. Aduerte tamen cum Philop. q tunc fit nutrimentum actu quantum, quando auget quantitatem viuentis sua additione: hoc autem non semper est, ob id maner nutritio, quæ est conuersio sola, nõ augmentum: hoc autem fit, cum plus substantię est deperditum, quam reparetur per talem conuersionẽ, vt inferius dicemus.

Et nutrimentum augmentatione idem.

Distinctio inter Posita differentia inter augmentationem, & nutritionem, nũc eandem ponit inter id q nutrit, & q auget, sunt enim idẽ subiecto, sed differunt ratione, Vt. n. cibus est potentia caro, nutrit carnẽ, vt autẽ est potentia quanta caro, ita vt sit plus, quam deperditum, sic auget, cùm, verò minus, diminuit, semper tamen siue in augmento, siue in decremento est nutritio, quia est substantiæ conuersio.

id quod nutris et id quod auget. Sunt idẽ subiecto & differunt ratione.

Hæc autem forma sine materia vt immaterialis.

Locus est difficilis, tamen placet Alexandri expositio, & Philop. vacat materiam quantitatem ipsam, vocat formam ipsam substantiam. & tunc est caro in potentia forma, cum nutrit, in potentia verò materia cum auget.

Quidnot locointelligit Auicẽ. per formã & materiã.

Cum ergo dixisset paulò antè. quòd nutrit, vt est potentia caro, addit hoc esse formam sine materia ideſt, respicit substantiam, non quantitatem.

At ne quis existimaret, esse hic formam absque materia omnino, addit, quod nõ est, sed dicitur hoc immateriale eo modo, quod id, q est in materia immateriale dicitur, puta re in materia est, sed secundũ se, & intellectũ absq; illa materia, & quantitate consideratur.

Occurrit obiectioni.

Quòd si accedit materia, & nutrimentum in potentia vtrumque scilicet substantia, & quantum, puta materia, & forma, vt dictum est, tunc & nutritio, & augmentum siunt, & fit augmentum in partibus immaterialibus, id est secundũ formam augmentum fit.

Si

Si autem amplius facere non possit. Tex. 42.

De diminutione. quo. fat.

Diminutionem explicat tunc esse, cum nutrimentum in minus conuertitur, quam sit deperditum, sicut cum tantum aquæ infunditur vino, vt iam aquosum fiat, & virtus minuatur.

Nota. 1.

Et nota cum Philop. quòd exẽplum solum est quantum ad virtutem tantum, puta virtus vini fit minor, dum plus aquæ infunditur, quæ minus potest conuerti in vinum: ita similiter in viuenti secũdum quantitatem, minuitur enim quantitas, dũ minus reparat, quam sit deperditum.

Nota. 2. Quãdiu viuens viuit alíqua partes eius deperdũtur Nota. 3. Triplex viuentiũ status.

Aduerte etiam quod dum viuens viuit: semper deperdit partes substantiæ, & materiæ, quas nutritione continua reparat.

Sed triplex est viuentium status: naturalis primus, in quo plus reparat, quam deperdat, & sic fit augmentum: alius est in quo tantũ reparat, quantum deperdit: tertius in quo minus reparat, & iam incipit imminere mors: & est diminutio: tamen in his omnibus est nutritio, dum vita durat.

Hæc Arist. de augmentatione: tamen quia ex præcipuis considerationibus, & difficilibus philosophicis quæstionibus ista de augmentatione non tenet infimum locum, paulum debemus immorari, & ea omnia quæ dicta sunt discutere, & magis declarare.

QVAESTIO. VIII.

An Augmentatio sit generatio.

Scopus disputationis.

INter alia, quę de augmentatione disputanda sunt, id primum sumimus examinandum, sub quo genere sit, quia hoc multum ad ipsius attinet definitionẽ: oportet autem aduertere, quòd non hic de quacunque augmentatione, sermo est sed de ea, quę est viuentiũ, hęc enim propria est.

Agendũ de augmentatione propria viuentis.

Notæ. Consumuis augmentatio multiplex.

Sumitur autem argumentatio vel in communi pro incrementi & maioritatis cuiuscque motu, & sic multipliciter dicitur. Primò, pro quacunq; intensione, qualitatis, dicitur enim intensio augmentum quoddam, & qualitas augeri dicitur. Altero modo, pro augmento in numeris, dicuntur enim numeri augeri per additionem vnitatum. Tertiò, augetur magnitudo aliqua per magnitudinis additionem, vt aqua additione aquæ. Quartò etiã augetur aliquis nulla facta additione, & sic rarefactio dicitur augmentatio quędam, nec de his augmentationibus in præsenti est disputatio, sed de ea, quæ est viuentium, quę aduenien te aliquo extrinseco fit.

1. 2. 3. 4. 5.

Ac perinus, an talis sit generatio: & videtur, quòd sic. Primo, id quo posito, ponitur augmentatio, & quo ablato, aufertur, est ipsa augmentatio, sed posita tali generatione, puta maioris partis substãtiæ, quam sit deperdita in viuẽte, ponitur augmentatio & ipsa ablata, aufertur augmentatio, ergo ista

1. Ratio. Quod augmentatio sit generatio

generatio est augmentatio.

2. Ratio. Secundò, augmentatio est generatio maioris partes substantiæ sed generatia maioris partis est generatio, ergo augmentatio est generatio.

3. Tertiò, quia augmẽtatio assimilatur mutationi, quia ignis in se cõuertit lignum, sed hęc est generatio, ergo & augmentatio,

4. Quartò, quia in augmentatione est corruptio simpliciter cibi, ergo ibi est generatio, corruptio enim vnius, generatio est alterius: ergo augmentatio est generatio.

1. opinio Marsilij. In hac difficultate sunt tres sentię: Prima est Marsilij q. 10. qui augmentationem dicit, generationem esse quandam: est enim generatio, & conuersio cibi, cum est, & fit maior substantia, quã sit deperdita, ita tamen, quod non sit generata per se, sed coniuncta, & vnita cum viuente, ob id vocat generationem hanc talem mutationẽ: & dicit, augmentationem esse generationem quandam.

2. opin. aliorum. Alia est sententia aliorum quos ipse citat, qui augmentationẽ plures esse motus dicũt: est enim partim generatio, partim motus localis, partim alteratio, & alij, quia hi omnes necessario in augmẽtatione sunt.

3. opin. Alb. Saxonis. Aegid. &c. Tertia sententia est Alberti Saxo. q. 9. & AEgid. q. 27. & Philop. tex. 41. & est cõmunis, quod augmentatio non est generatio illa, quamuis sit necessaria, & pręuia: sed augmentatio est motus in quã titatem maiorem, quæ ex illa à generatione insurgit, non enim solum nutrimentum in substantiã viuentis conuersum substantiam nutrit sed etiam quantitatem habens, cum plus est, quam deperditum sit, Ipsum viuens augetur, & motus ille augmentum est, secundum quem substantia viuentis per maiorem quantitatem dilatatur. Hęc sunt opiniones præcipuæ aliorum.

Pro quarũ dilucidatione sit prima cõclusio. Augmentatio est motus à minori ad maiorem magnitudinem formaliter, non autem generatio substantię. 1. Cõclu.

Pro declaratione aduerte in augmentatione multas mutationes cõuenire, est vna alteratio secundum quam pars viuentis nutrienda cibum sibi iuxta positum disponit, vt in sui similitudinem reducat. Altera est corruptio substantialis cibi, forma enim recidit ipsius, & hanc sequitur tertia, nempè generatio quædam, secundum quam in illam cibi materiam forma viuentis succedit de nouo, non quidem separatim, sed coniunctim cum ipso viuente: & talis mutatio nutritio est viuentis: post hanc est quarta, hanc sequens, secundum quam quantitas nutrimenti mutari copulatur viuenti ita, vt fiat viuens maius quàm ante erat, & hæc sola dicitur augmentatio, quam sequitur alia quinta noui loci maioris acquisitio. 1. Fun. in aug. mutationes ne quinque mutationes reperiri. 1. 2. 3. 4. 5.

Aduerte vlteriùs, quòd altera-

tio

3. Prima alteratio precedit tempore reliquas 4. mutationes, illæ vero quatuor sunt simul.

tio præcedit tempore reliquas quatuor, at quatuor aliæ, quæ, facta alteratione fiũt, simul tempore sunt, ita, vt dum forma cibi expellitur, altera introducitur, & viuens augetur, & locus etiam mutatur, dum maior occupatur, quam ante. Quamuis ergo simul tot mutationes conueniant non tamen propter similitudinem earum natura confundi debet: sed differunt inter se multum, ac varias habent rationes.

Augmentatio & nutritio realiter differunt

Imò quia quantitas distinguitur realiter à substantia, etiam augmentatio, & nutritio realiter distinguuntur, cum sint ad diuersos terminos realiter differentes, & præsertim si augmentatio cum quãtitate, & nutritio cum substantia re idem sunt, est enim valde probabilis opinio, quòd mutatio à termino non distinguitur realiter, vt diximus libro. 3. Physi.

Probatur cõclusio. 1. ratio.

His suppositis, notus est sensus conclusionis. Probatur autem primò. Mutationes, quarum termini distinguuntur, & ipsæ distinguuntur, sed generationis, & augmentationis termini distinguuntur: est enim augmentatio ad quãtitatem, & generatio ad substantiam: ergo & ipsæ distinguũtur: ergo augmentatio non est generatio.

2. Ratio.

Secundò. Augmentatio est subiecto in subiectum, ob id motus dicitur ab Arist. 5. Physi, at generatio est à non subiecto in subiectum nec motus est, ergo augmentatio non est generatio.

3. Ratio.

Tertiò, quòd generatur, non dicitur mutari. cùm non fuerit ante, sed fieri, vt cùm generatur homo, non mutatur, quia tunc est, quod autem mutatur, debet ante, & post esse: at quod augetur: dicitur mutari, & moueri: ergo non est augmentatio generatio.

4. Ratio.

Quarto, si augmentatio esset generatio, tũc esset generatio, & augmentatio sub vno genere substantiæ, vtraq; enim est ad substantiã: non ergo essent quatuor mutationum genera, quæ Arist. & Philosophi recipiunt.

Constat igitur ex his, augmentationem non esse generationem sed motum ad quantitatem: non enim dici potest, quòd sint plures motus: Tunc enim non vnum mutationis genus esset, sed aggregatio multorum, & vnũ per accidẽs.

2. Concl.

Secunda cõclusio. Proxima materia augmentationis est corpus actu simile specie, & accidente ei, quòd augetur.

Nota. 1. Duplex materia augmentationis.

Aduerte, quòd est duplex materia augmentationis: altera, quæ dicitur alterationis, & hæc est nutrimentum ante conuersionem in substantiam viuentis, & talis: materia remota est: altera compositionis est, & hæc est nutrimẽtum cõuersum in substantiam viuẽtis, & ex hoc proximè fit augmentatio, non quòd tempore præcedat cõuersio in simile ipsam augmentationem, simul enim sunt, sed tantũ natura.

Vlteriùs etiam nota, quod non

solum fit simile in forma substantiali, sed etiam in qualitatibus, vt os facit os, caro carnem, neruus neruum, & sic vnumquodque augetur, & nutritur corpore simili in substantia, & in qualitate: hoc docet Aristot. 8. Physic, text 55. vbi dicit, quod nutrimentum factum simile auget.

Nota. 1. Non solùm nutrimentum sit simile in substantia sed in qualitate

3. Concl. Tertia conclusio. Augmentatio est motio viuentis eiusdem manẽtis facta ab anima ex minori ad maiorem magnitudinem aduenientе aliquo extrinseco, vt suæ naturæ debitos quantitatis terminos viuẽs consequatur.

2 definitio augmentationis quam fas. 2. de finitio brevior. Hæc potest esse difinitio augmentationis.

Quamuis non sit opus sic definire, sat enumerat dicere, viuentis motus à minori ad maiorem magnitudinem: at vt melius causę distinguerentur, posita est desinitio prolixior.

Explicatio desinitionis. Formalis causa est motus, in quo à generatione secernitur, & motus termini ad maiorem magnitudinẽ ex minori, in quo à diminutione differt, cuius termini sunt oppositi: ponitur subiectum proprium, quod est viuens: materia est extrinsecum aduenies: efficiens est anima: est enim anima primum principium effectiuum augmenti: finis est, vt viuentia quæ statim à principio perfectam quantitatem adepta non sunt, ad ipsam perfectionem secundum propriam cuiusque naturam per augmentationem perueniant. De singulis his causis non est in præsenti disputandum, sat est modò in generali ipsas attingere. Per hęc ad argumẽta possumus facilè respondere.

Solutio argumẽ. Ad. 1. Ad primum neganda est maior: per illam enim probaretur, quòd pater est filius, quia posito vno ponitur alterum. & ablato, aufertur, Sequitur quidem ex tali generatione augmentatio, non tamen augmentatio est ipsa generatio.

Ad. 2. Ad secundùm; quod in illa generatione maioris substantiæ sunt duæ mutationes: altera substantię, altera quantitatis. Nec intelligas, quod illa productio quãtitatis est augmentatio, sed simul cum extensione, & dilatatione substãtię, quę prouenit ex vnione, & copulatione cum viuente ipso.

Ad 3. Ad tertium dico, quod comparatio illa ignis solum est quantum ad hoc, quod in augmentatione non generatur aliquid, vt per se sit, sed coniunctum cum viuente, tamen adhuc in igne consideramus duas mutationes, & eam, quæ est ignis generatio, & eã quę est ipsius accretio secũdum maiorem quantitatem, quamuis sit impropria.

Ad. 4. Ad quartum, admitto esse cibi corruptionem, simul etiam dico, esse ibi aliquam generationem, sed non est talis generatio ipsa augmẽtatio, sed ei est adiuncta, & ad ipsam necessaria, quamuis simul tempore vtrumque sit, propterea tamen non tollitur distinctio inter ipsa, vt dictum est.

Quę-

QVAESTIO.IX.

An in augmentatione eadem viuẽtis forma numero maneat?

Sensus quæstionis.

GRauis quidem,& difficilis est quæstio ista,cuius sensus est, constat enim res augeri per conuersionem cibi in propriã substantiam,& diminutionem per recessum partium substantiæ: petimus autem,an cùm cibus destruitur,& in viuentis substantiã conuertitur, an in materia cibi noua pars animæ introducatur educta ex potentia illius materiæ cibi,an eadẽ prorsus numero anima, quę in viuente erat,ingrediatur illam: similiter in diminutione, cum recedit pars carnis,ossis,vel alterius, an particula animæ, quæ ibi erat, corrumpatur, an non, sed maneat regressa ad alias materiæ partes.

Nota. Et nota q̃ ex determinatione huius difficultatis simul manet alia determinata: puta quomodo q̃ augetur debeat manere idem.

1. Sentẽ. Pro altera igitur parte quæstionis,puta, quòd si eadem anima numero sub maiori,& sub minori materia,sunt argumenta.

1. argu. Pro parte affirmatiua, Primum est ex Arist.tex.36. vbi dicit, secundum formam esse augmentationem,& tex.37.quòd manet forma eadem, materia recedit,sicut manet idẽ vas, aqua fluit, & refluit alia,& alia:ergo videtur profectò,quòd si eadem forma numero in augmento.

Secundò,si forma etiam cum materia recedit in diminutione, non esset idem subiectum, quod actũ est,& quòd ante erat,quia nec forma antiqua, nec materia est eadẽ: cùm igitur debeat esse idem subiectum: & non sit hoc secundum materiam, quam non permanere eandem,certum est, erit profectò secundum formam.

Tertiò,quia si sic esset augmentum viuentium,sequeretur, quòd non differret ab augmento nõ viuentium,puta ignis,non enim aliter augetur ignis,quam conuertẽdo stupam vel aliud simile in ignem,& sibi copulando:ergo profectò cùm tanta sit differẽtia,vt vnũ animatum, alterum sit inanimatũ, videtur non sic esse augmentum in viuẽtibus, sed per eiusdem formę numero extensionem. 3.

Quartò sequitur,quòd possent animata in infinitum crescere, & ex natura sua terminum non haberẽt,quod est falsum,& cõtrà Arist. 2.de anima.tex.41. Sequela probatur, quia si illo modo augerentur,tunc esse augmentum per iuxta positionem similis in actu,sicut in igne: crescerent ergo absque intrinseco termino,sicut & ignis. 4.

Quintò sequitur,quòd post aliquod tempus prorsus esset aliud viuens,quam fuit genitum, quod videtur quasi opinio Heraclit: sequela patet quia si paulatim corrũpitur antiqua forma,& materia,& nouæ succedunt partes, tandẽ omnes partes erunt alię ab his,quę in generatione prima fuerunt. 5.

Hęc sunt argumẽta pro hac parte,cuius quidẽ sententiæ sunt viri *Authores primæ sẽtentiæ.* insig-

insignes, puta Philop. hic multoties id docet. Alb. Mag. opuscul. de nutritione. tract. 1. cap. 3. & tract. 2. cap. 1. & videtur etiam hoc sentire. S. Tho. 2. de anima lect. 9. idem, AEgidius in isto loco: & Burleus tract. de intensione, & remissione. cap. 3. & Paulus Vene. super textum. 37.

2. sentē. At oppositam partem alij sustinent: puta quod semper educatur noua pars formæ in nutritione, & pereat in diminutione in omnibus præter hominem, cuius anima indiuisibilis est, & immortalis: sicut enim cùm calor, qui est vnius medietatis ligni diffunditur per totum producendo nouum in partes proximas, & diminuitur partibus destructis, ita est de anima; quæ in materia diuisibilis est.

Authores 2. sentē-tiæ. Ista sententia est Marsilij. q. 12. & Albert. Saxo. q. 10. & Petri de Mantua tract. de primò, & Auerrois consentire videtur comm. 38. similiter Simpli. 2. de anima particula. 49. Est etiam omnium Nominalium. Quid in hac cõtrouersia sit tenendũ, difficile est iudicare.

1. Concl. Tamen sit prima conclusio. Existẽte anima diuisibili, mihi impossibile apparet, non educi nouã partem formæ de nouo ex materiæ nutrimenti potentia, similiter cum recessu partis substantia d perdi.

Explicatio cõclusionis. Explico conclusionem. Quamuis sit, opinio an animæ animaliũ perfectorum sint indiuisibiles, sicut homines, nec ne, tamen de imperfectis, & saltem de animabus, plantarum, communis opinio concors est, esse omnes diuisibiles in materia, & coextendi secundum quantitatem: & est expressa sententia Aristot. tamen quia non est modo locus id disputandi, supponatur, vt aliâs probandũ: imò ego existimo, omnes animas præter humanam esse diuisibiles in materia: quidquid tamen sit, hoc supposito, est conclusio, quod educitur pars formæ ex materia, & cum materia recedente corrumpitur etiam particula formæ.

Anima plantarũ diuisibiles, & imperfectorum animalium.

Et probatur conclusio fortissimis argumentis. Primũ est: demus partes substantiæ viuentis, quę augeri debet, & est appositus illi cibus immediatè, tunc si formæ pars illa, quæ est in illa particula materiæ manens eadem etiam transit ad informandam materiam cibi, peto, vel deserit suam materiam, vel non, sed simul vtramque informat, si deserit, non ergo augetur, nec occupat maiorem materiam, si verò simul informat vtramque ergo est indiuisibile, est enim tota illa in materia priori, & tota illa alia simul materia: non enim est aliud esse indiuisibile.

Animas brutorum omnes esse diuisibiles probabilius. 1. Argu. pro prima conclusione.

Præterea, quia non est maior forma in vna parte, quã in tota, quia eadem est: nec aliquid formæ productum est de nouo.

Cõfirmatur ratio

Secũdò, sumo partẽ, quę est corrupta: forma in illa existẽs prius, vel est corrupta vel non: si corrupta, habeo intentum: si non corrupta, vel manet sine materia, vel non,

com-

non est dicendum, q̃ sit sine materia: si ergo manet in materia, erit profectò in parte materiæ antecedente: erunt ergo duæ particulæ formæ in vnica parte materiæ.

Solutio quorūdā Ad hoc dicunt aliqui quod cū illa forma desinit esse in illa materiæ parte recedente, confugit ad materiam antecedentem, & quę ibi inerat ad aliam, & hæc ad aliā, donec vltima intret in cibi materiam.

Reijcitur ea solutio Primò, quid ridiculum magis dici potest in philosophia? & quāuis multis hoc impugnari poterat hoc tamen modo conuincitur: nam pono, quod sit maior pars materiæ deperdita, quàm cibi fit acquisita, quod accidit tempore diminutionis, tunc non habet locum solutio.

3. Tertiò, si paulatim recedente materia manet forma, & in eo materia, è cuius potentia non est educta, cùm toties fiat ista mutatio secundum ipsos, vt nihil maneat, materię antiquę, & quę primò erat, sequitur, quod erit forma corruptibilis habens materiam, de cuius potentia non est educta, & sic ab illa tota est indepẽdens, quòd profectò est absurdissimum in philosophia.

4. Quartò, sumo vnam formã eductam de potentia materię, & facio argumentum, Ita dependet tota forma ista ab hac tota materia, sicut pars formę à parte, quia sicut tota est educta ex potentia totius materię, ita pars de parte, sed forma à tota inseparabilis est, ergo etiam pars à parte, quin corrumpatur.

Quintò, quia forma educta de potentia materię non potest vllo modo per se moueri, quo ergo modo forma illa mouetur ad illam materiam, aut quis est talis motus, non enim localis, nec vllus alius est, vt patet ex definitionibus singulorum. His, & alijs argumentis, quæ adducere possem, existimo conclusionem nostram probari. 5.

Sit secunda conclusio. Probabilis est oppositа sententia propter autoritatem autorum, quamuis nõ habeant aliam solutionem meliorem argumentorum, quam dicere, quòd anima excellit alias formas, & ita quamuis diuisibilis sit potest se ad materiam maiorẽ eadem manens, dilatare: & hac ex parte est aliquo modo indiuisibilis: sed consultiùs est dicere oppositũ, præsertim cũ sit pro nobis autoritas magnorum hominum, rationes cõuincẽtes, & oppositę opinionis rationes debiles sint. Quo circa ad ipsas respondetur. *2. Concl.*

Primùm argumentum positum est in autoritate Arist. nõ in ratione, & contra ipsum, vt locum loco opponamus, sunt duo loci: alter est textus. 38. dicit: quòd viuẽs augetur simili: si ergo caro facta simili augeret, ergo est distincta ab eo, quod auget, si ergo vnam, & eandẽ habet formam, non distincta est, sed eadẽ: Alter est text⁹. 39. dicit, quòd caro generata nutrit, quis autem *Ad. 1. 1. Sent.*

rem in Aristotel. dicet generari sensibile, & ex potentia in actum fieri, nisi compreducatur forma.

Præterea ibidem duplici exemplo, puta de aqua infusa vino, & ligno iniecto igni explicuit nutrimentum: ad constat, quòd noua forma ignis, & vini inducitur in aquam, & lignum.

Ad loc. Aristot. quid sit augmentationem esse secundum partes formales & nō materiales.

At vt ipsum locum Aristotelis, soluamus, vbi dicit, augmentationem esse secundum formam, non secundum materiam. Aduerte, quod multiplex est expositio. Mansil. & Albert. de Saxo. locis citatis, dicunt, quod in viuente sunt partes porosę, & non porosæ: porosę illę sunt quę non sunt animatę, sed vacuitates quædam mediæ inter partes ipsas solidas, & animales, sicut in spongia quadam, & has solidas dicunt non porosas. Interpretantur ergo Aristotel. vt partes formales voces porosas, quia in eis fit augmentum propriè, quia nutrimentum recipitur in ipsis, non autem in solidis, quas vocat materiales.

2. Expō. Mansil. & Alb. de Sax.

Reiicitur 2. Expō.

Illa expositio non est ad mentem. Aristotel. quia quod dicitur de materiali, & formali parte, dicitur de quocunque ente naturali: at non sunt huiusmodi partes in omnibus: quòd autem distinctio Aristotel. sit communis, ipse indicat dum dicit, idem, esse in omnibus, quæ habẽt formam in materia.

2. Alb. Cracci.

Est alia expositio Alb. tract. 3. cap. 8 & conciliat. diff. 56. qui notant, quòd in animali sunt partes in triplici differentia; quędam, quę habent rationem formæ continentis, & sunt illæ, quæ aliquam operationem exercent in corpore animalis, huiusmodi sunt membra, quędam aliæ sunt, quę habent rationem materię: vt eę quę non habent aliquam peculiarem actionem, sed solum viuere, vt caro, adeps, pinguedo: alię sunt mediæ, & harum quędam sunt ex parte formalium, vt quę non sunt membra, tamen habent officium, aliquod, & operationem in corpore vt venę, arterię, quibus fertur nutrimentum, nerui, quibus exercetur motus: quędam ex parte materialium, vt ossa, & cartilagines, quę non agunt sed sunt, vt fundamenta corporis, quędam sunt vtrunque participantia, vt musculi, qui ex neruo & carne constant: vult ergo Albertus, quòd materiales partes vocentur hic materia, reliquę forma: & sit sensus, quòd fit augmentatio manente forma, quia manentibus eisdem membris, venis, & ossibus, decrescunt, & augentur caro, pinguedo, & alia huiusmodi.

& Nota 3. genus partiū in animali.

Quamuis autem hoc verum sit, tamen non est ad mentem Aristotelis, ob eandem positam rationem quia distinctio Aristotelis generaliter est in omnibus naturalibus.

Reiicitur 2. expō.

Alia est expositio Alexandri, in

3. Alex.

cuius

cui⁹ declarationē aduerte, q̄ sunt duplices partes in viuēte, spermaticę & nutrimētales: spermaticę sunt illæ, quas virtus formatiua seminis facit ex materia ipsa seminis, facit.n. ossa, cartilagines, venulas, neruulos & partes organicas, vt cerebrū, cor, epar, & reliqua postea has partes auxit ex nutrimento accedēte, & addidit carnē, pinguedinem, & alia, totum ergo, q̄ ex semine factum est, spermaticum vocatur, reliquum nutrimentale.

Nota diligenter hanc partem.

Vide Patric.

Refutat. 3. Expō.

Vult ergo Alexand. quòd dum vita viuentis durat, manet spermaticum, & hoc vocatur ab Aristot. forma, reliquum discedit, accedit-q̄ue nec idē permanet, & materia dicitur, & sic exponit locū: quidquid tamen, sit de doctrina ipsa, tamē non videtur eadem ratione ad mentem Aristotelis.

Refutat. 4.

Alia est expositio Auerrois, q̄ formam intelligit eam, quæ est altera pars compositi, similiter materiam, sed sensus non est, q̄ manet forma, non materia, sed q̄ augmentatio non fit effectiuè à materia sed ab ipsa forma.

Sed nec ista expositio est ad mē tē Aristotelis, quia comparat formam vasi, quod idem manet aqua alia, & alia accedente, at vas nihil efficit sed idem manet continens.

5. Philo.

Alia est expositio literæ Arist. consona Philop. & Alber. & aliorum, quam supra diximus, quod sit sensus, quòd in augmento semper maneat eadem anima, modo sub minori, postea sub maiori materia, materia autem non fit eadē, & sic totum, quod augetur, idem manet secundum formam. Fateor expositionem esse admodum consonam textui.

Refutat. 5.

At quia doctrina non videtur vera, vt probatum est, videtur mihi, aliam expositionem adhibendam esse, ne Arist. in talem sensum trahamus.

6. autoris Not.

Id circò dico, quòd, possumus cō siderare in re materiali ipsam naturam specificam, & ipsum singulare, vt hominem, & hunc hominē, natura est dicta forma, singularitas materia: & hoc Arist. 1. cœli. cap. 9. docet cœlum dicere formam, hoc cœlum materiam: in rebus autem spiritualibus hoc non habet locum, quia se ipsis sunt singulares.

Dico igitur, quòd cū fit augmētū ossis, manet forma, id est natura, quia semper est verū dicere os, siue sit maius, siue minus: at singularitas, idest, hæ vel illę partes quę materia dicuntur, recedant.

Explicatur.

Et explicat S. Tho. hoc triplici exēplo, puta de populo, dicitur enim, quòd idem est semper populus, tamen quidā homines modo, alij postea sunt: similiter dicitur idē flūuius, alia tamē, & alia aqua, idem dicitur ignis, tamen aliud, & aliud apponitur combustibile, sic etiam in præsenti, quamuis maior sit identitas in viuente, vt dicetur in argumento vltimo: sic mihi videtur, posse Arist. glossari commode, cum cōstet oppositā sententiā

vix.

vix posse defendi aut intelligi.

Ad 2. arg. 2. Not. Ad secundum nota, quòd cùm dicitur in augmentatione debet manere idem subiectum, non intelligas, q̃ debet esse in augmentationibus omnibus, quæ fiunt toto tẽpore augmenti, quæ non sunt continuę, sed sat est, quòd dum aliqua certa augmentatio fit, in ea manet idem subiectum, & ita fit.

Propterea vlteriùs nota, quod sicut aliud est, quòd generatur, vt terminus generationis, aliud, quod generatur, vt subiectum generationis, ita etiam in augmentatione, est aliud, quod actum est, vt terminus, aliud, quod auctum est, vt subiectum, & suscipiens augmentum: quod generatur, vt terminus est compositum scilicet homo, vel leo, quod vero est subiectum, materia est: in augmentatione autem, quod est auctum, vt terminus, est totum compositum ex præcedente corpore, & super addito: vt si ex bipedali fiat tripedalè: quod est vt terminus auctum, est tripedale, quod verò vt subiectum, est illud solum, cui super additur, vt bipedale, & hoc manet idem dum fit tripedale.

Occurrit Obiectioni. Nec valet, quòd non est idem sub toto termino, cùm enim acquirit vltimam partem pedalitatis est tripedale cum dimidio. Dico, quòd non debet sumi id solum, quod á principio fuit, id est, bipedale, & totum aliud est terminus: aliter enim possemus dicere, quòd in alteratione non manet idem, cum fit homo albus: nam semper est magis albus, & subijcitur albedini sequenti, sed non sic debemus sumere, sed ipsum, quod ante motum fuit, si hoc igitur in augmentatione consideremus, non est dubium, quin in qualibet augmentatione detur subiectum sic idem manens.

Ad tertium dico, esse duplex magnum discrimen inter augmentum viuentium, & augmentum ignis, alterum est, quòd ignis non crescit nisi ex ea parte, qua ei alimentum apponitur, si sursum apponitur, sursum tendit, si ad latus, similiter ad latus, vel ad aliam differentiam: at viuens cibo vna parte posito crescit secundum omnem differentiam & sursum, & ad vnum, & ad alterum latus: vnde constat, quòd talis motus non est ab vllo elemento, sed à forma peculiari, quæ dicitur anima: & hoc docebat Aristoteles contrà Empedoclem probans augmentum viuentium non esse ab igne. *Ad 3. Duplex discrimẽ in augmẽtatione viuentiũ & nõ viuentium. 1. discrimen.*

Alterum discrimen est, quod ignis suscipit alimentum ad partes exteriores, nec secundum omnes suas partes augetur: at viuens intra se cibum sumit, ac per varias partes internas virtute propria distribuit, & sic soluitur argumentum. *Alterum discrimẽ*

Ad quartum dico, quod non possunt animata crescere in infinitũ: *Ad 4.*

non

non.n. sola appositione crescunt, sed conuersione cibi, & auctione circa ipsum, in qua virtus naturalis debilitatur, in igne autem non debilitatur calor, sed semper æquè fortis producitur.

Ad. 5. solutio Marsil. & Alb.

Ad quintum Marsil. & Albe. q. 11. dicunt tripliciter aliquid dici idē numero, proprijssimè, propriè & largè. Id proprijssime vnū est, quod manet idem secundum se totum, vt cælum, angelus: id verò propriè quod manet idem secundum præcipuam sui partem, vt homo, cuius materia non manet, sed sola anima: largè verò, quod quamuis quoad omnes partes non maneat, tamen manet secundum figuram, & situm, vt fluuius, & sic manent reliqua animalia post multū tempus quorū materia tota, & forma recessit.

Reijcitur hæc solutio.

Mihi displiceret ista sentētia, quia iam profectò nullo modo esset idē numero sed specie. Quare dico, q̄ partes spermaticæ semper manent in toto vitæ tempore, quamuis decrementum passæ sint, & sic forma etiam in illis manet eadem: & hæc est sententia Auer. Alexand. Philop. Alber. Cùm igitur ipsum fundamentum idem maneat toto tempore vitæ, quamuis fluxus sit in reliquis partibus, viuens tamē, dici potest idem numero, & in hoc differt viuens ab igne, quinō sic manet.

Nota, quęnam partes maneāt in viuēte eadē numero.

QVAESTIO X.

An quod augetur eius quælibet pars augeatur.

VNum ex his, quæ ad augmentationem necessariò sunt obseruanda, erat, vt ostenderet, quomodo eius, quod augetur, quælibet pars augetur, propterea in præsenti disputatur.

Est autem, argumentum primum in oppositum, cùm augmentum sit per aduentum alicuius extrinseci corporis, si viuentis quælibet pars augetur, vel datur corporis penetratio, & hoc est impossibile, vel datur quòd diuidatur viuens, vt partes cibi ingrediātur in singulas partes, non enim videtur alius modus: sed hoc etiam est impossibile, quia oportet diuidi totū in omnem suam partem, si debet augeri secundum quamlibet, hoc autem non potest esse. Prętereà, quia tūc in augmento interueniret dolor, qui causatur ex diuisione cōtinui, at tū nullus dolor ibi intercurrit. *1. argu.*

Secundò, sunt partes aliquando in viuētibus aridæ, vt patet de multis, qui contractionem patiuntur membrorum, & non augentur secundū illas partes, bene tamē secū dum alias, ergo non quælibet pars augetur in viuente, dum augetur. *2.*

Tertiò, si quælibet pars augetur, saltem minima deberet augeri alia minima, & tunc in singulis augmētis totū in duplo maius fieret, qd est aperte contra experientiam. *3.*

Quartò, sequitur, quod secundum omnem dimensionem augeretur, & tunc esset animal tam in tum, quam lōgum, & profundum, quod est falsum.

5. Quintò, quia dici posset quòd non est totum corpus viuentis cõtinuũ, quia habet poros, per quos cibus applicatur partibus. Est argumentũ contra istos poros. Isti sunt repleti corpore aliquo, aliàs esset vacuum, ergo nõ possunt aliud in se extrinsecum recipere, quin detur penetratio corporum.

6. Sextò, si isti pori recipiunt in se nutrimentum, ergo conuerso nutrimento in viuens, non dilatabitur viuens, nec occupabit maiorẽ locũ, sed potius replebitur: & præterea iam non recipiet aliud, cum non maneant pori. Quòd si dicas: postquam est facta cibi illius conuersio, fiunt noui pori, & tunc dilatatur caro vel neruus, iam profecto non fit augmentum simul cum nutritione, & cõuersione cibi, qđ est contra Arist.

7. Septimò, cum illi pori fiant ex illo quod superest ex diminutione, videtur, quòd non sit maior quam excrementum ipsum relictum ex diminutione: si ergo nutrimentum non est maius quam deperditum, ergo nõ fiet augmentatio.

8. Octauò, quia est porus in medio carnis, nec videtur quomodo cibus possit transire, cum anteriores sint prius iam repleti, quia quæq; pars sibi attrahit. Hæc sunt argumenta contra partem affirmatiuã.

Sunt in hoc duo modi dicendi: alter est Auerrois, com. 38. qui existimat quodlibet minimum naturale corporis habere sunim porum minimum, ita vt inter minima medietur porus, & in hoc sanguis receptus nutrit, & auget quodque minimum per iuxta positionẽ, quia conuertitur in ipsius substãtiam: & sic eius, quod augetur, quælibet pars sensibilis, & minima augetur. 1. sentẽ Auer.

Ista opinio non mihi placet, quia absque ratione multiplicat poros, & minimas partes distinguit, qđ gratis dicitur, imo contra rationẽ, quia tunc esset corpus tam porosum, quàm solidum, quod non est credibile. Præterea tam porosum esset vnum, quàm alterum, quòd non apparet: & vlterius, quia non est ratio, qua probetur, illas particulas esse minimas. Reijcitur sententia Auer.

Altera opinio est Marsil. q. 13. & Albert. q. 12. qui distinguũt in corpore partes porosas, & nõ porosas esse, vt dictum est: dicunt tamen, quod omnes hę augentur, tamen non eodem modo, sed porosę per intus susceptionem, quia in se recipiunt cibum, nõ porosæ verò per iuxta positionem ad latera. 2. sentẽtia Mar. & Alb.

Ista sententia mihi non placet in hoc quod dicit, partes porosas augeri: nam pori non censentur partes nostri corporis, cum non sint aliud, quã concauitates plenę substantia non viuente. Reijcitur 2. sententia.

Et dato, quod essent partes, non dicuntur augeri, quia non manent eædem, imò postquã repletę sunt, alij noui fiunt pori, quod autem augetur, debet idem manere.

Propterea dico, esse poros in corpore nostro, & viuẽte innumeros, Sententia authoris.

&

& esse partes solidas, nõ minimas, ser paruæ quantitatis, aliquas maiores, aliquas minores, aliquas æquales, quia non omnes idem omnino habent temperamentum: similiter poros esse inter se inæquales, & hi non dicuntur augeri, sed deseruire augmentationi, quatenus alimentũ continent, quo solidè augentur. Vt autem hoc declaretur.

Nota. Aduerte primò, quod horum pororum est causa duplex, vna efficiens altera finalis: efficiens est calor naturalis inferiores corporis partes resoluens, & consumens, ex quarum resolutione, & consumptione supersunt vacuitates internæ in qualibet parte plenæ vapore resoluto vel excremento.

Finis horum duplex est, alter, vt sint viæ, per quas excrementa resoluta eijciantur foras, ne interius manentia corruptionis partiũ sint causa: alter finis est, vt per eosdem alimentum trahatur ad singulas has partes.

Est enim duplex via alimenti: altera est venę, per quas sanguis fertur ad innumeras corporis partes: sunt enim ramificatæ venæ in multos ramos: quorum alij ad alias corporis partes vergunt: tamen quia non debuit ita vena multiplicari, vt quæque particula haberet suam, prouida natura fecit poros, vt per hos particulæ paruulæ nutrimentum sibi traherent exugentes sanguinem à venis, quæ sanguinem ipsum per suos poros emittunt, sicut exit sudor per carnẽ exterius, non quod sanguis ex se egrediatur, sed quòd à virtute partium exugatur. Hæ igitur sunt causę pororũ, qui nunquam sunt vacui, sed modò sanguine, modò excremento, modò vapore, modò his omnibus repleti sunt.

2. Nota. Aduerte secundò, quòd quælibet pars alimentum sibi iuxta posi tum alterat, & conuertit, & non augetur sicut aqua, cui aqua ab extrinseco accedit, quæ vocatur additio quantitatiua, sed ipsa pars cibũ sibi similem facit; & hoc dicitur augeri per iuxta positionem non solum quantitatiuam, sed etiam generatiuam, & alteratiuam.

Tamen nota diligenter, quod dum conuertit cibum in poro existentem, simul resoluit vaporem, qui ex concoctione resultat, & ille vapor nouum faciens porum propellit viuentis partes versus locum exteriorem, & sic dilatatur, & locum maiorem occupat.

Vnde simul fit porus, & dilatatio partium, & cibi alteratio, & cõuersio: & sic quælibet pars augetur per hanc propulsionem, vt dixit Philop. tex. 39. & manent alij, & alij noui pori: & ne iterum existimes, quod alij pori fiunt, facta cõuersione, sed simul cum ipsa. Vide igitur, quomodo quelibet pars crescat,

3. Nota. Aduerte tertiò, quod est differentia inter spermaticas partes, & nutrimentales: spermaticæ enim recipiuut augmentum definitum à natura, & certo tempore, nec

si decrescant, iterum reparantur: at aliæ partes quocunque tempore augentur, & diminutæ crescunt iterum, vt patet in carne, quæ in infirmitate deperditur, & iterū restauratur: at non sic partes spermaticæ decrescunt in infirmitate.

Et attende, quod quamuis partium augmentum sit secundū omnem dimensionem, hoc tamen est proportionaliter, plus enim spermaticæ partes secundum longitudinem augentur propter naturam caloris sursum tendentis. Nec semper est augmentum secundum omnem simul dimensionem, quia stat carnem, & partes alias, secundum vnam, non secundum aliam crescere dimensionem: ex quibus omnibus patet, quomodo quod augetur eius quælibet pars augeatur.

Ad.1. Ad primum argumentū respōd. quod nec datur penetratio, nec diuisio sit sed per poros, quos diximus communicatur alimentum solidis partibus.

Ad.2. Ad secundum admittimus esse illas partes absque augmēto, quod prouenit vel ex debilitate caloris naturalis vel ex opilatione pororum, vel quia aliunde impeditur quo minus ei plene alimentum cōmunicetur: hoc tamen non est cōtra dicta; quia solum intendit Aristot. docere quòd cum aliquid totum augetur, tunc partes augentur: at cuius vna pars non augetur, iam totum non augetur, sed totum extra illam partem.

Ad.3. Ad tertium negamus secundum minimam partem esse augmentum, non enim quod augetur est pars minima, vt diximus, & quamuis admitteremus quòd esset minima, & sanguis etiam esset minimus, tamē cum in carnem conuertitur, est minus minimo, minimum enim sanguinis conuersum non adæquat minimum carnis vel ossis, quia animalis pars concretior est, & quia pars cibi semper resoluitur: vnde non fit augmentum in duplo.

Ad.4. Ad quartum patet solutio, non enim tantum est augmentum, & æquale secundum quamque dimēsionem, vt diximus.

Ad.5. Ad quintum dico, quòd corpus quo replentur pori cedit cibo, vel quia alia ex parte, & per alium porum recedit, vel si est obstaculum per partem eiusdem pori, sicut fit de aere, cùm aqua infunditur naui per os ipsum,

Ad.6. Ad sextum, solutio nota est ex secundo fundamento, cùm primū enim pori cibo repleti sunt, virtus viuentis simul incipit conuertere, & alterare, nouosque poros facere & exinde dilatatur caro, vel os, vel aliud: & ita cessat argumentū omni ex parte.

Ad.7. Ad septimū dico, quòd pori ex excrementis, & ex vaporibus resolutis fiunt, vnde maiores sunt, quam partes diminutæ, & plus cibi capiētes, quam sit deperditum, imò quam conuerti possit: nec isti sunt omni tempore æquales, sunt enim in iuuenibus maiores, in senibus verò minores.

Ad

Ad 8. Ad octauũ dico, q̃ cibus prius trahitur à partibus superioribus, quam sistat in inferioribus: partes enim interiores ab exterioribus sumũt, hæ verò ab alijs, donec perueniatur ad venas ipsas. Et sic patet determinatio q̃nis huius.

QVAESTIO. XI.

An augmentatio sit motus continuus.

1. argu. pro parte affirmatiua. AVgmentationem motum ad quantitatẽ superius esse determinauimus, nunc, an continuus sit examinare oportet.

Et videtur primò, quòd sit continuus. Si augmentatio non esset cõtinua, esset in instanti, at esse non potest in instanti, quia tunc augeri, & auctum esse, essent simul, nec prius res diceretur augeri, quam q̃ esset aucta, quod est cõtra Aris. 6. Phys. tex. 7. vbi dicit, prius esse moueri, quam esse rem motam.

2. Secũdò, augmẽtatio est circa quãtitatẽ, sicut localis motus circa spatium, ita vt sicut hic per spatium, ita ille per terminum sit diuisibilis, vt dicitur. 6. Phy. tex. 49, at localis motus quia diuisibilis, est cõtinuus, ergo & augmentatio.

3. Tertio, motus à contrario in cõtrarium est in tempore, motus autem qui tempore fit, continuus, & successiuus est, debet enim ad diuisionem temporis diuidi: est ergo augmentatio successiua, & cõtinua.

4. Quartò, ita fit augmentatio sicut extensio caloris per vnum cõtinuum, vel extensio ignis sed calor vel ignis cõtinuè põt diffundi per lignũ, ergo ipsa augmentatio põt successiuè esse, & continua.

5. Quintò. Augmẽtatio est velox, veltarda, ergo cõtinua, vt notũ est.

6. Sexto. Alteratio potest esse continua, vt superius est probatum, ergo & augmẽtatio. Hæc sunt argumenta pro vna parte.

At ex altera parte etiam argumenta non desunt,

1. argu. pro neg. Primò ex Arist. 8. Phys. tex. 23. vbi negat, augmentationem esse cõtinuam, vt illic est expositum.

2. Secundò, augmentatio non habet vnum subiectum, ergo nõ est continua: probatur antecedẽs: nã aliud est os, quod augetur, aliud caro, aliud neruus, nec cõtinua sunt inter se.

3. Tertio, augmẽtatio præsupponit generationẽ, at generatio est instantanea, ergo & augmẽtatio, nã simul fit vtraque mutatio.

4. Quartò, si augmẽtatio esset successiua & continua, tunc nõ daretur primum esse, quia in motu nõ datur primum esse, at hoc videtur falsum: nam cùm augmentum sit secundum aliquam actu partẽ, videtur quod debeat dari prima.

5. Quintò, quia si est continua per aliquod tempus, ergo in quolibet instanti factum est magnus viuens, at sunt infinita instantia, ergo erit viuens in fine temporis illius infinitum actu, quod est impossibile: manet igitur dubia res.

1. Nota. At vt hoc determinemus, oportet, certa ab incertis secernere. Tripliciter potest intelligi, motũ esse

continuum. Primò, vt continuus dicatur perpetuus, quomodo Arist. 8. Physicor. vocat, circularem solum esse posse cõtinuum, id est, perpetuum; nec de hoc disputamus modò.

Secundò dicitur continuum augmẽtum, ita, vt ducet cõtinuò per totum tempus, quo augmentũ fit, vt per viginti annos primos absq; interpolatione homo augeatur, vel aliud animal, per tẽpus sui crementi determinatũ, & de hoc non est tanta difficultas, quia talis continuitas non inuenitur, quia non semper calor naturalis est in conuertione maioris substãtię ob frequentia impedimenta.

Tertiò, potest augmentum dici continuum pro aliquo saltem tempore ita, vt cùm fit augmentum quantumcunque sit paruum illud fiat continuè in aliquo breui saltem tẽpore & de hoc est duplex opinio.

2. opinio Marsi. et Alber. et Land. Altera Marsil. q. 14. Alber. Saxo. q. 13. & Ianduni. 8. Physic. q. 7. qui sustinent, augmentum esse continuum, & successiuum, sicut est motus localis, per aliquod spacium: & rationes huius opinionis non sunt fortiores, quàm sunt propositę in principio; quam sententiam vt indubitatam sustinent aliqui moderni.

2. Auer. et Alber. Altera est opposita sententia Auerrois. 8. Physic. commen. 23. & 3. Physic. comment. 8. ac Alberti Magni. 8. Physico. super textum, 25. & Sancti Thomæ ibidem; qui docent augmentum non esse continuum, sed quòd est interpolatus, motus varijs instãtibus ita vt hoc tempore fiat dispositio, & alteratio cibi, & in fine fiat conuersio in instanti, & sic augmentum: postea fiat in tempore dispositio cibi, & alio instanti conuersio, & totum augmentum sit congregatum ex his omnibus augmentis particularibus.

Auerroes addit, quòd istæ partes, quę in singulis augmẽtis acquirũtur, sunt minimæ, & ita fit augmẽtũ secũdum multa minima multis diuersis instantibus copulata.

Quid autem mihi videatur hac in re dicendum aperiam sequentibus conclusionibus. Sententia autoris.

Prima. Augmentum non est cõtinuum, & successiuũ ita, vt quando aliquid est auctum secundum aliquam quantitatẽ in aliquo tempore, in medietate fiat secundum dimidium, & in alia medietate tẽporis secundum aliud dimidium, & sic proportionaliter: non inquã sic, sed in tempore aliquo fit dispositio, & alteratio cibi, in fine autem alterationis conuersio, & simul augmentatio. 1. Concl.

Hęc conclusio profectò sat est probata autoritate Auerrois, Alberti & Sancti Thomę, qui collati, & oppositi Modernis, magnæ rationis vim habent: at præter hoc videtur primò expressa doctrina Arist. 8. Phy. tex. 25. vbi habetur talis conclusio expressa, & exemplis ipsius Arist. explanata. Primo autoritate.

Sed

2. ratio-nibus. Sunt tamen præter dicta, argumēta duo, quæ videtur mihi efficaciam habere.

1. suppo. Alterum est suppositis duobus, quorum primum est, quòd cibus ante conuersionem, dum fit alteratio à parte viuente, puta carne, nō est continuus, sed solum cōtiguus, & iuxta positus carni: & cùm conuertitur vna pars sanguinis in carnem manet discontinuata ab alia parte residua sanguinis, quæ cibus est: hoc autem nullus negare potest.

2. suppo. Alterū suppositū est, quòd datur minimum substātiæ productę naturalis ita, vt cū caro producitur sit sub certa quātitate, sub qua primò producitur: quòd si datur minimum substantiæ, sequitur, quòd debeat dari minimum secundum extensionē in accidentibus disponentibus ad substantiam: si enim non daretur minimum, tunc posset disponi pars minor minima, & in ea introduceretur forma substātiæ, quod est falsum.

1. Ratio. Ex his duobus argumentor: sumo partem sanguinis iuxta positam carni nutriendę, & peto an huius alteratio sit successiua ita, vt non detur quęcunque pars, quin prius minor disponatur, vel non, sed aliqua certa pars simul disponatur: si des primum, iā incidis cōtra secundum suppositum: non enim daretur primum vel minimū in substantia, sicut nec in ipsius dispositione: si secundum dicas, ergo non successiuè, & continuè fit augmētum vlteriùs ex residuo cibi, cum maneat discontinuum per primum suppositum, nō potest disponi nisi ad minus secundum minimum, ergo nō est secundum minorem, & minorem proportionaliter partem, & sic dicam de alijs. *Reijcitur*

Nec poteris dicere, quòd est cō- *Solutio.* tinuus motus, quia in singulis instantibus acquiruntur continuè minima, hoc autem est impossibile, quia minimi conuersionē precedit alteratio distincta in singulis. Præterea, quia tunc essent infinita minima æqualia actu, & non communicantia, quòd fieri non potest non ergo est continua augmentatio.

Alterum argumentum est, dimi- 2. Ratio nutio non sit continua, ergo nec augmentatio: consequentia est bona, quibus enim rationibus ipsi probant, augmentationem esse cōtinuam, eisdem probari potest etiam diminutionem: antecedens vero probatur, si diminutio motus est, non ergo datur primum, secundum quòd diminutio facta est, cùm igitur ex diminutione resultet aliqua substantia, quę fit ex materia separata à viuente, nō dabitur minimum substantiæ illius, quod est impossibile: igitur non potest esse motus continuus: his igitur mihi videtur probari intentum.

Secūda cōclusio Mihi probabi- 2. conc. lius est, quòd non fiat secundū minima augmentatio ista, sed quòd fit secundum maiores partes.

Primò ex similitudine. Vt enim contingit in generatione substantiæ fieri non minimam, sed maiorem vnico instanti: ita etiam potest per nutritionem conuerti, & secũdum illam erit simul augmentatio.

2. ratio. Et ratio, quę mouet est, quia nõ est ratio conuincens, qua constringamur ad ponendam augmentationem secundum minima, cùm posset æquè bene aliter fieri, vt diximus.

Nota modũ augmẽtationis. Ex quo sequitur vnũ, quod maximè notare debes, augmentationem hoc modo fieri, recepto nutrimento in poris, cùm virtus viuentis incipit alterare, & resoluere, tunc fiunt pori, vt dixi suprà, & tunc partes extenduntur, & dilatantur, sed nondum est augmentũ, quia adhuc æqua est substantia, facta dilatatione versus partes exteriores, toto tempore alterationis serè, tunc in fine fit cibi cõuersio & alimentum fit pars viuentis, & est maius viuens, & hoc est augmentum & noui loci occupatio versus ipsum, quia vbi erat nutrimẽtum, est iam viuens.

Not. Vnde mutatio loci partim præcedit, partim cõmitatur, seu consequitur, vt notum est vnde nisi fieret illa precedens extensio, vt accidit in senibus, non esset conuersio cibi augmentum, quamuis esset ibi viuens, vbi erat nutrimentum iuxta.

Ad. 1. Ad argumenta respondere possumus. Ad primũ, quòd loquitur Arist. illic de motu locali, vt ipsius verba indicant, & quamuis etiam sit sermo de augmento, adhuc veritatem habet: nam augmentum non vocatur illa vna mutatio instantanea, sed multæ simul, quæ rem secundum aliquem gradum notabilem quantitatis augent, vnde inter media augmenta sunt augeri.

Ad. 2. Ad secundum dico cum sancto Thom. & Auerroe. 8. Physi. quòd Arist. loquitur in genere de motu nõ curãs, an sit iste vel ille in Physic. nisi solum exempla ponendo, vel possumus dicere, quòd est diuisibile augmentum secundũ quãtitatem, si totũ sumimus augmentũ viuentis: non enim totũ vnico absoluitur instanti, nec oportet, vt proportionaliter diuidatur secundum quantitatem: sat est, quòd sit diuisibile, & profectò ista glossa sufficit cùm habeamus locum in Arist. quo ipse fatetur expressè non fieri augmentum proportionaliter secundum tempus.

Ad. 3. Ad tertium dico, quòd non est perfecta contrarietas in quantitate ita, vt quęlibet contrarietur cuilibet, sed est contrarietas secũdum perfectum, vel imperfectum terminum, & sic debet sumi totũ augmentum, quod ex imperfecto tendit ad perfectum, & hoc tempore perficitur.

Ad. 4. Ad quartum nego extensionem ignis per lignum fieri continuè, quia semper prius disponitur pars, quàm fiat ignis, est tamen tam cita, præsertim in charta, & paleis,

vt

vt videatur continua. Et hoc est manifestum.

Ad 5. Ad quintum nota, q̃ augmentatio sumitur aliquando pro alteratione simul antecedente augmẽtationem in quãtitate, & sic totus ille motus continuus vocatur, & velotior vnus altero. Adde etiã, quòd augmentatio dicitur ipsa per se velocior, cum sit frequentior, id est, in vno tempore, & æquali pluries augetur res.

Ad 6. Ad sextum dico esse aliam rationem in alteratione: hæc enim non fit cum productione substantiæ: vnde cùm aliquod minimum ligni alteratur, potest calor per residuum continuè diffundi, quia non separatur ab antecedenti: & sic non dabitur minus minimo per se, quod in generatione non habet locum, quia quod generatur: statim discontinuatur, & oportet in residuo, non dari minus, minimo, quia tunc esset per se.

3. concl. Tertia conclusio. Puto, probabilem esse oppositam sententiam, possuntq̃ solui argumenta omnia facta, sed non facilè, præsertim cùm sensus, & maior probabilitas sint in contrarium.

QVAESTIO. XII.

An nutrimentum sit simile nutrito.

SVperest, vt cùm de augmentatione, quid esset disputatum fuerit, & quomodo quælibet pars eius, quod augetur, augeretur & quomodo idem in augmento permaneret, supereſt inquam, vt nunc de tertio disputemus, nempè de illo extrinseco, quo aduenìente, fit augmentatio.

Et est argumentum primum cõtra id, quod dicitur text. 38. quod debet esse simile nutrito: videtur falsum. Pars non est nutrimẽtum rei, at nutrimentum, cùm est simile nutrito, est ipsius pars, non ergo est iam nutrimentum. 1. arg.

Secundò contra id, quod dicitur, nutrimentum esse in potentia, videtur quòd quodlibet corpus posset esse nutrimẽtum viuentiũ, quia est eiusdem materiæ, quę est in potẽtia ad formam quamlibet: at illud falsum est, non enim quolibet, puta lapidibus, vel ferro nutriri possumus. 2.

Tertiò contra id, quod dicitur nutrimentum nutrit vt substantia, auget vt quantum, semper nutrit, non tamen semper auget: videtur hoc fieri non posse: nutrimentum nunquam fit substantia viuens, nisi simul sit quantum, vt notum est, ergo non potest nutrire, quin augeat. 3.

Quarto videtur, q̃ nutritio non differat ab augmentatione: non enim videtur, quis alius motus esse possit. 4.

Circa hoc aduerte primò, nutrimentum debere esse proportionatum cum viuente, cùm .n. debeat in viuentis substantiam conuerti, debet esse tale, vt possit formam talem recipere: sunt autem duo, in quibus ista proportio consistit: alterum est, vt sit mixtum: nam viuens omne mixtum est, quia est 1. Nota.

dissimilare, ex quo fit, quòd purũ elementum non sit nutrimentum viuentis, ideo aqua vel aere nõ nutrimur. Alterum est, q̃ tale mixtũ sit, vt sit proximum viuentis temperamento, vel saltem reducibile ad viuentis temperamẽtum ab ipso viuente: viuens autem in tẽperamẽto quatuor qualitatũ cõsistit, præsertim tamen in calido, & humido temperatis: quæ igitur non possunt reduci ad tale humidum cum calido temperatum, non sunt nutrimentum viuentium.

Triplici ex causa potest alimentum non esse proportionatum. Primo.

Quòd triplici ex causa prouenire potest, vt docet Alb. opuscu. de nutritione, ca. 1. Primò, cũ est intemperatum, & improportionatum ita humidum, vt nõ possit solui, & temperari, nisi à vehementi calore, qualis non est in animali, vt est ferrum, argentũ, & metalla, quorum tẽperies dissolui nequit, nisi à calore fortissimo ignis, calor autem animalis non est tantus.

2. Secundò, cũ humidũ nõ potest dissolui, & à sicci intemperie separari, nisi per ipsius humidi cõsumptionem, vt in lapidibus, & alijs, quorũ humida, accedente calore destruuntur, & aduruntur.

3. Tertiò, cùm est humidum admodum paruum, vt in pilis, & ossibus, ac lignis siccis: omnia igitur ista ob dictas causas non sunt nutrimentum viuentium.

5. Nota Nota tamen, quòd cùm sint inter ipsa viuentia adhuc varia temperamenta, diuersa quæq; nutrimenta appetunt prout magis, ac magis, ipsis proportionata sunt; vnde sanguinei, quibus humidum aereum viget cum calido temperato appetunt tales cibos, vt vinũ rubeum, album panem, oua mollia, & trementia, cholerici verò admodum nutrimenta adusta, & quodque viuẽs pro sua temperie: ex quo patet, quale debeat esse nutrimentum.

2. Nota. Partes inquibꝰ disponitur nutrimentũ Aduerte secundò ex hoc, cùm nutrimentum debeat præparari, & disponi ad viuentis temperamẽtum natura in animalibus constituit partes principales, quibus hoc nutrimentum perficeretur.

Stomachus. Altera pars est stomachus, seu ventriculus, in quo fit concoctio, & separantur partes fœculẽtæ, & ineptæ nutritioni, & totum ad intestina mandatur, à quibus iecur, seù hepar sumit totũ illud, quod nutritioni est aptũ, & relinquit excrementa alia, quæ per aluum mittuntur. Est autem quędam vena *Vena porta.* ab ipsius iecoris sinistra seu inferiori parte procedens ampla satis, quæ dicitur vena portæ, quę statim in duas diuisa post aliquod *Venæ meseraicæ.* spaciũ à iecore, & illę in alias, & hę in alias innumerabiles, quæ meseraicę dicuntur, sumunt, & trahunt ab ipsis intestinis nutrimentum ad iecur, in quo cibus prępparatur, & fit iam massa rubea: erat enim primò velut crocei coloris, non dum tamen sanguis est secundum Arist. benè tamen secũdum Galenum: parum refert hoc in præsenti. In iecore, q̃ est in parte *Iecur.* dextra

dextra sub ventriculo, fit concoctio, in qua secernuntur partes terrestres tanquam inceptę nutritioni, & partes calidissimæ, & subtiles, & priores, quæ melancholicę sunt, mittuntur ad lienem per venam quandam, lien autē est ex opposito inferius à parte dextrà: posteriores verò mittuntur in vas quoddā intra iecur, quod dicitur folliculum fellis, in quo residēt illæ partes cholericę, & biliosæ: sic nutrimentum præparatum mittitur ad cor per venam superiorem iecoris, quę à corde in superiorē partem iecoris mittitur, ampla nimis, & dicitur vena caua: humor autem, & massa recepta in corde concoquitur, & fit sanguis perfectus, & iam est nutrimentum vltimum, quod mandatur per venas iterum in vniuersas alias venas, & partes corporis animalis, quibus quęque pars nutritur: vnde sanguis vltimum alimentum est, vt dicit Aristoteles. 2. de partibus, capit. 3. Nec existimes, venas & intestina, esse loca principalia concoctionis, & præparationis alimēti, sed vias, per quas defertur, quāuis, aliquam inducant alterationem, sed non quę mutet sanguinem, non enim mutatur iam nisi in partem viuētium à singulis partibus nutriendis.

Lien. *Folliculū fellis.* *Cor.* *Vena cava.*

Explicatio diuisionū. Has tres purgationes, seu dispositiones explicat Galenus lib. de iuuamentis, similitudine bona, puta de vuis. Primò enim calcantur, & fit mustum, separanturque illæ cutes, quæ assimilantur excremento animalis, primò facto per aluum, postea reponitur in alio loco, fiunt fœdimenta, & fęces, quæ similantur excrementis in iecore: tandem in vase faciunt spumas, & restat vinum purum. Sic à sanguine egresso à corde extrahitur aquositas per duas venas, quas emūgentes vocant, & in renes tendunt, & illinc in vesicam vrinæ, quæ omnia perspicuè anatomici docent & ostendunt.

Renes.

Sunt igitur vniuersaliter quinque alterationes cibi ante conuersionem in substantiam animalis. Primo est in orę, quę masticatio dicitur, & hæc imperfecta alteratio est. Secunda est in ventriculo. Tertia in iecore. Quarta in corde. Quinta in singulis partibus nutriendis. Ex his, puto duas esse solum concoctiones, & eam, quę est in ventriculo, & eam, quæ est in iecore, quia in his mutatur cibi species, non in alijs: sed parum refert hoc nunc discutere.

Quinque alterationes cibi.

Fiunt etiā quinq; excrementa, primū ex intestinis, duo in iecore, quartum in vrina, vltimum in alijs partibus, vnde sudores prouenium pilli, vngues, sputū, immundities auriū, & nasi, & alia multa. Vide igitur, quātus sit naturæ ordo in disponendo nutrimento.

Quinque excremēta cibi.

Aduerte tertiò, quòd sunt operationes, & virtutes quatuor in singulis partibus. Prima est, attrahendi cibū ad se, quare attractiua dicitur: altera retinendi, ne dum

3. Nota. 4. Virtutes in singulis partibus.

con-

cõuertitur, retrahatur, quæ retentiua dicitur. Tertia conuertendi, & alterandi, quæ dicitur digestiua. Quarta expellendi superfluũ á se, quæ expulsiua dicitur: quas omnes docet Auicen. 2. Fen. doctrina 6. cap. 2. vnam aliam addit Auerr. 2. colliget. puta discretiuam, qua quod sibi vtile est ab inutili, & inepto ad nutritionem secernit: sed forsan hæc eadem est cum digestiua. Per hæc omnia potest ad argumenta responderi:

Ad. 1. Ad primum aliqui dicunt, alimentum, quod dicitur simile, esse sanguinem, quia est valdè similis animali, & viuenti nutriendo in qualitatibus: sed hoc non est recipiendum: nam cùm debeat mutari in viuens ex potentia in actũ, profectò potius cõtrarius dicetur, quia mutatio ex oppositõ est. Præterea, quia est contrarius nutriendo aliquando · nam sanguis humidus est, os verò valdè siccum, non ergo debet dici simile.

Melius ergo, vt dicamus, quòd idem est nutrimentum, & pars viuentis, pars quidem vt solum vnionem dicit, nutrimentum autem, vt reparat substantiam deperditam: cùm ergo sanguis est, tunc est nutrimentum dissimile, donec fiãt viuens.

Nota de corde. Nota tamen ex Arist. 3. de partibus. cap. 5. quòd cor est locus, in quo primùm sanguis continetur, ac inde in vniuersas partes corporis nostri per venas, & arterias diffunditur, & assimilatur cor fonti communi, vnde in vniuersum hortum aqua diducitur.

Sunt enim duo ventriculi, & receptacula in corde, vnũ superius, quod dextrum dicitur, & in hoc fit primum sanguis nutrimentalis, qui per venam cauam diffunditur in corpus, & hoc aluntur partes reliquæ: ex isto ventriculo dextro transsudat aliqua copia sanguinis in aliud inferius, quod dicitur leuum, hic fit purissimus sanguis, ex quo generantur spiritus motiui, qui sanguis dicitur arterialis, & diffunditur per venam quandam ex ipso procedentem, quæ dicitur arteria magna, & hic sanguis diffunditur in pulsus: nã pulsus est arteria cum sanguine isto, & spiritu motiuo: solet sanguis hic naturalis dici. Atque hæc satis de sanguine. Galenus, quem medici sequuntur, sanguinem in iecore generari dicit, qui per venas diffunditur, & in corde generari spiritus vitales, qui per arterias à corde originem trahentes diffunduntur, & huic sententiæ magis fauet Anatomia, quàm Aristoteli, quid autem sit verius viderint medici.

Ventriculi cordis. *Nota de arterijs.*

Ad. 2. Ad secundum dico, quòd non loquimur de quacunque potẽtia, sed solum nutrimẽtum dicitur in potentia, quod reduci potest ad viuentis temperiem ab ipso viuẽte, vt dictum est, hæc autem reductio fit medio calore naturali.

Habet autem tres operationes mirabiles calor iste. Prima est, separare

parare partes diuersę rationis. Separat enim excrementa à partibus ad nutritionem aptis, & in hoc fit similis calori elementi: hic enim separat atherogenea, vt aurum ab alijs, quibus cũ miscetur, secernit. Altera est viuificare, facit enim ex sanguine non viuente viuens, in quo similatur calori celesti, qui viuificus est. Tertia est assimilare, quia calor in osse sibi sanguinem similat, dum facit os, in neruo neruum, in carne carnẽ: & sic de alijs, & ab hoc calor animantis dicitur: an tamẽ specie differat ab elementari, alibi discutietur.

Ad 3. Ad tertium dico, quòd non fit nutritio absque acquisitione alicuius quantitatis, sed non quęcunque acquisitio facit augmentum, nisi sit maior, quàm ea substantia, quę deperdita est. Dices, quare in sensibus cessat augmentum, nõ autem nutritio? Dico, propter siccitatem partium ex consumptione humidi naturalis reddduntur partes duriores, & quæ vix extendi, & propelli possunt, ob id cessat augmentum, non tamen nutritio, quia manet calor naturalis agens, & hinc est, quòd pori sunt breuiores multò in senibus, quàm in iuuenibus,

Ad 4. Ad quartum vidè Alber. sum. de homine. q. 28. est difficilè scire qualis mutatio sit nutritio, apud eos, qui formam eadem extendi dicunt in materia cibi, est enim contraposita generationi, vt ipsi dicunt generatio est propter formam, materia enim nouam acquirit formam, & est motus materię in formam at nutritio è contra formę motus in materiam.

At secundum ea, quę nos diximus, facilè est, hoc soluere est. n. generatio quędam, cùm noua forma producatur, si diuisibilis sit, sicut cum vna medietate ligni accensa, altera accenditur, huius est generatio: cùm verò est forma indiuisibilis, est adhuc generatio quædam, quamuis enim non fiat forma, nec materia, tamen fit totum illud scilicet caro, os, sicut fit homo non facta anima, nec corpore. Et hæc satis de augmentationis materia.

CAPVT SEXVM.

Quoniam autem oportet primum.

Tex. 43.

Ostquam de generatione quid esset, & qualiter ab alteratione separetur, differuit, similiter etiã de augmentatione nunc de principijs communibus generationis corporum particularium, scilicet de elementis disputare aggreditur: at quia opus erat prius, quàm de ipsis diceretur, quędam alia pręmittere, puta tractationem de tactu, de actione & passione, & de mixtione, ista tunc explicare incipit. Proponit igitur intentionem suam in principio, dicitque, cum sit disputandum de materia, & de vocatis elementis, oportet

Intentio Aristo. cõsequens.

oportet primum tradere ea, quæ nostris temporibus confuse tractãtur apud philosophos.

Tres quæstiones proponit de elemẽtis.

De elementis autem tres quæstiones proponit post discutiendas. Prima est, an sint, nec ne, altera est, an sint sempiterna, & ingenerabilia, an non, sed secundum aliquam partem saltem generentur. Tertia est, si generabilia sunt, an mutuò omnia, & inuicem inter se ita, vt vnum ex altero, & è contra generetur, vel non sic, sed ex vno reliqua generentur, vt alij voluerunt: quidam enim ex igne solo, quidam ex solo aere reliqua generabant. Nota literam secundum Philop. cum dicitur de materia, & de vocatis elementis, idem intelligit, exponitur. n. primũ, scilicet materia, per secundum, ne existimetur hic agi de materia prima secundum se.

Nota. 1. Vlterius dicit vocata elementa, quia cõmuniter hęc quatuor prima corpora elementa vocantur, & tamen non sunt simpliciter elementa, cum adhuc ipsa compositionem habeant, nec in mixto secundum formam omninò manent: elementum autem secundum totam substantiam debet manere in eo, cuius est elementum.

Nota vlterius, quòd prima quæstio posita ab alijs non ponitur pro quæstione, sed sensus est, an vocata elementa, siue verè elemẽta sint siue non, an ingenerabilia, & sempiterna sint, vtrumque commodè dici potest.

Omnes enim, qui elementa generant, & qui ea.

Agendũ esse de mixtione probat ex sententia antiquorum.

Conclusionem suã confirmat ex sententia Antiquorũ, dicitque, q̃ tam illi, qui elementa generant. i. dicunt, elementa esse ex alijs generata, vt Anaxa. & Democ. quàm hi, qui non ea dicunt generata, sed illa, quæ ex ipsis componuntur, vt Empedo. Omnes hi de generatione horum, siue vno, siue altero modo dicentes, vtuntur congregatione & segregatione: similiter loquũtur de agere & pati: cõgregatio autem quædam mixtio videtur: ergo ad disputationẽ de elemẽtis oportet de his tradere, præsertim quod de mixtione illa, nihil distinctè locuti sumus hucusque.

Sed neque alterari possibile est, neque segregari.

Agendũ esse de alteratione & passione.

Ex opinione eorum, qui plura ponunt principia, probauit agendum de mixtione: at nunc de agere, & pati probat ex in ipsorũ opinione, sed etiam eorum, qui vnum principium faciunt: hi enim alterationem admittunt: dicit ergo, quod nec alterari, nec congregari vel segregari cõtingit, nisi ponatur actio vel passio, opus enim est, vt sit vnũ agens, alterum patiẽs: & ita, qui plura elementa ponunt generationem dicunt, quia ad inuicem agunt, & patiuntur.

Reprehẽsio antiquorum.

Hos tamen arguit Arist. quia ad veram actionem, & passionem ponendam, præter plura principia contraria oportebat vnum cõmune ponere subiectum. aliter autem

non

non contingit vere agere, aut pati: nam vnum contrarium non potest fieri alterum contrarium: non enim calor fit frigiditas, sed ab vno se subiecto expellentes agunt & patiũtur, & in hoc laudatur Diogenes, qui tale posuit cõmune subiectum contrarijs, sic enim contingeret agere & pati. De hoc diximus lib. 1. Physicor.

Reprehendit tamen ipsum Diogenem in vno, quia solũ ad actionem & passionem ponebat vnum subiectum, in quo errabat: non enim sat est, vnum habere subiectum, sed quòd ad inuicem sint res actiuæ, & passiuę scilicet contraria sint: non enim calor agit in saporem, quamuis vnum habeant subiectum.

Sed de ipso facere & pati.

Agẽdũ esse de tactu.

Non solum de mixtione, actione, & passione sed etiam de tactu disputandum docet, quod probat, quia sicut nec mixtio sine actione vel passione, ita nec ista sine tactu esse possũt, opus est. n. vt se tãgãt, quæ inuicem agere, & pati debẽt: ergo & de tactu dicere oportet. Inter ista autem omnia primum de tactu proponit dicendũ esse, quia vniuersalior est: quibus enim ineſt mixtio, ineſt tactus: similiter cum vnum agit, alterum patitur principaliter id est propriè, est etiam tactus non est autem e contra: nam duo se tangere possunt, quin agant, & patiantur, & duo agere, & pati, quin sit mixtio: à tactu ergo incipiamus.

Ferè igitur vt & aliorum nominum.

Tex. 44.

Tactus multipliciter dicitur.

Tactus multipliciter, & analogice dicitur, quare non à communi definitione, sed à diuisione incipit: dicit igitur, q̃ sicut alia quam plurima nomina multipliciter dicuntur, quædam pure equiuocè, quędam per prius, & posterius, & analogice, ita etiam in tactu.

In quibus tactus proprie reperitur.

Incipit aũt primam significationẽ secundũ quã tactus propriè dicitur, exponere dicẽs, quod tactus proprie ineſt ijs, quæ habent positionẽ, & locum, puta corporibus.

1. Nota.

At posset quis dubitare: nam corporibus mathematicis ineſt proprie tactus, nõ tamẽ sunt in loco.

Respon. quòd sunt quidem in loco, & eis locus debetur, siue sint separata realiter, vt ponebat Pythagoras, siue non, sed secundum solam rationem.

2.

Vbi nota, quòd diximus. 4. lib. Physic. quod locus debetur primo rei ob suam quantitatem: locus autem naturalis ob qualitatẽ: vnde si daretur corpus quantum ab alijs separatũ, vtique deberetur ei locus, & locum repleret: sed per accidens locus naturalis ei competeret non enim magis sursum, quã deorsum aptum esset esse: modo autem cum non est separatũ quantum à quali re, sed ratione sola idem est locus re pro vtroque, sed ratione diuersus: nam locus, vt locus, & vt ambiens correspondet corpori, vt est quantũ: locus verò, vt talis est, id est, vt has vel illas

claudit

claudi qualitates, debetur corpori eidem, vt quale est.

Quid sit tactus primo modo.

Ex his concludit Aristoteles primo tactu, illa se tangere, quæ vltima simul habent, & determinatas habent quantitates, id est, discontinua sunt, & positionem habent, quorum quidem sunt conditiones tres, vt sint corpora, & discontinua, & simul habeant vltima: sic enim est libro. 6. determinatum, quòd se tangunt, quorum sunt vltima simul.

Quoniam autem positu quidem.

Quid sit tactus secundo modo.

Secundum tactum vult indagare, & est eorum quæ non solum habent illa tria præcedentia, sed inuicem sunt motiua, & mobilia. Ad hoc autem facit hanc rationem: quæ sunt in loco, & positionem habent, se tangunt, vt dictum est: at quæ in loco sunt, quædam sursum, quædam deorsum, vel secundum aliam differentiam sunt, ergo omnia talia se tangunt: vlterius, talia, aut grauitatem habent, vt terra, vel leuitatem, vt ignis, aut vtrumque, vt intermedia, quæ vtroque participant: huiusmodi autem sunt actiua & passiua mutuò, motiua & mobilia, ergo horum tactus est: est ergo tactus eorum, sed non solum sunt corpora, sed & discontinua, & vltima simul habentia, sed etiam inuicem motiua, & mobilia sunt: tactus igitur addit motum supra primum.

Quoniam autem mouens non similiter.

Tex. 45.

Quid sit tactus tertio modo.

Tertium tactus modū indagat, puta cum duo non solum corpora sunt, & simul habēt vltima, & motiua, ac mobilia sunt, sed etiam actiua & passiua, id est, alterantia secundum qualitates, & passiones. Ad hoc autem proponit distinctionem mouentis.

Duplex genus mouentis & facientis.

Est enim duplex, alterum, quod mouet, & non mouetur alterum, quod mouet, & mouetur, eandem quę distinctionem dicit esse in faciente, sed tamen est differentia inter faciens, & mouens, mouens enim est superius includens quācunq; actionem: at faciēs inferius est, dicitque alterationem secundum qualitates: & hoc probatur ex suo opposito: nam opponitur patienti, patiens autem est secundum motum passionis, qui est secundum qualitates tertiæ speciei.

Alius quidam modus tactus.

Ex quibus colligitur alius tactus: nam potest esse, quod mobilia, & mouentia se tangāt, sed nō per passionem & actionē, & sic erit alius tactus eorum, quæ passiua & actiua inuicem sunt.

Tres tactus colliguntur.

Vnde colligit tres tactus vniuersaliter primus eorum, quæ positionem habent: alter eorum, quæ motiua & mobilia sunt: tertius corū, quę actiua & passiua sunt: primus tactus mathematicus dicitur; secūdus, & tertius physici, magis autē tertius.

De quo magis propriè dicatur tactus.

Aduerte autem, quòd aliqui volunt tactum magis propriè dici de tertio, & Physi. inter quos est Philop. sed mihi non placet, imò omnium

nsum primus est mathematicus, primò, quia tactus est passio quãti, & habentis positionem; at corpus mathematicum, puta vt quantum est; dicit intrinsece, & formaliter ipsam quantitatem, ergo tactus ipsius est primus.

Præterea, quia tactus Physicus pẽdet ex mathematico, nisi enim quantitas esset, tactus non esset, at non è cõtra potest. n. mathematicus absque Physico consistere.

Præterea quia est simplicior, reliqui sunt compositi, & habẽt sem per additionem ad ipsum.

Prẽterea, quia ab Aristot. primus omnium ponitur, atque talẽ proprie tactum vocat, est igitur primus, & reliqui per attributionem ad ipsum dicuntur.

Quo se habeat tactus ad actionẽ.

Aduerte vlteriùs, quòd tactus est conditio necessaria ad actionem: non tamen existimes, quòd actio cadit immediatè supra id, in quo est tactus: non enim hoc esse potest, est enim tactus in superficie indiuisibili, at actio est supra corpus: propterea actio, & passio supra aliquod corpus immediatè, & primo fiunt: cũ enim ignis applicatur ligno immediatè, & simul agit per partem aliquam totã ipsius, quæ non potest esse minor, quam minimum naturale.

Est igitur vt plurimum tangens.

Quomodo se habeat tangens & tactum.

Quomodo se habeant tangens & tactum, nunc explicat, & dicit tria, primum est, in plurimum, & frequẽter tangit, quod ab ipso tangente tangitur. i. tactum tangit ipsum tangens: rationem adhibet, quia ferè omnia, quę corpora, & sensibilia sunt, mouent, dum mouentur, & sic tãgunt dum tanguntur, inter quę sensibilia reperimus aliqua, quæ necessario ita se habent, & experimur, tacta tangere, qualia sunt elementa.

Alterum est aliquando, quãuis rarò, mouens tangit motum, sed non tangitur: & attẽde, quòd hoc est, vel quia mouẽs est immateria le, vt intelligentia respectu cæli, vel mouens est alterius materiæ, vt cælum tangit elementa, itaque in ipsa, non autem è contra.

Tertiũ est, cùm id, quod tangitur est eiusdem materiæ generis, cum eo, q̃ tangit, tunc est mutuus tactus, & quod tangit, tangitur.

Ex quo fit, quòd si aliquid mouet immobile, id tanget, & nõ tangetur, sicut mouet intelligentia cælum, & tristis, & male habens mouet nos, non tamen nos ipsum mouemus: in his enim, quę mouent, non sunt eiusdem materię cũ motis: atque sic concludit de tactu, prout ad Naturalem pertinet.

Hic aduerte primò, quòd duplex est tactus, quidam secũdum virtutem, & operationem, quidã secundum quantitatem: tactus virtutis potest esse inter duo corpora, vt cùm sol virtute sua agit, & tangit terram: potest etiam esse inter res, quarum vna est corpus, altera non, vt cùm intelligentia mouet cælum.

1. *Nota. Duplex tactus virtutis, & secũdum quantitatem.*

Est autem discrimen, nam tactus *Discrimẽ virtutis.*

virtutis, qui est à corpore necessario presupponit tactum quantitatis, vel ipsius, vel alterius corporis: vnde distans non agit in distans, nisi in proximum agat, & immediatum corpus: at tactus virtutis à re spirituali non supponit tactum quantitatis: vnde intelligentia mouet orbem, nō per aliud medium corpus, aliter enim esset processus in infinitū, si ad vnum indigeret alio.

2. Nota. *Tactus mutuus et non mutuus.* Aduerte vlterius, quòd in tactu tertio Phisico. est tactus mutuus, & tactus non mutuus, seu diminutus: mutuus est, cū inuicem actiua & passiua se tangunt, vt elemēta inter se: diminutus est, cùm vnum agit, sed non repatitur, vt cum cælum agit in elementa, nec ab his repatitur.

Hæc eadem distinctio est in octa secundo, puta mouens, & mobile: est enim mutuus, cùm duo inuicem se localiter mouent, vt duo lapides obuiantes, & duo impellentia se corpora: alter est diminutus, vt cùm intelligentia cælum mouet.

Obiectio. Dices, quomodo vnum cælum tangit alterum.

Solutio. Multipliciter respōdet Philop. sed nihil ad rē. Dico quod secundo modo · nam superiores mouēt inferiores immediatè saltem quoad motum diurnum.

CAPVT SEPTIMVM.

De ipso autem facere, & pati dicendum. Tex. 46.

Disputatio de actione & passione. POst tactum, de actione & passione disputat: ac primū maiorū sententias citat, quos dicit in hac re subcōtrarios videri: nā cōtraria dicere videtur: at quia non omninò sunt cōtraria, cū vtraq; vera sint, idcirco subcōtraria vocat.

Duplex sententia veterum de actione. Fuit circa hoc duplex sentētia.

1. Sētia Prior, quæ multorum fuit, est q̄ simile non agit in simile, nec patitur à simili, sed semper actio, & passio inter disimilia sunt, adeò q̄ si aliquando videtur simile agere in simile, vt cum magis calidum in minus calidum, tunc non ratione similitudinis, sed ratione contrarietatis sit actio & passio, puta quia vnum est multum, alterum paucum, quę contraria sunt.

Ratio. Horum ratio erat, quia similib. omnia ex æquali insunt, nec esset ratio, quare magis vnum esset actiuum, aut passiuum, quā alterum: vnde secundum hoc actio, & passio est inter contraria.

Democritus autem vltra alios. Tex. 47.

2. Sētia Posterior sententia fuit Democriti, qui solus ab alijs discrepauit dicens, quod simile agit in simile: quòd si aliquando oppositū agit in oppositū id est ratione alicuius similitudinis, & nō cōtrarietatis.

Ratio. Et probabat, quia quod omnino diuersum est, non agit in diuersum, vt linea in albedinem: actio ergo & passio debēt fieri inter similia, non autem inter diuersa, vt priores dicebāt.

Videnda

Videntur autem hoc modo dicentes.
Tex. 48.

Rō dissi dijnde inter ve ritr.

Concludit ex his dictis, videri contraria dicere philosophos antiquos, & subdit rationem huius contrarietatis, quia cū esset vtrumque simul, ipsi non sumpserunt, nisi vnam partem. q. d. actio, & passio est simul inter simile & dissimile: at ipsi non sumpserunt, nisi vnā partē singuli; cū tamen vtrumque, & totum debuissent asserere.

1 omni no simi lia nō sūt eſto. Probatur 1.

Quare Arist. vtrumq; simul ponit ac dicit primò, ꝙ simile omnino ita, vt nullatenus sit differens, non agit, nec patitur à simili.

Probat dupliciter. Primò, quia si vtrumque est omnino simile, non erit maior ratio, quare vnum agat, vel patiatur, potius quam alterum, vnde neutrum aget, neutrum quoque patietur.

2.

Probat secundo, quia si simile agit in simile omnino, posset idem in se ipsum agere: si enim calidum in calidum simile omnino agit, posset etiam in se, hoc autem esse non potest: nam tunc nihil esset incorruptibile, vel immobile, quia posset vnumquodque in se agere.

obiectio.

Dices quòd nō valet cōsequentia, quia simile non est idem simili, sicut idem sibi.

solutio.

Respon. ꝙ si hoc dicas, iam colligitur, quòd actio, & passio innititur alicui diuersitati, & sic iam non est inter omnino similia, & esto, non esset idem, tamen satis est, ꝙ esset æquale in virtute agēdi, quare si posset augere. v. g. calorē, vt est in altero, posset etiā augere calorem, & in se existentem.

Et omnino alterum, & nullatenus idē.
Tex. 49.

Omnino diuersū non agit vel patitur ab omnino diuerso. Probatur 1.

Dicit secundo, Arist. quòd omnino diuersum non agit, vel patitur ab omnino diuerso: probat dupliciter. Primò inductione quadam: quia linea non agit in albedinem, nisi secundum accidens, quatenus linea coniungitur cum altero contrario.

2.

Secundò, quia non sunt contraria ea, quæ omnino diuersa sunt, at inter contraria actio reperitur: hæc enim ab vno subiecto se mutuo expellunt secundum actionē & passionem.

Nota.

In litera, per ea, quę sunt ex cōtrarijs intelligit media ipsa, quæ ex extremis componuntur.

Sed quoniam non quodcunq; natum est pati. Tex. 50.

Actiō fit partim inter simila, partim inter dissimilia.

Dicit tertiò, in quo sententiam explicat, ꝙ actio & passio est inter similia, & dissimilia: similia quidem genere, subiecto, seu materia: dissimilia autem specie, & forma vnde color à colore patitur, & sapor à saporē, & corpus à corpore: puta hic color specie albedo in alium specie, scilicet nigredinem, sed vtraq; sunt color vnus genere: similiter ignis ab aqua, sed vtraq; elementū, & corpus: calor à frigiditate, sed vtraq; qualitas passibilis.

Probatur

Probat vnica ratione: nihil agit, & patitur, nisi contrariū, aut subiectum habens in se contrariū, puta calor, vel ignis habens calorem:

at omnia talia sunt differentia speciei, genere eadem: cõtraria n. hęc sunt, quæ cũ specie differant eiusdem sunt generis, ac mutuò agũt: ergo actio & passio est inter simile, & dissimile simul.

Huius autem causa est quòd contraria.

Tex. 51.

Explicatur ex superior. Rationem dictam, quam breuiter posuerat, explicat magis, & quomodo cõtraria similia dicantur propter vnitatem generis subiecti, dissimilia propter speciẽ & formã, cumq; actio & passio sint inter huiusmodi contraria, erunt profectò inter similia, & dissimilia simul, & agens, & patiens erũt aliquo modo similia, aliquo etiam modo dissimilia. vt dictum est.

Quoniam autẽ faciens, & patiens genere quidem.

Actiua & passiua inuicẽ esse cõtraria. Vt Philop. exponit Arist. ostẽdit propositionem seu conclusionem cõuersam prius enim probatum fuit, contraria agere, & pati, seu potius sumptum hoc fuit, modo autem conuersum probat, puta actiua & passiua, inuicem esse contraria: & hoc dupliciter.

Probatur 1. Primo, quia talia sunt, eiusdem generis specie differentia, quæ mutuo agunt: ergo contraria.

2. Secũdo, qa generatio, & corruptio inter cõtraria sũt: ergo ẽt actio & passio, & sic actiua & passiua.

Nota. Et nota, quod hic vocat generationem, & corruptionem tam substantiæ, quàm accidentis, quæ superiores sunt actione & passione, quæ sunt tantum secundum qualitates, & argumentatur, vt dicit Philop. à superiori per regulam: Quę dicuntur de prædicato, etiã dicentur de subiecto.

Agens dũ agit, assimilat sibi passum. Ex quo infert hanc conclusionẽ, quòd vnumquodq; dum agit, assimilat sibi passum contrarium, quod probat, quia generatio est inter contraria: ergo dum aliquid generat, & agit circa suum contrarium, intendit illud reducere in cõtrariem, quòd est simile sibi v. g. dum calidum agit in frigidum, & intende generare, conatur frigidum reducere in suum contrariũ, quod est calidum, & sic sibi assimilat effectum, & sic patiens mutatur in faciens, id est, in idem specie cum faciente.

Et secundum rationẽ quoque non eadẽ dicentes. Tex. 52.

Conciliantur aliqui. Conciliat modò Antiquos, qui videbantur contraria dicere, at nõ dicebant: qui enim actionem inter contraria ponebant, respiciebant formam: qui verò inter similia, respiciebant subiectum, quod idem est contrariorum, & tam secundum contraria, quàm secundum subiectũ actio & passio prædicatur: dicitur enim, calidum calefacit, & ignis, seu corpus calefacit: frigidum calefit, corpus calefit: cùm tribuitur subiecto, est similitudo, cùm vero ipsi contrario, dissimilitudo: & vtrumque verum est.

Nota.

Eandem quoque rationem existimanẽdum. Tex. 53.

Tum

Determinat q. an omne agens agendo repaciatur.

Nunc quæstionem determinat, vt Philop. exponit. An omne agens agendo repaciatur: ad cuius determinationem præmittit diuisionem mouentis, nam per mouens determinat de agente.

Duplex mouens.

Duplex est mouens, alterū quod est causa efficiens, & est primum: alterū est vltimum, & proximum effectui, & generationi .v. g. animal mouet baculum, & baculus librum, primum est animal, vltimū est baculus, qui est proximus motę rei scilicet libro. Simili ratione duplex est faciens. Primum, vt medicus sanitatis, proximum, vt vinum. vel potio.

Duplex faciens.

Primum mouēs non est necesse vt mouēdo moueatur. similiter nec primum faciens, vt agēdo vt patiatur.

In mouentibus, primum non est necessarium, quod mouendo moueatur, imò aliquando est necessarium quòd non moueatur, vt patet de mouente omnium primo: proximum verò semper mouens mouetur, ita etiam in facientibus fit: faciens primum, dum alterat, non alteratur, & vltimum dum alterat, alteratur.

Ratio.

Hoc probat tali ratione: quęcunque habent eandem materiam, faciunt, & patiuntur, at proxima agentia habent eandem materiam cum passo, prima autem non semper, ergo illa agunt, & patiuntur semper, non autem ista: minorem exemplo manifestat: medicus enim non alteratur ab eo, qui sanatur, cibus autem, & potio alteratur: medicus autem primum est, cibus verò vltimum.

Nota diligenter conuenire primum mouēs et primum efficiens, seu alterans.

Hic nota, quod conuenit primū mouens cum primo & vniuersali faciente in duobus: alterum est, quòd sicut primum mouens non mouetur, dum mouet, ita primum faciens non alteratur, dum alterat: alterum est, quod vtrumq; est independens: vt enim primum mouens non dependet à mouente, ita & primum faciens non dependet ab alio alterante.

Duplex eorū differentia.

Sed est differentia in duobus: primū est, quòd primū mouēs est incorporeum, at primum alterans corpus est, puta sol, seu cælum: alterū est, quòd primū mouens nullo motu mouetur, at primum alterans mouetur motu locali: & ratio est, quia alteratio præsupponit motum localē, localis autem omnium est primus, vnde qui antecedit, & est primum in motu locali, & immobile, nullo motu moueri potest: non sic in alteratione.

Quæcunq; igitur actiuorum. Tex. 54.

Conclusio Arist. oē agens materiale agendo pati potest.

Conclusione generaliori cōclusionem determinat, dicens, quæcunq; actiua habent formā in materia possunt pati, dū agunt, quæ verò nō habent, nō possunt pati.

Explicatio.

Explicat autē duos terminos huius cōclusionis, alter est (habēt materiam) dicit, quod materia sit eadem fere. i. eiusdem generis: materia enim contrariorū eiusdem est generis: si enim agens materiam habet, sed nō eiusdem generis, nō repatitur, vt cęlum non repatitur, dum alterat hæc inferiora.

Alter terminus est, posse pati, dicit illud dici posse pati, qđ prę-

ſente agente, & in debita approximatione poteſt reduci ad actum, vt potens eſſe calidum eſt, quod accedente igne fit actu calidum, ſtatim repetit comparationem mouentis, & facientis.

Eſt enim effectiua cauſa. Tex. 55.

effeditur principiũ actionis eſſe cauſa efficiens.

Principium actionis, & paſsionis nunc explicat, per cauſarum diuiſionem procedendo: ac primò cauſam efficientẽ dicit eſſe actionis principium, quod probat per excluſionem aliarum, nõ enim finis mouet, niſi metaphoricè: præterea, quia eſt tũc, cùm eſt forma. Sed forma non poteſt eſſe principium actionis, quod probat. Poſito efficiẽte, actio eſt, at eũ forma, & finis ponũtur, iam ceſſat actio, quia illa ſunt termini actionis, ergo non ſunt principia. Et hic habetur illa cõmunis propoſitio: habitibus, id eſt, formis, vel finibus poſitis in materia, ceſſat actio. De materia non probat, quia notũ eſt, ipſam nullius eſſe actiuitatis.

effeditur principiũ paſſionis eſſe materia.

Dicit ſecundò materiam ſecundum ſe eſſe principium paſsionis, eatenus enim res patiuntur, quatenus ſunt in materia, vt calor patitur, & deſtruitur, quia eſt in materia, ſi enim extra materiã eſſet, non poſſet pati, quamuis non poſſit eſſe extra materiam: at intelligentiæ, & ſi quæ ſunt aliæ à materia ſeparatæ formę non poſſunt pati, quamuis agant.

Epilogus

Epilogat igitur, quæ dicta ſunt, dictum eſt primò, quid agere, & pati ſit, ſecũdo, quib. inſit ſcilicet habentibus materiam, vnum, putà pati, alterũ nõ habentibus etiam. Tertiò, quare inſit, nẽpè actio ſecundũ formã, paſsio ſecundũ materiam, & quomodo inſint, nẽpè, quia quędã agunt patientia, quædãverò abſq; paſsione agũt, quod eſt quartum, quod dictum eſt.

QVAESTIO. XIII.

An ſimile agat in ſimile.

4. concluſio ſumenda ex dicta ab Ariſtot. Prima.

QVatuor veritates nos huiuſque de actione, & paſsione docuit Ariſt. prima erat, ſimile non agit in omninò ſimile, nõ enim album in album, nec calidum in calidum, nec frigidum in frigidum agit.

Secunda, diuerſum non agit in omnino, ſeu genere diuerſum, nõ enim album in lineam, nec ſapor in lignum agit.

Tertia, contrarium agit in cõtrarium, vt calidum in frigidum, & albũ in nigrum, vel medium: vnde fit, vt actio ſit inter ea, quæ eiuſdem ſunt generis, & ſpecie differunt, ſeu eiuſdẽ generis materiæ, & forma differentia ſunt: ex quo fiet, quod actio, & paſsio ſint & inter ſimilia quodãmodo, & aliquo modo etiã diſsimilia: ſimilia quidem genere & materia, diſsimilia verò ſpecie, & forma.

Hinc colligere licet vnũ cum ipſo Ariſt. quòd nec quicquam in ſe ipſum agere per ſe poteſt, cùm nihil à ſe ſpecie differat.

Quarta erat, quòd agens cõmunicans in materia cum paſſo, dum agit, repatitur, vt ſi calidum agit

in

in frigidum calefaciendo, repatitur, & infrigidatur a frigido.

De quo agendũ sit.

Hęc omnia, antequam vlteriùs procedamus, examinanda sunt: & primò, an simile agat in suum simile specie, ita, vt sit actio semper inter contraria.

Explicatur titulus q.

Aduerte pro tituli intelligentia, quòd non est quæstio, an similem habens aliquam qualitatem cum altero possit in ipsum agere, hoc enim certum est vtrumque: potest enim esse quod simile in vna habeat aliam qualitatem contrariam suo simili, secundum quam agat, vt si sint nix, & calx, quæ similitudinem habent in albedine, tamen quia contrarias habent qualitates alias (est enim nix frigida, calx calida) potest vnum in alterum agere, & tunc album in albũ aget, sed per accidens; non enim ratione albedinis, sed contrariarũ qualitatum Sensus autem quæstionis est, An simile agat in simile per se, id est, secundum eã qualitatem, in qua similitudo consistit. In quo sensu id negat Arist. & nos examinare contendimus.

De qua actione hic fuerit.

Aduerte etiam, quòd nõ hic de actione in sua vniuersali significatione sumpta sermo est, vt ipsemet Arist. docuit, sed de ea, quæ secundum passibiles qualitates fit, & præsertim primas quatuor, secundum quas propria fit alteratio, tam actiua, quam passiua.

1. arg. pro pte affirm.

His igitur præmissis, est argumentũ primum pro parte affirmatiua. Actio fundatur in victoria, & excessu virtutis agentis supra resistentiã passi, vt notum est, tũc enim ignis agit in aquam, cũ virtus ipsius excedit resistẽtiã aquę: ergo quo minor fuerit resistentia, tanto potior erit actio: at inter similia minor est resistentia, ergo inter illa erit actio. Consequentia videtur nota, sed probo minorẽ: sit calidum vt sex, & frigidum vt quinque, tunc calidum excedens aget in frigidũ, & quo minus fit frigidum, eo magis aget propter minorem resistentiam: at cum in calidum vt sex est mutatũ frigidum, minus resistit, quam cùm erat calidum vt quinque, quia minus habet de frigido, sed cùm erat calidũ vt quinque in ipsum agebat calidum vt sex, ergo etiam aget, cum est calidum vt sex: & sic similiter aget in omnino simile.

2. Secundò, calidum magis agit in calidum minus, vt notum est: at magis calidũ, & minus calidũ in specie similia sunt: ergo simile agit in suum specie simile, nec est talis actio inter contraria.

3. Tertiò, vna candela illuminat mediũ illuminatum ab altera candela, ergo vnũ simile agit in simile: illa.n. duo lumina, & duæ candelæ eiusdem speciei sunt.

4. Quartò, cælum alterat inferiora ista, & calorẽ inducit, reliquasq; qualitates, at prorsus est alterius materiæ genere ergo falsum est' q dicit Arist. agens esse dissimile tantum forma & specie, simile materia, & genere cum passo.

Quintò, multa sunt contraria genere eadem, & specie differentia inter quæ non est actio, non enim album in nigrum, secūdum albedinem agit, nec molle in durum, nec rarum in densum: non ergo vere dicit Arist. inter contraria actionem esse,

Nota dupliciter esse aliquid simile.

In hac difficultate duæ opiniones existunt, pro quarum intelligentia aduerte quod dupliciter aliquid dicitur simile, vno modo in qualitate, altero modo in gradu. Id dicitur simile in qualitate, quod eandem speciem cum altero qualitatem habet, vt cùm vtrumque est calidum, aut album, aut humidum: Id verò simile dicitur in gradu, quod præter qualitatem, habet etiam æqualem intēsionem vel remissionem in ea cū altero, vt cum vtrumque est æquæ calidum, vel æque humidum.

2. opinio.

Hoc igitur supposito, est opinio Pauli Vene. in summa. cap. 23. & Alb. Saxo. q. 15. & aliorū, quod simile in qualitate tantū agit in suū simile, vt notū est: nam magis calidum agit in minus calidum, at simile in qualitate, & gradu non potest agere in suum simile, vt calidum vt quatuor nullo modo potest calefacere calidum vt quatuor, nec ipsum intendere, nec æque intensum, vel remissum in æque intensum, seu æque remissum.

Ratio 1.

Harū ratio vna est, actio debet esse inter contraria, & propter aliquem finē, sed simile in gradu nō est vllo modo cōtrariū suo simili, vt notum est, nec est finis actionis ergo non est actio: q; non sit finis actionis, patet, quia finis actionis est, vt agens assimilet sibi ipsum passum, sed illic est omnino simile, ergo non est opus actione,

Præterea probatur ex Arist. t. 48 vbi dicit, simile non agere in omnino simile, aliter enim ageret in se ipsum, quod esse non potest. 2.

Altera opinio.

Altera opinio est Marsil. q. 18. & aliorum, qui simile in gradu dicit posse agere in sibi simile in gradu. ita, vt calidū quatuor graduū posset agere in calidum vt quatuor, ipsumque intendere.

Ratio ex experientia.

Hoc maximè experientia probat, ferrum enim candens facit ignē ex stupa, producitq; calorē intensissimum & tamen in ferro nō est calor ita intensus, cùm non sit ignis: si ergo inducit minor calor summum calorem, profectò constat, q; agit in simile sibi, puta in stupam, cū habuit æque intensum calorem cū ferro: & etiā supra in duxit calorem, donec fieret ignis.

Nota de quo sit difficultas.

Hę sunt opiniones communiores in hoc.

Ad pro huius elucidatione nota, quòd difficultas non est, an simile in qualitate tantum, agat in suum simile, hoc enim dubium non est, sed an simile in gradu agat in simile in gradu, de hoc enim varia existit opinio.

1. fundamentum maior, vel minor actiuitas nō semper sequitur maiorē, vel minorem intēsionē formæ.

Pro determinatione sit primum fundamentū. Quòd maior vel minor actiuitas nō semper sequitur maiorē, vel minorē intensionem

formæ.

formæ. Explico clarius per exemplū: q̃ aliquis calor plus, minusue calefaciat non indicat ipsum intēsiorem, vel remissiorem semper.

Probatur 1. aut. Arist.

Hoc probo autoritate, & experientia, autoritas est Arist. 8. Physic. tex. 80. vbi dicit, quòd in maiori magnitudine maior virtus existit. v. g. sit vnum pedale calidum vt quatuor, si aliud sumas bipedale calidum, vt quatuor: maior in eo est actiuitas, & potentia, & si tripedale, adhuc est maior, & tamen intensio eadem est.

Ratio ex loco Arist. de sumpta.

Ex quo loco sic colligo, si tripedale æque intensum cum pedali est maioris actiuitatis, ergo in eodem tempore plures gradus caloris inducet, & magis calefaciet, & tamen non ob maiorem intensionem formæ.

2. Exp.

Probatur etiam experiētia, quia ferrū candens magis calefacit, quā lignum æquæ intensi caloris, imò quā stupa incensa, in qua cùm sit ignis, cōstat, calorem intensiorem esse: constat ergo, quòd maior actiuitas non sumitur à maiori intensione semper, sed etiam à multitudine maiori formæ, quæ est secundum plures partes materiæ, & subiecti, vt id etiam magis calefaciat, quod secundum plures partes extensionis & quantitatis, calidū est: vnde plus tripedale, quam bipedale agit.

Vbi plures gradus formæ, ibi est maior actiuitas.

Erit ergo regula, quòd vbi plures gradus formæ congregātur circa passum, siue sint secundū intensionē, siue secūdū subiecti partes, ibi est maior actiuitas. v. g. sit calidum pedale vt quatuor intensum, sit tripedale vt duo secūdum suas omnes partes ita, vt in passum debitam habeāt approximationem magis calefaciet tripedale.

2 fund. formæ quæ intēsa plus agit in subiectō dēso quā raro.

Sit secundum fundamentum, quòd idem calor receptus in subiecto dēso plus agit, quā in raro existens. i. sit forma æqualis intensionis recepta in aliquo subiecto raro, & in alio dēso alia æqualis, hęc plus aget, & actiuior erit.

Probatur autorit.

Hoc & autoritate, & ratione probatur: autoritas est Arist. 1. Metheor. dicit, quòd virtus vnita fortior est se ipsa dispersa: vbi nota duo, & quod est æqualis virtus, seu æque intensa forma, quę est condensata, & quę est dispersa per rarefactionem aliquando: & similiter, quod illa fortior est.

Nota.

Probatur ratione.

Ratio autem est optima ex vno suppositō, puta quanto agens est propinquior passo, tanto magis agit in ipsum, quod experientia patet: cum igitur partes densi minus distent ab vno puncto medij signato, quā partes rari positi in eodem loco, vt parum aduerteti facile est intelligere, profectò magis densum calefaciet.

Duplex causa cur densius æqueintēsum magis agat.

Vnde duplici ex causa densius æque intensum magis calefaciet, & aget.

Vno modo, quia plures materię partes habebit calidas, & tunc actiuius erit tuxta primum fundamentum.

Altero modo, dato, quod tot sint

partes, quia magis sunt omnes passo approximate.

Et hæc est causa quare, si sumatur calidum rarũ, & partes ipsius comprimantur, magis calefaciet, quam prius, & quare etiã per ocularia litere vise maiores appareãt, quia in vitro densiori species magis congregatæ agunt fortius. Sed tamen nota, quòd densum non agit vltra gradum intensionis, nisi plures gradus formę in materia habuerit, vt dicitur ad primum. Sed dicetur magis agere, quàm rarum, vel quia citius agit, vel quia sibi simile producet, quod non aget rarum, quia non est bene applicatũ.

3 fund. Potest se aliquid simile in qualitate & gradu sed non in potẽtia seu actiuitate.

Sit tertium fundamẽtum, quòd ex his sequitur, & est notandum, quòd non solum contingit, duo esse similia in qualitate, & gradu, sed etiam in potentia ita, vt sicut potest esse, quod duo sint in qualitate similia, sed non in gradu, ita etiam in gradu, sed non in potentia, vt si sit calidũ vt quatuor densius, sit aliud rarius, est quidem similitudo in gradu, quæ cõsistit in æquali intensione, sed nõ est similitudo in potentia, quia actiuius est, quod est densius.

Imò potest esse, q̃ sit vnum minus in gradu, et sit maius in potentia, & actiuitate: non enim, vt ostẽsum est, mensuratur actiuitas solũ penes intensionem, hoc etiam experientia patet: nam aer calidius esse habet, quam terra calefacta à sole, at terra actiuior est, & in potentia vincit, magisque calefacit.

His suppositis, sit prima cõclusio. Simile in gradu agit in simile in gradu ita, vt calidũ vt quatuor possit agere ī aliud calidũ vt quatuor. *1. Ciche*

Hæc conclusio probatur contra Paulum Vene. & Albertũ Saxo. Primò quod actiuius est, potest agere in minus, sed calidũ vt quatuor in materia densa actiuius est, quàm calidum vt quatuor in materia rara: ergo põt agere in ipsum, & ipsum intendere, nõ enim potest intelligi quo modo sit vnum maioris potentiæ, quàm aliud, & non vincat ipsum, in idq̃ue agat: non enim alia ratio est, quare dicamus, quod calidum vt octo, agit in calidum vt duo, nisi quia illud fortius est, & actiuius. *1. ratio.*

Ad hoc respondent Paul. & Albert. quod calidum vt quatuor in densiori materia fortius est, & magis agit. Sed hæc maior actiuitas non cõsistit in hoc, q̃ producat calorem vltra quatuor, sed quòd calorem vt quatuor, suo simile citius producet, quàm aliud calidũ vt quatuor in materia rara. *Solutio.*

Sed hoc reprobatur argumento secundo, quod concludit, sit ferrũ candens, cui apponatur stupa, ad sensum patet, quod cõburetur stupa, fietq̃ue ignis, at tunc in ferro, cum non sit ignis forma, vt videtur, non potest esse calor in summo intensus: & ponatur, quod summa intensio sit vt octo: erit ergo in ferro calor vt sex. Vlterius, in igne facto ex stupa, cum sit forma ignis, necessario erit calor vt octo: *2. ratio qua illa solutio cõfutatur.*

non enim inducitur forma, nisi cũ vltima dispositione.

Tunc formo argumentum, ferrum calidum vt sex induxit totam dispositionem ignis in materia stupæ: induxit ergo octo gradus caloris vltra suam intensionem, quæ erat vt sex: si ergo induxit octo, cum hoc fuerit per motũ, fuit successiuè stupa calefacta, cũque peruenit ad sex gradus, adhuc vlteriꝰ calefiebat, ergo tũc simile in gradu agebat in simile in gradu. Quod si dicatur, in poris ipsius ferri igniti, esse ignem verè, & formam ignis, quãuis substãtia ipsa ferri non sit ignis, atque ita ideo comburet.

Solutio. Hoc nõ tollit difficultatẽ: nã sit
1. v.g. terra ignita, quę poros non habet, cum sit elementum simplex.

2. Deinde ridiculum est dicere poros ferri comburere stupam, & nõ potius ipsas partes solidas ferri cãdentis, cum sint densiores.

3. Et tertiò quia quo res sit dẽsior, & minores & pauciores habeat poros, eò magis comburet, & quo rarior, & plures, ac maiores habeat poros, eò minus comburet, cũ deberet esse contrarium, si pori igniti comburunt.

4. Confirmatur rursus exemplo luminis: nam si duo luminosa apponantur in eodem medio, lumẽ intenditur, & si addatur tertium adhuc magis, & si quartum, & quintum, sextum, & cæt. semper magis intenditur, quare si luminosa sint omnia, verbi gratia, vt quatuor fieri poterit, vt in medio producant plus luminis, quàm singula: nam pluribus additis æqualibus luminosis, cum singula in medio illo tantundem producant, tandem augebitur lumen ibi vltra quatuor.

5. Imò verò multa numero lumina, si in idem concurrant, ignem generant, vt patet in reflexione speculi, cum singula seorsum lumina non id possint, nec tãtam calefaciendi habeant virtutem, idemq; omnino videtur de pluribus calidis æqualibus, eidem medio applicatis: nam plus producent caloris, & intensiorem calorem, quàm singula seorsum.

6. Præterea iterum hac ratione cõfirmatur, si vnumquodq; seorsum in illo medio producat ad certam distãtiam suę actiuitatis, v.g. duo, & alterum luminosum ad eandem distantiam collocatum, augetur lumen iam. Hinc fit, quòd intra illum terminum sphærę suę actiuitatis vltra gradum, quem alias posset, auget lumen: eadem autem est ratio de quouis termino, & quauis parte sphærę actiuitatis, & quouis alio agente, & passo igitur non.

Tertiò probatur, sit iterum calidum vt quatuor densius, sit alterũ rarius, & apponatur simile passum raro, tunc rarum in tale passum inducet calorem vt quatuor in aliquo tempore: ex quo sumo argumẽtum: rarum in hoc tempore induxit in passum calorem, vt quatuor: ergo: dẽsumqd fortius est in 3. Rario

eodem

eodem tempore in simile passum inducet vltra quatuor. Hæc enim est regula maioris potentiæ, vt dictũ est li. 6. Phys. intellige de densiori æquali in intensione, sed excedenti in multitudine graduum.

4. Ratio. Quartò probatur etiam experientia: nam in hyeme aer sua frigiditate congelat flumina, & tamẽ remissior est frigiditas aeris, quã aquæ: si enim esset intensior, vtiq; condensaretur, aqua que fieret, vt accidit in pluuia.

Obiectio. Dicunt isti, quòd nõ solus aer, sed influentia cælestis congelat.

Solutio. Sed hoc nil obstat: nam influentia cælestis adhuc non frigefacit terram vel aquam alia frigiditate, quàm illa, quæ est in aere: non ergo prouenit, nisi ex frigiditate multa proueniente secundum partes multas aeris, & ita fit congelatio cum flant venti, & noue, ac noue succedunt aeris partes & accumulantur. His ergo manifestè paret, quod simile in gradu potest agere in sibi simile in gradu, & aliquid vltra gradum propriæ intensionis agere.

2. Conclu. Secunda conclusio. Maius in gradu potest agere in minus, & minus etiam in maius,; explico, calidum vt octo agit aliquando in calidum vt duo, & aliquando etiam calidum vt quatuor agit in calidũ vt quinque: de primo non est difficultas: secundum autem ex dictis colligitur: nam potest minus intensum maioris esse potentiæ, quàm magis intensum propter maiorem graduum multitudinem in materia, & sic aget in ipsum magis intensum.

Hinc sequitur vnum notãdum, quòd à proportione minoris, & æqualis proportionis secundum gradus prouenit actio aliquãdo. Dicitur tunc actio prouenire à proportione maioris, cùm maius agit in minus: tunc autem à proportione minoris, cùm minus agit in maius: à proportione verò æqualitatis, cũ æquale agit in æquale: si igitur maius, minus, & æquale tantum secundum gradus intensionis mensurentur, his tribus modis contingit actionem prouenire, vt patet ex omnibus, quæ dicta sunt. Item sequeretur, quòd duo agentia remissa, sibi applicata se inuicem intenderent vsque ad summũ, quòd est absurdum, & contra experientias, sequela probatur, sint. v. g. calidum vnum dẽsum, puta ferrum, intẽsum, vt. 5. & alterum calidum rarum, puta lignum, vel aer, intensum quoque, vt. 5. & applicentur simul, tunc densius posset agere in rarius, & ita intenderet. v. g. vsque ad. 6. rursus illud rarum calidum factum vt. 6. intenderet dẽsius, vt. 6. nam vnumquodque potest producere formas æque intensas, atq; ipsum habet: & rursus dẽsius calidius, factũ vt. 6. intenderet iterũ rarius, verbi gratia, vsque ad. 7. & ita cõsequenter: quare se inuicem intenderent vsque ad summum duo agentia remissa inuicem applicata, quòd est falsum, & contra

Nota.

1. obie.

Alia.

exp

experientias,vnde rursus sequeretur,quòd omnia calida seipsa inuicem cõburerent,cùm.s. ita paulatim se ipsa perducant ad summũ caloris.

2. obiectio. Item,si quòd est maioris actiuitatis,puta densius,potest non solùm celerius, sed intensius agere vltra suum gradum,sequeretur, ꝙ si calidum in summo esset dẽsius. v.g.ferrum ignitum, intensiorem calorẽ posset producere quãignis, verbi gratia rarus, etiam intensus in summo:imò & posset intendere calorẽ ipsius ignis rari, at hoc est absurdum,& vt videtur impossibile,cùm non possit calor intẽdi vltra summum,ergo non &c.

Solutio primi obiectionis Ad primum respon. hoc argumentum magnam habere vim cõtra hanc opinionem, nihilominus dici potest,id quidem aliquando posse contingere,sed non semper, & contingere id quidem aliquando posse docet experientia, vt in furno quandoque qui sponte comburitur in fornarijs, cùm partes vndequaque se inuicẽ calefaciũt, cùm non sit respiratio aeris refrigerantis,& in tritico idem videtur, sponte nimirum calefieri in horreis,nisi aere refrigeretur, & de carbonibus etiam seu prunis accensis,quę sponte seinuicem accẽdunt, cùm à seinuicem separatæ extinguantur,non tamen id semper contingit,sed rarò,& in paucis propter varia, & multiplicia impedimenta, vel aeris, vel aliarum rerum,vel propriæ etiam resistentiæ,vel propriæ formæ substãtialis non admittentis,vel repellẽtis à se calorem.

Solutio 2. obiectionis Ad secundum respon. quôd si vtrumque sit in summo intẽsum, non poterit haud dubiè intensiorem qualitatem producere,videlicet vltra summum, sed tamen poterit in minori tempore producere in summo qualitatem & ad maiorem distantiam,quã alterum rarius,& superabit passum fortius, quod alterum non posset,& poterit alios effectus ignis facere in aliquod passum,puta liquefacere .v. g. metallum aliquod, & separare heterogenea,&rarefacere,& adurere,quos effectus non poterit ignis rarior facere in idem passum obnimiam passi resistentiam,& duritiem,vel alia impedimenta, quæ ab eo superari non poterunt,quæ tamen densior ignis superabit. Neque verò densior ignis rariorem intendet in calore,sed tamen roborabit,& conseruabit fortius, & defendet à corrumpentibus, cùm ergo ventum erit ad summam intẽsionem, iam non crescet intensio ex maiori actiuitate,sed tamẽ crescet actiuitas,& alij effectus dicti augebuntur.

Tertia conclusio. Simile in potẽtia nõ potest agere in simile in potentia,& actiuitate. Hæc conclusio est notanda,quia ea est, quam Arist.intendit, cùm dicit, simile non agit in omnino simile,nõ frustrà dixit illud verbum(omnino) vt indicaret,simile posse agere in simile, 3. concl.

simile, putà qualitate, & gradu, qa ista adhuc dissimilia sunt seu esse possunt: at cùm sunt similia in potentia, secundum quam actio attenditur, non est actio.

Ratio. Probatur conclusio: actio cõsurgit ex victoria seu excessu potentiæ, & virtutis supra virtutẽ: at vbi est similitudo potentiæ, non est talis excessus, non est ergo actio.

Mora. Aduerte maximè, quòd similitudo vel dissimilitudo intensionis per accidens se habet ad actionẽ, sed attendi debet dissimilitudo potentiarum, & virtutum, cumque fuerit vnum tantæ potentiæ sicut alterum, tunc non est actio, nec simile minoris potentiæ agit in id, quod est maioris, sed semper maius in minus. In quo sensu est intelligenda communis philosophorum propositio: A proportione maioris inæqualitatis semper actio prouenit, non autem à proportione minoris, seu æqualis.

2. Concl. Quarta cõclusio. Actio est proximè, & immediatè inter qualitates primas. Voco qualitates primas, quæ non ex aliarum cõmixtione procedunt, quales sunt quatuor elementares, & si quæ sunt aliæ, vt lumen, hoc enim alterat sicut calor, voco agere immediatè, idest, secundum se agere: nam reliquæ qualitates secundè agũt quidem, sed per primas.

Nota nõ quæcunque contraria in se inuicem agunt. Hinc fit, vt non quæcunque cõtraria in se inuicem agant, vt benè notat Philop. sed quæ immediatã habent contrarietatem.

Dices, an quæcunque agunt; sint contraria? Respond. quod sic, tamen aliquando formaliter, vt sunt illa, quæ mutuò inter se agũt: aliquando vnum saltem virtualiter, sicut lumen, & frigiditas: est enim lumen virtualiter contrariũ frigiditati, cùm sit caloris productiuum. sed non formaliter: nam è contra frigiditas non agit in lumen. *Dubium Solutio.*

Per hæc ad proposita argumenta respõderi potest. Ad primum, si solum contenderet de simili in gradu, facilè concederemus totũ, simile enim agit in simile, at quia agere, & procedere videtur etiam de simili in potentia, ideò respondetur, quòd vbi minor est resistentia, ibi magis est actio, dum tamen sit resistentia aliqua: nam actio nõ consurgit inter omnino similia: at cùm peruenitur ad simile in potentia, tũc nõ est actio, sicut prius, quia cessat tota resistentia. & totus excessus: hæc. n. est natura agẽtis, vt non agat vltra id, quòd potest: ageret autem vltra id, quod potest, si in simile in potentia ageret: & præterea, vt dicit Arist quia non est ratio, quare vnum agat potius, quàm patiatur inter similia in potentia. Præterea, quia posset idem in seipsum agere, vt in textu expositum est. *Ad. 1.*

Dices, quare nil agit vltra id, quod potest? Respon. quia nil agit nisi secundum quòd est actu, non enim dat, quod non habet: si igitur vltra quòd potest, agit, iam age- *Dubium Solutio.*

ageret secundum id, quòd non habet: nã potentia est in agente iuxta id, quod actu habet.

Obiectio. At contra hoc potest esse dubium: nam tũc sequitur, quòd remissus calor non ageret calorem intensiorem, quia ageret vltra proprium actum.

Respons. Respond. quòd remissus calor agit quidem aliquando calorem intensiorem se, sed tũc habet in extensione actu, quod deest intensioni. Explico, calor intensus vt quatuor, agit in calorem vt octo intensum: sed tunc in intenso vt quatuor sunt tot gradus secundum partes materiæ, vt vel excedãt octo, aut saltẽ adæquent: & sic operatur, secundum quòd est actu.

Nota. Ex quo collige vnum notãdũm, ꝙ nisi numerus gradus siue intensionis, siue extẽsionis adæquet effectũ, vel excedat nõ potest peruenire ad ipsum effectũ. v.g. nunquam fit calidum vt sex, nisi ab habente tot vel plures gradus, siue intensiuè, siue extensiuè.

Ad. 2. Ad secundum admitto magis calidum agere in minus calidum, sed non agit in ipsum ratione caloris, sed ratione frigiditatis, cũ qua est minus calidum, cuius signum est, quòd non quodcunque magis calidum agit in minus, nisi illud, quod vincat frigiditatẽ ipsius minus calidi: vnde si sit calidum vt duo, & simul frigidum vt sex, hoc non patietur á calido trium graduum, quia calor vt tria non vincit frigiditatem vt sex.

Potest etiam dici, quòd calor sub hac ratione qua minor est, cõtrariatur calori, vt maior est, vnde intensum, & remissum aliquo modo formaliter opponuntur.

Ad. 3. Ad tertium, quamuis ex professo non intendimus hic de duobus luminibus quicquam determinare, quia alibi latè dicemus, tamen interim dico, quòd vnum, non intendit alterum, nisi sit illo maius, & differant secundum intensum & remissum, quamuis mediũ possint illuminare intensius duo luminosa, quam alterum solum.

Ad. 4. Ad quartum dico, quòd Arist. loquitur de his, quæ mutuo agũt, & patiuntur, & hęc debent materiam eiusdem generis habere: at cælum agit in inferioribus, sed nõ vicissim patitur, ob id non est opus, quòd illa materiam habeant eandem.

Nota. Et nota, quòd eam vocat materiã eiusdẽ generis, quę immediatè trã sit ab vna forma in alteram, vt à calido in frigidum, vel è contra.

Ad. 5. Ad quintum patet responsio ex conclusione quarta, non enim omnia contraria sunt immediatè actiua, & passiua, sed quæ prima contraria sunt, vti diximus.

Hęc autem omnia dicta sunt probabiliter, quãuis illa alia quoque opinio, Pauli Veneti, & Alberti, in eo quòd asserunt minus intensum non posse agere in magis intensum, sit quoque probabilis. Sed dicetur dẽsius magis agere, & fortius, quia celerius aget, & quia

& quia vincet passum, quod non posset vinci ab altero.

QVAESTIO. XIIII.

An idem agat in se ipsum.

Argum. pro parte negatiua.

DIfficultas ista non habet facilem determinationem: bene consideranti, ob id circa ipsam argumenta aliquot proponemus, vt veritas eluceſcat: ac probatur, quod non possit idem in se ipsum agere. Primò quidem auto

1. argu. à testimonijs.

ritate Arist. nam in hoc libro. tex. 48. dicit, si simile ageret in omnino simile, tunc idem in se ipsum ageret, quod deducit tanquam impossibile.

2. testimonium.

2. Prætereà. 5. Metap. tex. 17. definit potentiam actiuam, dicitque esse principium transmutandi alterum in quantum alterum.

3. Prætereà. 8. Physic. tex. 40. ostẽdit, nullum agere in se totum secũdum totum, sed oportere assignare id, quod mouet, & agit, distinctũ ab eo, quod mouetur, & quod patitur.

Prætereà tertio de anima text. 17. quia oportet diuersum esse agẽs à patiente, docet in anima esse & intellectum agentem, & intellectum patientem, seu possibilem diuersos, vt illius sit agere, huius verò pati. Es his, & multis alijs testimonijs, quę adduci poterant, colligitur secundum Aristo. nihil in se ipsum agere posse.

2. Argu.

Secundò est argumentum, quod agit, est actu: quod patitur, est potentia, vt notum est, at idem esse actu, & simul potentia respectu eiusdem, est impossibile, ergo pariter est impossibile, quòd idẽ in se ipsum agat: hoc argumento vtitur Arist. 8. Physic. text. 40. ad hoc idem probandum.

3. Tertiò, si admitteretur idem in se ipsum posse agere, nulla esset via Arist. per quam immaterialitatem primi motoris ostenderet: nam per hoc ostẽdit, primum motorem esse separabilem, quia id, quod mouet, nõ est idem cum eo, quod mouetur: ac ita primus motor erit immobilis, & immaterialis: apparet ergo illud esse principiũ certũ, nihil agere in se ipsum.

4. Quartò sequitur, quod non esset aliquod remissum, sed quælibet qualitas esset in summo gradu, vel non esset, quia quælibet intenderet se, si posset in se agere, nec cessaret vsque ad summum gradũ, hoc autem falsum esse experiẽtia ostendit, nihil ergo in se agit.

Modus dicendi quorũd. Duplex actio corruptiua, & perfectiua.

Hanc difficultatem sic reliqui determinant, & soluũt, distinguũt duplicem actionem, quãdam perfectiuam, quandam corruptiuam: vocant perfectiuam eam, quę non ducit rem, & subiectum in corruptionem, quales sunt actiones immanentes vt intellectiones, volitiones, sensationes, & motiones secundum locum: vocant corruptiuam eam, quę ducit subiectum ad corruptionẽ eo ꝙ fit secũdũ qualitates corruptiuas, quales sunt oẽs alterationes, ad quas primæ qualitates aliquo modo conueniunt.

Actio corruptiua duplex: directa, & reflexa.

His etiam addunt aliam distinctionem, quod actio corruptiua est duplex, altera directa, altera reflexa. directa est, cùm agit aliquid in aliud per se, vel per medium aliquod tantum, vt cum ignis calefacit aquam vel lignum: reflexa, cùm agēs agit in aliquod passum, quia agit in aliud, vt soli illuminans terram sibi obiectam directè, illuminat per illos radios ea, quæ sibi obiecta nō sunt, & sic reflexè agit: similiter etiam ignis aliquando calefacit reflexe.

1. *Dictū illorum.* His suppositis dicunt quatuor. Primū est: actione perfectiua immanēti, qualis est volitio, & intellectio, & sensatio, aliquid agit in se primò, & per se: intellectus enim in se intelligit, & voluntas in se amat, & sensus sentit, nec actiones extra potentias, à quibus procedūt, fluunt, sed in ipsis manent.

2. Alterum est: actione perfectiua, qualis est motio localis, aliquid agit in se, sed per accidens, & per aliud: per accidens, vt anima se mouet, dum mouet corpus, per aliud, vt mouetur ferrum, à virtute à magnete impressa: at tam ferrū, quam anima se mouent.

3. Tertium est actione corruptiua directa nihil in se agit per se, nisi per accidēs: nihil enim se ipsum calefacit per se, aut alterat, nisi per accidens, sicut cùm aqua reducit se ad frigiditatē aut cùm aliquid dicitur in se agere, quia vna pars agit in alteram.

4. Quartū est: actione corruptiua reflexa aliquid in se agit, q̄ dicūt fieri in antiperistasi, vt cùm vigoratur vnum cōtrarium ex alterius præsenti. vel ex resistentia extrinseca, vt frigidiores sunt fontes subterranei tempore æstatis.

Nota de Antiperistasi secundum quosdā. Quòd si petas, à quo ista aqua magis infrigidatur. Dicunt, quòd à se ipsa, hoc modo, quod diffundit species intentionales per mediū, quæ cùm occurrūt calori existenti in partibus terræ viciniori-bus superficiei, redunt ad subiectū, à quo processerunt, ipsumq; infrigidant: simili etiam causa tēpore hyemis sunt fontes calidiores. Dicunt etiam, quod hac eadē causa magis calefit medium ab igne, cùm ponitur igni aliquod obstaculum: nā sicut hę species possunt agere in suummet subiectū ipsumq́ue intendere, sic etiam in aliud subiectum, quanuis sit simile, & eiusdem intensionis: nā per has species simile etiam agit in simile gradu.

Auctor istius sententiæ. Hæc est Neotericorum doctrina ex dictis variis ipsorum collecta. Huius sententiæ est Paulus in summa. capite 23. & Marsilius quæstione 17. & 18. & Alber. Saxo. q. 15. & Caieta. Thien. tractat. de reactione. cap. 4. & aliorum multorum.

Iudicium autoris de sententia supradicta. Et quanuis aliqua horum vera sint, non tamen omnia profectò, & ea non satis perpēsa, & enodata. In primis ipsorum dictū primū æquiuocū est valdè, nec quæstioni respondet, aliud n. est age-

De primo dicto illorum.

re in aliquo vt in subiecto, aliud agere in aliquod vt in obiectū. Et quanuis in actionibus transeuntibus idem ferè sit, tamen in immanentibus aliud est : nā intellectus semper agit in se, vt in subiectum quia intellectio in ipso recipitur, non tamen semper in se vt obiectū, quia alia intelligit à se: similiter sensus alia à se sentit, & voluntas amat.

Quæstio igitur, si de quacunq; actione intelligatur, vt ipsi volūt, non soluitur ex illa parte: oportebat enim ostendere, quòd intellectus non solùm in se, sed se, intelligit. & sensus se sentit, & voluntas se vult: ita enim per se agerent in se, at hoc non ita est: non enim tales operationes insunt nisi angelis, quod ostendere non est præsentis speculationis, alibi Deo dante dicemus.

De.2.dicto.

Secundū dictum veritatē habet.

De. 3.

Tertium dictum abunde tractauimus lib. 2. Physi. & ibi hanc reiecimus sententiam, & oppositum ostendimus probabilius, quòd ab alio reduceretur aqua ad frigiditatem ex calore.

De.4.reprobatur illa sententia. Primo.

Quartum horum dictum, iudicio meo, est intolerabile, & ab omni philosophia absonum, quòd facile ostenditur. Primò ex communi sentētia peripatetica, q accidētia non migrāt de subiecto in subiectum: isti autē dicunt, quòd eædem species redeunt per idem medium ad suum subiectum.

2. Et præterea secundò, quia talis reditus esset motus: at omnis philosophia docet, accidēs omne nisi per se esse immobile, nec moueri cum ipso subiecto.

3. Tertiò, quia species intentionalis non producit accidens ipsum reale, cuius est species. Vt enim species coloris non producunt colorē, nec species soni sonū, ita nec species caloris, seu frigiditatis calorē, aut frigiditatem, aliàs enim possent in ipso organo sensitiuo producere tales qualitates, quod falsum est: tunc enim sensus non sentiret: nam secundum Aristot. sensus debet denudari a eo, quod percipit: vt si percipit colorem, nō debet esse coloratus. Excludenda igitur est ista sententia.

Authoris sentētia.

Aliter igitur existimo esse dicendum, & vt in particulari etiam hęc veritas patefiat, distinguamus actiones, vt singulas examinemus. Si latè vocabulum extendamus, multis modis contingit agere: agit enim, quod localiter mouet, & quod generat, quod corrumpit, q alterat secundum qualitates sensibiles, siue primas, siue secundas, quod augetur, & similiter quod secundum animam operatur, vt quod sentit, intelligit, appetit, vult. Ex quo patet esse has actiones, puta motionem localem, generationem, corruptionem, alterationem, secundum sensibiles qualitates, augmentationem, & animæ actiones sensitiuas, & appetitiones, & intellectiones, & de omnibus hisdubiū esse potest nō facile

Multiplex genus actionis.

an idem agat in se ipsum, vt in obiectum, & subiectum.

De motione loc. ali, an idē agat in seip-sum.

Incipiamus à motione locali, de qua diximus multa. 8. Physic. At modò multum aduerte, tripliciter posse aliquid mouere, & moueri, vt ex Arist. habetur. 5. Physi. tex. 1. Primò per accidens. Id dicitur per accidēs mouere, quod est coniunctum accidentaliter cum eo, quod per se mouet, vt calidum ædificat, quia enim ædificator, qui per se ędificat, calidus est, dicitur per accidens, calidum ædificare: id etiam per accidēs, moueri dicitur, quod est in eo, quod per se mouetur, vt mouetur homo ad motū nauis, in qua est.

Triplici ter potest aliquid mouere, & moueri. Primò

Secundò dicitur, aliquid mouere, seu moueri secundum partem. Id mouet secūdum partem, cuius aliqua pars mouet, vt homo mouet librum, quia manus mouet, cuius verò pars mouetur tantum, id secundum partem moueri dicitur, vt moueri dicitur homo, quamuis brachium solum moueatur. 2.

Tertio, aliquid secundum totū seu primò mouet, vel mouetur. & hoc est q̄ nō secundū partem suā vel per accidens, sed secundum se ipsum totum mouet vel mouetur, vt lapis cadens dicitur secundum totū moueri: similiter manus mouens secundum totum mouere dicetur. 3.

Est etiam hæc diuisio cōmunis, non solùm motui locali, sed etiam alijs, vt dicetur postea.

Nota. Si igitur tripliciter cōtingit mouere, & moueri, cùm aliquod se ipsum mouere dicitur, etiam tripliciter intelligi potest. Primò quod se ipsum mouet per accidens, q̄ tunc fiet, cùm aliquid secūdum se quidem mouet aliud, ad cuius motum mouetur & ipsum, & hoc pacto non dubium est, aliquid se ipsum mouere, vt anima in animalibus ipsis, hęc enim mouet, & dum ipsa mouet corpus, per accidēs ad motum corporis mouetur.

Triplicit. ter et aliquid potest mouere se ipsum. 1.

Nota. Vbi nota, quòd anima se ipsam mouet, id est, & mouet, & mouetur: mouet quidem per se corpus, mouetur quidem per accidens ad motū corposis: ob id se ipsam mouere per accidens dicitur.

Et nota q̄ hoc nulli alteri formæ substantiali inest nisi animę.

2. Secūdò aliquid se ipsum mouere dicitur per partē, eò q̄ secundū vnam partem mouet, secundum alterā mouetur per se: & hoc modo animalia se mouere dicuntur: mouent quidem ratione animæ, mouentur ratione corporis Dico autem per se: nam per accidens simul etiam mouetur anima ad motum corporis, & sic totum animal mouetur secundum totum, sed secundum corpus per se, secundum animam per accidens: at ratione animæ, mouet, vt patet in motu nerui, quamuis vti diximus lib 8. in toto animali sit pars corporis per se mouens, & pars corporis per se mota.

3. Tertio, aliquid mouere se intelligit potest secūdum totum per se

vt idemmet adæquatè moueat, & idem adæquatè moueatur: vt idē omnino, quod motum facit, motū patiatur: & hoc reputat ipse Aristo. impossibile. 8. Physi. tex. 40. & sequētibus, vt ibi expositū est, eo quòd vna eademque substantia non potest esse eiusdem motus actiuum & passiuum principiū, ne sit simul actu, & potentia.

Nota valdè an aliquid possit mouere se ipsum.

Fateor hoc vnum, & meam proferam ignorantiam, quòd non video, quare hoc non possit fieri: nā sicut intellectio actio quędam est quæ procedit ab eo, quod est actu & recipitur in eo, quod est potentia, & tamen vnum, & idem se intelligit, vt patet in angelis, quare etiam vnum, & idē secūdum totū non se mouebit in corporibus: nihil enim prohibet, quod simul sit actu, & potentia secundum motū localem: nam vt moueat, debet esse actu, id est, existere: vt moueatur, debet esse potentia id est, capax motus: simul ergo potest vnū existere, & esse ens actu, & motus esse capax. Recipiamus igitur, nihil seipsum mouere secundū totū tāquā probabilissimū, propter sententiam Arist. & aliorū omnium, sed non vt demonstratum. Et sanè de actione perfectiua concedēdum est aliquid posse agere in se ipsum, quicquid sit de alijs.

4. Modus mouendi seipsum.

Prętер hos modos vnus alius videtur supereſſe, putà cùm ferrū se mouet per virtutem à magnete impressam, & cibus ad partes nutriendas, & etiam elementa ad loca naturalia, & proiecta per medium: constat enim, quod in his est virtus actiua mouens cùm nō ab alio extrinseco proximè, & immediatè ferantur.

Nota de motu ferri a magnete proiectorum & alijs.

In quibus maxime aduerte, q non mouētur ratione partis, nec mouent, vt animalia, quia eorum substantia non est actiuum illorum motuum principium, sed mouentur secundum totum, puta ratione materię & formæ per se, mouentur tamē ratione illius impressæ virtutis actiuæ: at quia accidēs non habet mouere nisi vt alicuius substantię virtus, & instrumentū est, talis motus datur substantiæ illi, cui⁹ est illa virtus, & à tali substantia moueri dicitur, cumq; ista non sit ea, quę mouetur (nam hæc tantum patitur, & non mouet) ob id ab extrinseco ista primò moueri dicuntur, vt à generāte, à membro, à magnete, & reliquis, proximè tamen ab illa impressa virtute, sed nō à substātia, neque à parte substantiali.

Nota.

Hic multū considera, quod ex hoc soluitur difficultas notanda. Solent enim aliqui dicere, quòd cælum potest moueri à se sicut lapis, & tunc nō oportet distingue re mouens & motum, sed totum cælum mouetur à virtute motiua in ipso: sed ex hoc soluitur, si n. cælum ratione substantiæ mouetur tantùm, ratione virtutis mouet, vt lapis, vtique oportet aliud principium extrinsecum ponere, cuius sit illa virtus instrumētum: quod

quod si substantiam actiuam, & passiuam ponas, iam oportet distinguere id, quod mouet, & id quod mouetur. Et id quod mouet est primũ mouens, quod quia semper, & sine defatigatione mouet se cũdum Aristotelem, ob id virtus incorporea est. Et hoc considerãnã ex his notum fit, quomodo aliquid in se agat in motu locali.

an aliquid corrumpat seipsum.

De generatione substantiæ dico, quod ex illis tribus modis positis, qui communes erant, secũdus solus possibilis est, alij duo impossibiles. Secũdus quidem est, quòd aliquid se generet secundum partem puta vt vna pars generet alteram, & hoc contingit in nutritione, quę generatio quædam est: idem enim se nutrire dicitur eò q̃ vna pars substantialiter conuertit alteram, & potest in aliquo toto vna pars aliam mutare, & totum illud se mutare dici potest, quanuis hoc impropriè valdè: nã cùm mutatio fit, totum illud nondum est, nisi id quod mutat, & generat, cum autem totum est, iam generatio ipsius non est, ob id nõ dicitur se mutare, seu generare propriè.

De generatione substãtiæ an aliquid generet seipsum.

1. Modus.

2. & 3. At primus modus puta quod aliquid generet per accidens, & tertius quod se totum generet, impossibiles sunt: ratio est, quia vt generet: debet esse, vt generetur, debet non esse formaliter: at simul esse, & non esse idem formaliter est impossibile.

De corruptione.

De corruptione verò secundus modus idem est cum generatione pariter etiam primus, & tertius in substãtijs, vt notum est: at in accidentibus instantiam patitur: nam potest aliquid se totum corrũpere per accidens, puta, dum corrumpit id, ad cuius corruptionem corrumpitur, vt si supponamus, accidẽtia nõ manere in cõposito, tum febris destruit hominem, quo destructo, simul ipsa petit.

Dices, homo se occidit, ergo substantia se corrumpit, dico, q̃ non ꝑximè, sed quia inducit id, quod corrumpit.

Obiectio solutio

Superest, vt dicamus de alterationib⁹ sensibilibus, de his enim Aristot. loquitur, & de his in præsenti erat præcipua disputatio.

De alterationibus sensibilibus, quomodo agat aliquid in se.

1. Modus.

Dico igitur primo, vt eodem ordine procedamus, quod idẽ potest per accidens se ipsum alterare, puta quia alterat, id cuius alteratione ipsummet alteratur: & huius exẽplum est de anima, quã non dubito, secundum varios effectus corpus alterare, puta calefacere, infrigidare, quibus tamen ipsa per accidens alteratur.

2. Dico secundò, quòd cõtingit etiam aliquid se alterare secundum partem, puta quia secundum vnã partem alterat, secundum alteram alteratur, vt notum est: vt homo se alterare dicitur, cum cor alias corporis partes alterat.

3. Dico tertio, q̃ idem secundũ totum non alterat seipsum, id est, vnum non se calefacit ita, vt idem prorsus calefaciat, & calefiat per se

& hoc magis notum est, quã in motu locali: quod enim alterat, debet habere formam actu, quod alteratur verò, carere illa: at non stant simul in vno eodemque adęquatè habere actu formã, & nõ habere: motus verò localis, cum nõ sit secundum formã, magis videtur à se posse esse.

Nota. Fateor tamen, ꝙ non demonstratur adhuc, quia vt aliquid calefaciat, sat est habere calorem virtualiter, aut etiam per propriam formam substantialem se perficere, reducendo se ad suum naturalẽ statum cur ergo idem non poterit esse actu calidum virtuale, potentia verò formale, & ita se calefacere. Sit ergo dictum hoc probabilissimum, sed non demonstratum, & hoc est, quod intendit Arist. text. 48. huius libri.

4 Dico quartò, ꝙ aliquid se alterat secundum antiperistasim, id est, conuersionem, & reflexionẽ, quãuis non propriè à se, quin potius ab altero alteratur, quo autem fiat modo, explicandum est: ille. n. modus quorundam superius positus non mihi placet.

De antiperistasi. 1. Modus. Aduerte igitur, quòd dupliciter fit ista antiperistasis: vno modo ex eo, quòd duo agentia multiplicantur circa idem passum v. g. sit ignis, cui apponatur aqua vasi infusa, vel lignũ aliquod, & post lignũ vel aquã sit lamina ferrea, tũc fortius cõburetur lignũ, & aqua, quã si nõ esset ferrũ post lignũ calefit, ergo ꝓpter antiperistasim.

Sed hoc nõ est ex eo, quòd reuertãtur species ignis vel caloris ex ferro ad lignum, sed quòd ignis calefaciat ipsum ferrum, & aerem illi continuum, quę calefacta ipsum lignum iterum calefaciunt, & sic sunt plura agentia, & quia ferrum calefacit per calorem ab igne receptum, dicitur, ꝙ calor cõuertitur, sed tamen re vera idẽ non est. Cuius signum est, quòd vt tale medium fortius alteretur, opus est, ꝙ apponatur aliquid receptiuũ multi caloris, quo possit agere, puta densum aliquod, & hic est vnus modus, qui dici potest per reflexionem, nec propriè antiperistasis est. *Cã huius modi* *Nota. 1.*

Alter modus est, pro cuius declaratione aduerte, quòd vnũ, & idem potest dupliciter magis agere in aliquod: vno modo, quia ei propinquius est, & hoc notũ est, altero modo, quia meliori modo & secundũ maiorẽ dispositionem se habet ad ipsum. v. g. ignis calefacit vndequaque secundum sphęram suę actiuitatis, apponitur aliquid ei ex vna parte actionem impedicns, tũc in alias partes fortius agit, & intensius, & hęc dicitur antiperistasis, & conuersio. *Nota 1. 2 modus antiperistasis.* *Duplici ter aliquid agit magis in aliud.*

Partes ergo terræ frigidę impeditę à calore extrinseco tempore ęstatis fortius agunt in interiores, ad quas se cõuertunt, & sic infrigidant magis aquas: & hoc admodum est notandum: est enim generale in multis, vt dicetur in libris Metheororum. Nec oportet admit- *Nota in æstate plus frigẽt interiora partes*

mittere illam specierum conuersione, quę absona est, à recta philosophia naturali, & Metaphysica.

Altera cã antiperistasi. Alia præterea ratio probabilior & verior antiperistasis istius proprie dictę est, quod in initio actionis, antequam superetur vnum cõtrarium ab altero fortiori, per aliquam particulam temporis se defendit, & suam ad se virtutem actiuam conuertit, se vniens & suam virtutem ad sui defensionem, ne pereat aut lædatur ab altero, & ita in seipsum conuertit actionem se fortificans, ex naturali, inquam, appetitu suæ cõseruationis, & ita aqua frigida apposita Soli in ęsta te per aliquam temporis partem, antequã à Sole superetur, frigefit magis. Posset etiam hæc actio aliquando durare per maius, aut minus tempus, pro ratione & virtute agentium. Et hoc sit satis quãtum ad hanc actionem.

De augmentatione, & nutritione, an aliquid moueat seipsum. De augmentatione verò, & nutritione dico, quòd idem se auget secundum partem, & formam, vt docet Aristot. quod est dicere, viuens nutrit, & auget ratione formæ, nutritur & augetur etiam ratione formæ: nec hoc est inconueniens, quia fit nutritio, & augmentatio, accedente aliquo extrinseco, quod mutatum in viuẽtis substantiam, ipsam dicitur nutrire, & augere proprie: at quia conuersio, & vnio fit per formam & animã, actio formæ tribuitur, & ipsa etiam augere primum, & nutrire dicitur.

De operationibus animæ quo aliquid moueat seipsum. De animæ alijs operationibus nihil in præsenti dico, quia nõ est huius loci id discutere, & maiorẽ habet hoc difficultatẽ, quã vt paucis dici possit, reseruetur itaq; in libros de anima. Patet igitur, quid in hac quæstione sit sentiendum: oportet tamen argumenta in principio posita soluere.

Ad. 1. Ad primum, quod ex authoritate procedit, dico quod solũ ostẽdunt illa loca nihil agere in se primò, & secundum idem prorsus, & per se, non tamen alijs modis, qui dicti sunt.

Ad. 2. Et per hoc etiam respondetur ad secundum argumẽtum, quanuis vellem te aduertere sensum illius: Quod agit est actu: agẽs. n. tripliciter est actu. Primò in actu formali, putà cũ simile est specie passo mutato, vt calidũ respectu calidi: altero modo in actu eminẽtię, *Nota triplicter aliquid esse in actu.* puta cum potest illud facere, quãuis nõ sit simile, & sic Sol est actu, cum facit herbam: alius est actus virtualis, cum aliquid in virtute alterius agit, & sic agit virtus seminalis: cum ergo dicitur, nil agit nisi quod est actu, intellige, quod est actu vel formali, vel eminenti, vel virtuali. *Nota.*

Et propter hãc doctrinã dixi superius, quod argumentũ non est demonstratio ad probandum, idẽ non agere in se primò, & per se, quia non repugnat, quòd aliquid sit potentia calidum, & actu simul, sed actu continentiæ, seu eminentiæ, vel virtuali, potentia

Ratio. verò ad alium calorem formalem.

Et hoc patet, potest enim esse piper & vinum actu calidum eminẽtia seu virtute, at in potentia calidum formaliter: non ergo illa ratio demonstrat, quod ob id nihil in se agat.

Ad. 3. Ad tertium eodem modo patet solutio. tamen nota, quod non ob id quod distinctum est mouens à moto, colligitur separabilitas primi motoris, sed quia mouere potest tempore infinito, & sine defatigatione, quod non esset, si esset virtus in corpore, vt diximus bene in lib. Physicor. 8.

Ad. 4. Ad quartum solutio eadem est non enim admittimus, quod alteratione sensibili idem agat in se ipsum primò, & per se.

QVAESTIO. XV.

An omne agens dum agit, repatiatur.

Nota difficultatem quæstionis. QVæstio ista de reactione valdè difficilis ab omnibus iudicatur, & re vera est: tum propter varias sententias Doctorum, tum propter argumentorum difficultatem, quæ pro qualibet sententia videtur facere, tum etiã propter innumeras calculationes, & sophismata, quæ neoterici huc accumularũt. Dabimus tamẽ operam Deo fauente, vt in tanta multiplicitate, & obscuritate veritatẽ hãc, & facilẽ, & breuẽ, dilucidã que proponamus, & ostendamus.

Quæ sint facienda in hac q. Primò igitur quæ difficultatem faciunt dicemus: secundò communiores, & potiores sententias cum suis fundamentis adducemus. Tertiò, quid mihi probabilius videatur, aperiam. Tandem quartò difficultates proposítas. & secundum aliorum, & secundum nostram sententiam soluam.

De titulo quæstionis. Ante omnia tamen titulus quæstionis à nobis explicandus est: in primis de actione, quæ secundum qualitates sensibiles est, præcipue loquimur.

Quid sit agens in agendo pati. Vocamus autem agens agendo pati cum sic agit in passum, vt passum etiam agat in ipsum, & hæc passi actio reactio est. v.g. aquam calefacit manus calida ita, vt aqua quæ patitur, frigefaciat manũ, tũc manus agens repatitur.

Nota. 1. 4. vocabula. Sunt igitur notanda quatuor vocabula, puta actio, passio, reactio, repassio.

Quid actio. Actio est ipsius principales agẽtis, & maioris virtutis, qua in passum agit.

Quid passio. Passio verò est ipsius passio operatio, qua patitur: at illa actio qua passum agit in agẽs fortius, & principalius, reactio dicitur, & passio, qua agens tale patitur, repassio.

Quid reactio & repassio.

2. Notandum in quibus conueniunt philosophi circa reactionẽ. Est igitur difficultas: an agens secundũ qualitates sensibiles in passum repatiatur ab eo.

1. Non fit in actionem, si agens nõ habet materiã aut si alterius generis est. Aduerte secundò, quod in ducbus casibus omnes conueniunt, q agens non repatitur: vnus est, qui habetur ab Arist. in hoc loco tex. 54, cùm agens aut non habet materiam, aut si habet, est alterius generis à materiã passi: unde res spirituales agentes in ista inferiora, non

non repatiuntur, qua materiam habent: similiter cæli non repatiuntur, quia materiam habent alterius rationis.

2. Nō fit reactio extra sphæram actiuitatis.

Alter casus est, cum agens est extra sphæram actiuitatis passi: attende enim, quod omne agens, cùm sit finitæ virtutis, non agit nisi per spatium determinatum, & vsque ad certum terminum: imò nec in illo spatio toto æqualiter agit, sed debilius semper in partes distantiores à se: & hoc spatium, in quod agere potest agēs, dicitur sphæra suæ actiuitatis, ita, vt nisi passum sit applicatum intra hanc sphæram non possit agere agens in ipsum: variatur autem hęc sphęra, quia modò maior, & modo minor est, pro maiori, vel minori agentis virtute.

Quid sit sphæra actiuitatis.

Potest igitur esse, quod sit aliquod agens fortissimum habens magnā sphæram, & sit passum debile, breuem habens sphęrā, tunc poterit applicari tale debile sphærę fortioris, ita, vt fortius sit extra illius sphęram, in quo casu fortius aget absque repassione ab illo passo: & hoc notū est. Ignis. n. agit in distantia, à quibus non repatitur, quia horū actiuitas non ita se extendit, vt ignē possit pertingere.

Et ob hoc quāuis sol esset eiusdem materię cum terra, ageret in ipsam absque repassione ab ipsa, quia terrę actiuitatis sphæra attingere solem non potest.

Quæ sit difficultatis solutio.

Difficultas igitur consistit, cùm agens quidem est eiusdem materię cum passo, & vtrumque est debitè applicatum, ita, vt vtrumque contineat alterum intra sphæram suæ actiuitatis

Aduerte vlterius quòd actio, & reactio possunt intelligi dupliciter, vno modo secundum diuersas contrarietates. v. g. vt vnum agat secundum calorem, & repatiatur, secundum humiditatem, vel quod frigefaciat, & repatiatur secundū siccitatem: & sic non negatur reactio ab vlla sententia potest enim ignis agere in aquam secundū calorem, & aqua in ignem secūdum humiditatem: similiter aer in terram secundum calorem, & repati à terra secundum siccitatem.

Nota. 3. Actio, & reactio possūt intelligi duplicit. 1. in diuersis cōtrarietatibus.

Altero modo secundum eādem contrarietatem, vt agens calefaciat, & frigefiat à passo, & de isto est tota difficultas.

2. In eadē contrarietate.

Collige igitur ex his hunc sensum quæstionis. An agens, quod est eiusdem materiæ cum passo, repatiatur secundum illam cōtrarietatis speciem, secundum quam agit, vtroque existente debitè applicato, ita, vt calefaciens calefaciendo frigefiat, & frigefaciens calefiat per repassionem. Hic est igitur sensus & nota in quo difficultas consistat.

Sensus intelligen. q. & ponit difficultatis.

Quæ igitur rationes hanc difficilem faciunt, sunt quinque argumenta. Primum est Bulęi. 3. Physic. super tex. 17. sit agens, & patiens. cūque vel ista sunt virtutis æqualis, vel inæqualis: si æqualis, neutrū aget in alterū, quia à proportione æqua-

Argumentum contra reactionem.

litatis non est actio, si inæqualis, tunc vnum scilicet maius aget in alterum tantum, & non repatietur, quia à proportione maioris actio est: q si minus reageret, iã profectò esset actio à proportione minoris, nã reactio actio quædã est.

Secundum est Calculatoris in tract. 7. de reactione, quòd si esset reactio, tunc idem simul moueretur motibus contrarijs, quod est impossibile: sequela autem probatur, sit agẽs A, & sit patiẽs B, illud calidum, hoc verò frigidum: sit autem A, in quadrupla proportione ad B, ita vt B, non possit reagere in totum A, sed in aliquam eius particulam puta quartam, & vocetur C, tunc sequitur, quòd talis calesiet, & frigesiet simul: probatur, si illa repatitur à B, notum est, quód frigefit, vlterius etiam calebit à tribus reliquis quartis ipsius A, quod sic ostẽdo sit C, habẽs sufficientem contrarietatem cum reliquis partibus A, quæ vocentur D, vt possit pati, quia C, est parum frigidum. D, autem, puta tres quartæ sunt multũ calidæ, quia pono, quòd sunt in gradu summo, ergo calefaciẽt ipsum C, vide ergo quo modo si est repassio in C, tunc simul calesiet, & frigesiet.

Soluitur quæ possit obiici vero sed fallax.

Dices, non fit simul, sed modo frigefit, post calefit: hoc non valet propter duo: primo, quia si postea calesit C, & iam tũc nõ repatitur, iam illo tempore erit actio ab A, in B, sine repassione. Secũdò quia quanto illud tempus, in quo frigefactio fit sine calefactione, & argumentor, in medio temporis illius erat frigiditas in C, ergo habuit cõtrãrietatem cum D, calido: potuit ergo iam calefieri, nec vlterius expectare: & ita dicam in quacunq; data frigefactione, est enim semper quęcunque data diuisibilis secundum Arist, hoc argumentũ ab omnibus summę difficultatis iudicatur.

Tertiũ argumẽtum idem colligit scilicet q idẽ simul contrarijs moueatur motibus, tamen ex parte medij: si igitur A, agit in B, & B, reagit in A, sit hoc per aliquod mediũ, puta. C, (suppono autẽ q non agit in passum agens, quin agat in medium, cũ illud distãs sit) tunc A, agit calefaciẽdo B, ergo medium calesit: iterum B, reagit simul per idem medium infrigidãdo A, ergo medium C, frigefit, simul ergo idem calesit, & frigefit, intenditur q; motibus contrarijs: hoc autem videtur esse nõ posse. Nec est minoris difficultatis hoc argumentũ, quàm præcedens, imò clarius ducit ad impossibile. 3.

Quarum argumentum est: sequeretur, quòd nihil suum simile, induceret, nec summus gradus qualitatis produci posset: probo, sit A, summè calidum agens in B, frigidum, & nitens ipsum sibi assimilare (& suppono, quòd nihil agit vltra suam virtutem, & actiuitatem) tunc sit A, agens in B, repatiatur, ergo minuitur in actione eius virtus, fitque remissius, dum 4.

m-

magis agit, ergo in fine actionis non erit summe calidum, sed aliquos gradus caloris amittet: nō et ea inducet summum calorē in B, quod videtur absurdum.

3. Quintum argumentum sumitur ex motu locali: non enim omne, quod mouet, necessario mouetur secūdum locum, ergo nec, qđ agit, & alterat necesse est, pati, & alterari. Hæc sunt argumenta, præcipua, & difficilia in hac materiā, in quibus laborant autores maximè, quorum sententiæ præcipuæ sunt prius exponendæ.

1. Sententia Calculatoris. Prima sententia est Calculatoris Suissetī. tract. 7. de reactione, quæ breuiter consistit in hoc. Est enim duplex agens, seu patiens, alterū vniforme, alterum difforme. Vniforme est, quod secūdum omnes suas partes æqualē participat formæ gradum, vt si esset bipedale calidum vt quatuor, ita vt secundum omnes suas partes, quibus agit, aut patitur, haberet calorem, vt quatuor. Difforme verò est, cū non æqualem gradum formæ participat: vt si bipedale quasdā partes haberet calidas vt quatuor, quasdam vt duo, quasdam magis, quasdam verò minus.

Duplex agens.

Vis actiua secundum Calculatorem tantum agit quantum resistit. Aduerte vlterius secundum Calculatorem q̄ qualitas actiua tantū resistit suo contrario, quantū agit, vt si multum agit, multum resistat, si parum agit, parum resistat, est autem resistere, se à corruptione defendere, & conseruare à contrario conante corrumpere illā qualitatem.

His suppositis, dicit Calculator primò: agens difforme repatitur secundū eandem contrarietatem, sed non secundū eandem partem, sed secundum aliā agit, secundum aliam patitur: agit quidem secundum fortiores partes, repatitur secundum debiliores, verbi gratia, sit pedale calidum habens partes calidas, vt sex, aliquas vt duo: sit aliud pedale frigidum habens partes frigidas, quasdam vt sex, quasdam vt duo, sit illud A, hoc autem B; tunc A, secundum partes calidas vt sex agit in B, secundum partes frigidas vt duo, B, autem reagit secundū partes frigidas vt sex in A, secundum partes calidas vt duo: agit ergo A, & repatitur, similiter B, secundum diuersas partes: debet autem obseruari, vt partes, quę agunt, vel reagunt in difformi sint fortiores partibus passi, vt sit semper actio à proportione maioris.

1. dicit Calculatoris.

Dicit secundò: agens vniforme non repatitur, dum agit, nec secundum diuersas partes, verbi gratia, sit A, vniformiter calidum vt quatuor, sit B, vniformiter frigidū vt tria, tunc A, aget in B, nec repatietur, quia secūdum quanlibet partē excedit in actiuitate ipsum B, & ita in resistentia.

Secunda Calculatoris. Nihil potest agere, & repati secundum idem.

Ex quo colligitur, quòd iuxta Calculatorem nihil potest agere, & repati secundum idem, & eandem partem eadem contrarietate: nihil enim simul calefit, & frige-

facit,

facit, vel è contra: solum ergo reactio ista est in partibus diuersis.

Obiectio contra Calculatorē.

Obijcies Calculatori: sit A, vniformiter calidū vt quatuor, sit B, difforme habens frigidas partes quasdam vt quinque, quasdam vt duo, tunc A, vniforme aget in B, ratione partium frigidarū, vt duo & repatietur ab ipso, B, ratione partium vt quinque, ergo idem secundum idē aget, & repatietur.

Responsio ipsius

Respondebit Calculator, quòd id non potest esse, hoc enim pendet ex applicatione agentiū: nam B, vel applicatur secundum debiliores partes, vel secundum fortiores singulis partibus ipsius A, si secundum debiliores, tunc A, aget in B, secundum illas, & non repatietur ab ipsis: si verò secundū fortiores tunc B, aget in A, non è cōtra, & sic nunquā secundum easdem partes erit actio, & repassio, sed secundum diuersas. Hæc est opinio Calculatoris, quam placuit ita exponere, quia obscurè ab ipso traditur, & à paucis exponitur, & à quibusdam non est satis intellecta.

2. Opin. Heytisberi.

Secūda opinio est Heytisberi celebris sophistę in suorum sophismatū libro sophis. vltimo, & quasi eadem videtur cum Calculatore: conuenit enim in suppositis, & in modo reactionis, sed differt: nam admittit etiā inter vniformia esse reactionē, atque hoc modo dicit, sit A, vniforme calidum vt quatuor, sit B, frigidum vt tria, dicit, quòd A, agit in totum B, quia est fortius illo: at B, reagit in particulam ipsius A, quia fortius est totū frigidū, vt tria simul ob multitudinem materiæ, quam sit vna particula ipsius. A, agit, ergo A secundum totum, repatiatur secundum partem.

In quo differat a Calculatore.

Hæc sententia, si intimè aspicia- *Nota.*
tur, profecto non potest euadere, quin idem secundum idē agat, & repatiatur: nam si totum A, agit in B: ergo secundum eam partē etiā qua repatitur, ergo iam illa etiam pars aget, & repatietur. Vlteriꝰ B, agit secundum totum in partem A, & repatitur secundum totū ab A, ergo idem secundum idem aget, & repatietur.

Nota vnde sit quod differat a Calcu. sentię in.

Ex quo collige contra aliquos, ꝙ est multo diuersa ista sententia a Calcula. Hic enim nullo modo admittit, secundum idem esse actionem, & repassionem: ille verò id admittit, solumq; dat modum, quo modo id possit esse cū hoc quòd à proportione maioris semper fit actio: & ita ipse docet, quòd cum A, agit in totum, B, est à maiori actio, similiter reactio, quia B, agit in partem. A, conuenit ergo cum Calculatore in fundamento, quod qualitas tantum est actiua, quantū resistiua: differt tamen prorsus in sententia.

Autores istius sententiæ.

Hæc sententia fuit Mariliani, contra quem scripsit tractatū Caietanus Thienens. & nota hoc, quia ex vtriusque sententia agit aliquid, & repatitur, sed nō secundū totum id, secundū quod agit, *Nota.*

vel

vel si secundū totum repatitur, nō tamē ab illo solum repatitur, in q̄ agit, vt patet in casu posito. Hæc est horum opinio.

3. Sentē. Tertia est aliorum opinio qui actionem, & reactionem inter aliqua tota constituunt, & secūdum easdem partes, at non in eadē cōtrarietate per se, sed in diuersa, in eadem verō per accidens.

Duplici ter aliqua qualitas potest corrumpi per se & per accidens.

Notant hi, quòd qualitas aliqua prima dupliciter potest corrumpi: vno modo per se à suo contrario, vt calor à frigiditate, & siccitas ab humiditate, & è contra: altero modo per accidens, puta ad corruptionem alterius qualitatis, cum qua in illo subiecto naturaliter est coniuncta. v. g. calor ignis corrumpitur per accidens ab humido destruente siccitatem ipsius ignis, & sic humidū aeris destruitur à frigido corrumpente ipsius calorem: per accidens tamen.

Dicunt igitur, quòd actio, & reactio per se fiunt inter aliqua agentia, & patientia secundum duas cōtrarietates: vt ignis per se agit secundum calorem, repatitur secundum siccitatem ab aqua: hæc autē patitur secundum frigiditatem, reagit secundum humiditatem: at quia corrupta siccitate ignis, etiā calor minuitur, fit, vt ignis repatiatur secundum calorem, secundum quem agit, per accidens tamen: similiter aqua patitur per se in frigiditate, at quia per hanc deperdit etiam in humiditate, per accidens fit, vt reagat aqua secūdum id secundū quod patitur, puta secundū humiditatem: ita autē hoc fit, vt nisi essent hæc gemina contraria in vtroque agente, & pàtiente, non esset reactio: vnde calidum & siccum agens in frigidum, & siccum non repatitur: hūc igitur modum reactionis isti ponunt.

4. Sentē. communis. Quarta sentētia est communis, quam sequitur Marsil. q. 19. & Albert, Saxo. q. 16. & Pau. Vene. in summa cap. 25. & Caieta. Thienē, in quodam de reactione tractatu. & alij multi. Quę quia magis inter omnes rationabilis apparet mihi, magisque ad mentem Aristotelis, ob id est explicanda latius.

1. Suppositum nō esse aquales activitates qualitatū resistentijs. Supponunt vnū cōtrariū opinionibus præcedētibus, nempe qualitates primas non esse tantum actiuas, quantum resistitiuas: imò oppositam esse latitudinem activitatis, & resistentiæ, vt si activitas considereretur, calor est maximē actiuus: in secundo gradu frigiditas: in tertio humiditas: in vltimo siccitas: hæc enim parum actiua est. At si resistentiæ latitudo pēsetur, oppositus est ordo, siccitas enim est maximè omnium resistitiua contrario, post hanc humiditas, tertium locum obtinet frigiditas, vltimum calor: quod est dicere, difficilimè siccitas expellitur, & humiditas difficilius, quàm reliqua duo, facillimè calor, semper tamen in eodem gradu. & potentia considerare debes.

2. Suppositum, ex quo proueniat actio. Supponunt secundò, q̄ actio prouenit ex victoria virtutis actiuæ

ali-

alicuius supra alterius resistentiã. v.g. tũc calidum agit in frigidum, cum calidi actiuitas vincit resistẽtiam frigidi: similiter è contra, tũc frigidum in calidum, cum frigidi actiuitas huius vincit resistentiam.

2. Dictũ. His suppositis, dicũt primò, q̃ actio, & reactio est per se in eadem cõtrarietate, & secundum idem totum: Explico, sit calidum, vt quatuor, sit aliud frigidum vt quatuor tunc calidum agit in frigidũ, quia calidi actiuitas, quæ summa est, vincit frigidi resistentiam, quantuis sit eiusdem gradus: at repatitur tale calidum à frigido, quia frigidi actiuitas vincit resistentiã caloris, quæ minima est, & sic fit repassio, & reactio non solùm inter contraria æqualia gradu, sed etiam inter inæqualia, quia minor frigiditas aliqua maiorem habet actiuitatem, quàm sit resistẽtia maioris caloris, & ita potest reagere.

3. Dictũ. Dicunt secundo, quòd non est reactio: nisi cùm maior est actiuitas passi, quàm sit resistentia agentis: vnde si sit summus calor, & frigidũ vt vnum, vel duo, tunc erit actio absque reactione. Ex his patet, quomodo sit actio, & reactio secundum idem, & eandẽ contrarietatem: & quomodo semper actio, & reactio eueniãt à proportione maioris, semper enim actiuitas agentis est maior resistẽtia passi, & actiuitas passi in reactione maior est, quam agentis resistentia, aliter non fieret reactio.

Hæc est communis sententia: nec volo alias sententias citare, quia parum ab his differunt, nec aliquid vtilitatis ex eis percipere possumus.

Supereſt, vt quid sentiendum de hoc mihi videatur, hoc loco tertio aperiam. *Auctoris sententia.*

Sit igitur prima conclusio. Reactio, & repassio sunt: hæc conclusio probatur autoritate, experientia, & ratione. In primis q̃ agens agẽdo repatiatur, est Arist. 3. Phy sic. tex. 8. & 16. & lib. 1. gẽ. tex. 53. & 87. & 89. & multum expresse habet hoc lib. 4. de generatione animaliũ. cap. 3. & alibi apud Aristotelem, est etiam communis philosophorum sententia, qui omnes in re conueniunt, quamquàm in modo differant. *1. Concl. Dari reactionem probatur 1. testimonijs Aristot. & aliorũ*

Experientia etiam hoc colligitur. Primò quia aqua calida vehementer infusa frigidæ ipsam temperat, & ab ipsa temperatur, quod non esset, nisi esset reactio: similiter ferrum ignitum aquæ frigidę infusum ipsam calefacit, & ab ipsa frigefit: & manus comprimẽs gelu liquefacit ipsum calefaciendo, ab ipso q̃; frigefit: cibus comestus alterat animal, & alteratur ab ipso: etiam duo vasa simul concussa se inuicem frãgunt, & duo cultri se habitant. Sunt profectò innumeræ, & manifestæ omnibus experientiæ de hoc. *2. Ab experientia*

At ratio, aliis prętermissis, vna est, quæ ex mixtione sumitur: cũ enim mixtio fiat ex multis agentibus *3. Ratio.*

tibus alteratis omnibus & ad concordiã, & temperiem redactis: profectò non videtur fieri posse, talis omnium alteratio, nisi elementa ab his, in quæ agunt, simul etiã paterentur: ob quam rationẽ Aristot. vt paulò inferius dicem⁹, coactus fuit ponere, & admittere reactionem, & repassionem agẽtium communicantium in materia.

Quæ nã sit ratio a priori qua agẽs repatitur

Dices, te desiderare intelligere, quæ sit radix, & causa à priori ob quam agens repatiatur. Respondeo, vt expectes parum vsque ad conclusionem tertiam: illic enim eam aperiam, in ipsa enim opinio nostra consistit.

2. Concl. impartita, dari scilicet repassionẽ secundũ eãdẽ contrarietatẽ et secundum idem, & eãdẽ partẽ, & per se.

Secunda cõclusio. Repassio est, & secundum eandem contrarietatem, & secundum idem & cãdem partem, & per se. Hæc conclusio est contra tres priores sententias, quæ profectò non sunt in philosophia recipiendæ, multoque minus in doctrina Aristot. Sunt igitur tria probanda, quæ in hac conclusione pr[illegible]untur. Primũ est, quòd sit reactio secũdum eandem contrarietatem: alterum, quòd secundum idem contra Calcula. & Hentisb. Tertium, quòd per se, & non per accidens cõtra tertiam opinionem.

3. pars cõclus. Probatur reactionem esse secũdũ eãdẽ qualitatẽ 1. Autoritate.

Primam autoritate, experientia, & ratione probatur. Autoritas est expressa Aristot. 4. de generatione animalium. cap. 3. vbi dicit, esse necessarium, quod calefacit frigefieri, quod premit, premi. Præterea Themist. super 3. Phys. tex. 8. inquit, ignis calefacit, & frigefit simul ab eadem re, quam calefacit ipse idem etiam ibidem Simpli.

2. Experientia.

Experientia autem hoc satis cõprobat: puta ex aqua vehementer calida infusa frigidæ fit tota tepida, quod non esset, nisi calida calefaceret, & infrigidaretur, & frigida in infrigidaret, & calefieret: Sunt etiã eædẽ de hoc experientiæ superius positæ, & aliæ multę.

3. Rationem.

Ratio autem huic fauet. Aliter enim in mixtione elementorum oporteret saltẽ duas qualitates manere in summo gradu quod repugnat mixtioni: frigiditas enim & calor si ita se haberent, vt calor ageret tantum, & non repeteretur à frigiditate, maneret in summo: nã non potest ab alio pati, nisi à contrario: idem etiam esse de siccitate, & humiditate: colligitur ergo, esse repassionem secundum eandem contrarietatem, nec de hoc adhuc est difficultas apud Doctores, sed de alijs duabus partibus.

2. Pars concluſ. Probatur reactiones esse secundũ idem.

Ob id probatur altera pars, q̃ idem quod agit, patiatur, quod negabat Calcula. probatur autẽ hoc similiter autoritate, experientia, & ratione: hæc enim sunt potissima media in philosophia naturali: autoritas est expressa Aristoteles. 3. Physic. text. 8. quam in conclusione sequenti latius declarabimus: inquit igitur Arist. quòd idem esse actu, & potentia respectu eiusdem fieri non potest, at respectu diuersorum potest fieri. Idem enim est calidum actu

1. Autoritate Arist. & aliorum.

frigi-

frigidum potẽtia, & hinc fit, vt agens repatiatur: agit enim qua parte est actu, patitur, qua parte est potentia.

Autoritas Graecorum. Adde tu, idem & secundum eandem partem quãtitatiuam potest esse simul actu, & potentia, vt id prorsus sit potentia frigidũ, quòd actu est calidum: ergo idẽmet repatitur, quod agit, quod etiã egregiè explicant Simpli. & Themist. in illo loco: vide ergo clarè mentem Aristotelis contra Calculatorem, & non solum Arist. sed etiã Græcorum omnium talem locum exponentium, & aliorum illustriũ interpretum.

Experientia. Nec deest huic experientia: si enim sumatur aqua multum calida vniformis, & aqua, multũ frigida vniformis, simulq; coniungãtur, quis negabit totam aquã futuram tepidam: idem ergo, q̃ agit repatitur secũdum idem: aliter enim nõ esset tota aqua tepida.

Ratio. Hoc tamẽ ratione probatur, primò, quia sequeretur, quod nõ posset esse mixtio elementorũ q̃ probatur: Si enim non est repassio in augente elemento, nisi secundum aliam partem ita, vt secundũ quasdam tantum agat, secundum alias tantum repatiatur: illæ ergo partes agentes non repatientur, & sic mouebunt in suo vigore, nec ad mixtionem venient, vlterius repassa destruentur ab alijs agentibus partibus, quæ non poterũt reparari: non ergo erit mixtio, sed partialis generatio eò, q̃ partes fortiores in se cõuertent debiliores absque repassione illarum.

Existimo hoc argumentum esse fortissimum cõtra Calculatorem, nec solui posse, nisi fingendo modos mixtionum pro libito, & imaginatione propria, sed non pro rerum natura. *Nota.*

Præterea sequeretur, quòd vnũ elementum nõ ageret in alterum cũ repassione, quod est contra Aristot. expresse, & contra sensum: probatur, quia elementum aquæ est vniformiter frigidũ secundum se: ignis etiã vniformiter calidus: si ergo aqua igni infunderetur, tũc non esset repassio, quia solũ inter difformia constituitur à Calculatore, quod quidem gratis, & absq; ratione affirmatur. Concludamus ergo esse reactionem, & repassionem secundum idem, & secundũ eandem contrarietatem. *Idẽ aliter ratione probatur.*

Tertium verò, quòd id fit per se, probatur contra tertiam opinionem, quam ipsa sola experiẽtia refellit: nam aqua calida, & aqua frigida simul iuncta mutuò agunt, & patiuntur, & secundum eandem contrarietatem: nã humidum non patitur, vtraque enim est humida quod si aliqua est siccitas in calida, ea est per accidẽs, & parua ita, vt non possit dici, quod ad corruptionem illius patitur calor. *3. pars concluſ. Probatur reactionẽ esse per se secundum eandem contrarietatem secũdũ idem. 1. Experientia.*

Hoc idem experimur in pomo frigido compresso à manu calida, vbi repassio est secundum eãdem contrarietatem: quis enim dicet, quod pomum destruit calorem *2.*

manus,

manus, quia destruit humiditatẽ, & manus destruit frigiditatem pomi, quia destruit siccitatẽ ipsius: profecto hoc vanum esset, & absque fundamento.

Ide probatur ratione.

Prętereà est ratio: demus, quòd ignis agat in aquam secundum calorem: si calor ignis repatitur per accidens, tunc repateretur ab humido aquę agente per se in ipsum siccum ignis, vt ipsi dicunt: si ergo hoc ita esset, sequitur, quòd ignis non reciperet frigiditatem, sed solam humiditatem: nã humidũ non producit nisi humidum: cùm ergo hoc falsum sit, ignis enim repatiens frigiditatem habet, alias calor esset in summo: ergo repassio est secundum eandem contrarietatem. Idem de aere, & terra: & hoc argumentũ nostrum profectò forte est contra istos.

1

Prętereà sequitur ex ista sententia, quòd elementum symbolũ vt ignis & aer, aqua, & terra ageret absque reactione, quia hęc nõ habent nisi vnicam contrarietatem: hoc autem est cõtra Arist. & gratis dictum, quod enim agãt inter se symbola docet Aris. 2. gen. text. 25. q verò repatiantur, docet. 1. gen. text. 64. vbi dicit ea, quę in materia cõmunicant agẽdo repati: at talia in materia cõmunicare certum est, erit ergo repassio, & nõ nisi secundũ vnã cõtrarietatẽ, & ideo per se. Pluribꝰ posset hoc cõfirmari, sed ista sufficiant, quia res manifesta est. Ex his manet integra 2. conclusio probata.

2

Tertia cõclusio. Agens cõmunicans in materia cum passo repatitur ab eo, dummodo sit intra sphæram actiuitatis ipsius, quanuis passum sit multo minoris virtutis, & resistentiæ, quã agens. Hęc cõclusio est cõtra quartam opinionem, in qua consistit modus, & causa reactionis, ob id prius est explicãda deinde probanda.

3. Coclu. Qua res ponuntur ad præcipuã fiducia. q.

Sensus igitur est, cũ aliquod cõtrarium agit in aliud contrariũ, repatitur ab eo secundum illas partes, quæ in sphæram actiuitatis illius cadunt: & hoc quanuis cõtrarium reagens sit minoris virtutis, quã sit resistentia agentis, v.g. calidum vt octo agit in frigidum vt vnum, repatietur calidum à frigido, si fuerit intra sphæram talis frigidi: verum quidem est, quòd erit multo minor huius sphæra, tamen si vtcunque intra eam cõtineatur, repatietur quantum ad illam saltẽ partem, quæ intra sphæram continetur.

Explicatur conclusio

Ad probationem vnum est supponendum fundamentum omnibus opinionibus commune: puta contraria in eodem subiecto se cõpati secũdum remissum gradum, quæ sic debet intelligi: fingamus, totam latitudinẽ caloris esse octo gradus intensionis, totidem autem latitudinem frigiditatis: fieri non potest, vt gradus contrarij ita in vno sint subiecto, vt hunc numerum excedant vel diminuant: vnde quinque caloris, & quinque frigiditatis non possunt esse, vt tres

Fũdam. conclusionis: cõtraria se cõpatiũtur eodem subiecto secũdum gradũ remissum ita vt sit semper expleta tota latitudo intensionis

vnius, tres alteri⁹: vnde etiã æquales esse non possũt, nec inæquales, ita, vt excedãt latitudinem vnius: si ergo sunt quinq; caloris, erunt tres frigiditatis, si septem illius vnus erit huius: itaq; quantũ deest vnius contrarij, tantum suppletur ex altero vsque ad totam vnius latitudinẽ: nec amplius esse potest. Hoc postea à nobis ostendetur.

Probatio cõclusio. Probatur igitur, q̃ quicũque gradus ad sensum expositum reagat in summum: & primum argumentum sumitur ex causa, & natura reactionis, quæ prius à nobis est explicanda.

Radix ex qua oritur reactio & repassio q̃ fiat partim in actu, partim in potentia

Aduerte igitur multum, quòd eadem est radix, & causa passionis, & repassionis, actionis, & reactionis: patitur enim aliquid tantum, qua parte est in potentia ad formã aliquam, non autem qua parte est actu: vnde frigefit, quod non est frigidum actu, sed potentia: magis frigefit, quod est minus frigidum actu, sed potentia est magis frigidum. Actio autem est è contra secundum id, quod est actu: vnde frigefacit, quod actu est frigidum, siue formaliter, siue virtualiter. Hoc docet egregiè Aristo. infrius in hoc lib. tex. 77. ita similiter repassio est secũdum id, quod est potentia, repatitur ergo secundum frigiditatem, quod sic est calidum, vt in potentia sit frigidum. Reactio vero est secundum id, quod actu est. Hæc doctrina est Aristotelis. 3. Physi. text. 8. & est notanda: dicit ibi, quòd passio est, secundum potentiam, actio secundum actum: cumque idem possit esse actu, & potentia respectu diuersorum, vt actu calidum, potentia frigidum, hinc fit, vt agens repatiatur.

Cõstituit ergo radicẽ repassionis in hoc, quòd agẽs sit in potẽtia respectu formæ, quæ in passo est in actu: quod egregie notauerunt illic Themist & Simpl. & ex hoc colliges, radicem repassionis esse materiam eiusdem rationis: nãper eam afficitur agens in potentia, vt possit repati.

Radix repassionis est agens, vt assimilare in materia, 1. Aris. pro cõd.

Ex hac obseruanda doctrina sumo argumentum primum, sit calidum vt octo agens in frigidum vt duo, ita, vt sit saltem secundum aliquas partes applicatum sphęræ ipsius frigidi: probo, q̃ repatiatur, calidum hoc est potentia frigidũ, illud autem est actu frigidum, ergo hoc reaget in ipsum: q̃ enim illud sit calidum, nihil facit ad ipsi⁹ passionem, dummodo sit in potẽtia frigidum.

Solutio q̃ possit assentiri rei.

Dices, quamuis illud sit in potentia frigidum, non infrigidabitur, quia calor summ⁹ resistit frigiditati passi: contra hoc argumentor, quia illa resistentia non est alia quàm corrumpere ipsum frigidũ: non.n. actio frigiditatis illius impediri potest: sed sic est, quòd nõ in instanti corrumpet totam illam frigiditatem, quin aliqua per aliquod tempus duret: ergo per illud tempus ab illa repatietur, deperdetque tantum caloris, quantum

ae

Nota nō agens in actiue se applicatū passo quin agat.

acquiret frigiditatis. Attende ergo veram philosophiā, quod non stat esse agens actu aliquod applicatum passo in potentia, quin sequatur actio, & in hoc fundatur reactio.

obiectio.

Dices, quomodo parua frigiditas inducetur cum tanto calore? Dico ex fundamento, quod illa non repugnat esse cum multo calore, non tamen in summo, & ita parū remittetur calor in repasso: ꝙ si multa fuerit frigiditas, multū remittetur calor. Idemque dico, de alijs contrarijs.

2. argu.

Est secundum argumentū, quod declarat, & corroborat primū. Demus calidum vt octo, cuius actio sit impedita per diuinam potentiam, applicetur que ei frigidum vt duo, quis negauit frigidū actu rum in calidum, cum sit vnū actu, alterum potentia, in quo actio cōsistit? si ergo tunc ageret, ergo modo quamuis calidum ageret in frigidum, modo enim non impedit totalem actionem frigiditatis, sed partem dum ipsam paulatim corrumpit, tamen frigiditas, quæ est, dum est, aget quamuis minus, & minus, quia vincitur à fortiori cōtrario, quousque totaliter destruatur, intelligo manente agente in actiuitatis sphæra: sic igitur aliquid agens repatitur simul, quia agit secundum quod est actu, patitur secundum quod est potentia: nec implicat, simul habere vnam formam, & aliam recipere contrariam, in diuerso tamen gradu.

Probo tertiò idem, suppositā quādam experientia, quòd minima gutta aquæ iniecta ferro candentissimo, aliquam particulam remittit: verum est, quod aquæ frigiditas intensior est, quàm calor ferri: tamen sit argumentum hoc. Potētior est vnus gradus frigiditatis respectu materiæ calidæ, vt octo nō densæ, sed raræ & æqualis, quàm sit aquæ illius frigiditas respectu caloris ferri, qui ob densitatē materiæ fortissimus est: at aqua agit in illud, ergo etiam gradus frigiditatis in calorem vt octo. 3. argu.

Dubitabis, sit agens calidum vt octo, & sit A. Similiter sit frigidū vt duo, & sit B. iuxta suppositum prius, B, habebit sex gradus caloris: si igitur reagit B, in A, quare agit potius frigiditas, quàm calor, qui in B maior est? Dubium

Dico, quod agens non agit vltra propriā potentiam vt dictū est: cū autē reactio sit quædam actio B. non aget in A. secundum calorē, quia A. calidius est: aget igitur tantùm secundum frigiditatem, quia A, est in potentia frigidum. Solutio.

Et attende, ꝙ non cessabit reagere B. in A, quousq; cesset actio ipsius A. in B. cessat autē, cū nulla est frigiditas in B. quæ reagat, quia iā totus calor est introductꝰ. Nota.

Hoc intellige dummodo sit semper A in sphęra ipsius B. qđ fiet, si ei fuerit immediatū, cū enim distat, prius cessat reactio ipsius B. quia dum multum minuitur frigiditas & minorē habet sphæram Nota.

adeò, vt non attingat ipsum A, tũc erit actio sine reactione B, erit tamen reactio ab immediato, vt dicitur in conclusione quarta.

Hunc esse modũ reactionis, puto, credo quę esse verũ, & nisi decipior, omniũ probabilissimũ, saltem est secundum Aristot. & antiquos philosophos: Neoterici .n. quærentes excessum virtutis reagentis supra contrariũ agens, in varias detrusi sunt opiniones, quod exactè magis declarabimus in solutione argumenti primi.

4 Concl. agens cõmunicans in materia semper repatitur ab immediato.

Sit iam quarta conclusio. Agẽs communicans in materia semper repatitur ab immediato passo. Hęc conclusio est, quam intendit Aristoteles dum reactionem fatetur, quę ipsa explicatione nota est ex sequentibus. Voco passum immediatum id, cui agens secundum tactum coniungitur, quod deesse non potest, vt probatũ est in physicis: itaque non negamus repati aliquando à passo distãti: sed hoc vniuersaliter non est, nisi cum agens est intra passi sphæram: at ab immediato repati, id vniuersaliter est, iuxta expositum modum. Cætera, quæ de hac reactione dicenda restant, in solutione argumentorum dicentur, ob id iam ea aggrediamur.

Ad. 1. argumẽ. Solutio cõior.

Ad primum igitur argumẽtum quisque iuxta suam opinionem respondet: at nos solã solutionem quartę opinionis, quæ communis est, examinabimus. Dicunt igitur hi, quod qualitas non est tantũ actiua, quãtum resistitiua: imò dum magis agit, minus resistit: tam igitur actio, quã reactio fiunt à proportione maioris, sed excessus non est actiuitatis supra actiuitatem, sed supra resistentiam, ita quod potest esse calidũ, quod vincat frigidi resistentiam, ob id aget in ipsum, & frigidum hoc fit actiuius, & fortius resistẽtia calidi, & sic reaget, semper igitur fiet actio, & reactio à proportione maioris virtutes actiuæ super resistẽtiam: vnde cùm passi actiuitas non vincit resistentiam agentis, non est reactio.

Qũ de actiuitatibus & resistẽtijs.

Isti inuenerũt hanc distinctionem actiuitatis, & resistentiæ vnius qualitatis, quia existimabant contrarium nullo modo agere in aliud, nisi sit illo fortius: cum autem viderent aliquando non esse fortiùs, nec superare illud in actiuitate, inuenerunt aliud, puta in resistentia.

Cur inuenerint quidã distinctionẽ inter actiuitates & resistentias.

Ostendere autem conãtur hoc: puta qualitates non esse tantũ actiuas, quam resistitiuas. Primò quia aliter sequeretur, quòd facilius esset aquam exsiccare, quàm calefacere, quod est manifestè falsum: probatur sequela: frigiditas aquæ magis agit, quam humiditas, vt experientia docet: tardissima enim humiditas est: si ergo frigiditas est magis actiua, quam humiditas, sequitur, quòd sit magis resistitiua, quia quantum agit, tantum resistit & sic difficilius esset calefacere, quia magis resistit.

1. argu. ad probãdum non esse aquales actiuitates resistẽtijs.

Item

Idem etiam probaretur de ficcitate, quòd esset magis actiua calore, quod falsum est: non ergo est tantum actiua, quantum resistitiua, vel è contra,

Præterea secundò, quia aliter nō posset esse mixtio, nec reactio, vel repassio: si enim qualitas actiuior magis resistit, nō poterit à contraria pati, & sic manebit tota, nec mixtioni vtilis erit.

Præterea tertia experiētia: quia cōstat frigiditatem actiuiorē humiditate: at hęc magis resistit, q̄ experimur in difficultate, qua humidū exsiccatur. His rationibus suā probant sententiam isti docti res. Et sanè hęc sentētia facilis ac dilucida videtur: at solui tamen aliter potest primū illud argumentū cum alijs omnibus opinionibus, quæ putant quod qualitas quantū agit, tantum resistit.

Altera solutio secundū alios, qui putant qualitatem quantum agit tantū resistere.

Apparebit autem hoc, si explicemus, quid sit in his qualitatibus resistere, & quę dicatur resistētia: resistere profectò non aliud videtur esse, quàm [illegible] tuare illæsum, vel defendere ab alterius actione, sed hoc cōtingit tribus modis. Primò, si se defendat tantum ab actione alterius, non tū agendo vel remittendo actionem alterius, vt cùm aurum in igne, vel adamas non consumitur, & cùm quis impelleret columnam firmā ipsa immobili permanente, resistit impulsori. Secundo modo, si se defendat, tamen impediendo actionem alterius omnino, ne agat quicquā vt si quis manum vulnerare volentis teneret, ne percuteret, neve eam moueret, sicut etiam dicunt piscem quendam remorari in cursu nauem, inde dictum remoram.

Tertio modo actionem contrarij, ipsumque ex parte tantum diminuendo, & remittendo: & per hāc resistentiam, atque impedimentum qualitas se conseruat in suo subiecto: tunc enim conseruatur hæc in subiecto, cùm impeditur contraria, quominus producat sibi similem in illo subiecto, verbi gratia, calor resistit frigiditati, dū impedit, quo minus agat frigiditas, & producat tantam vel similē sibi, tunc enim corrumperetur calor, & ita per resistentiam agēdo, & diminuendo contrarium, se cōseruat calor: ipsammet frigiditatem remittendo nam quo idem remissius est, debilius operatur: calor ergo corrumpere conatur contrarium, & quo magis corrumpit, eo magis eius actionem diminuit: & eo magis dicitur resistere, seq̄; conseruare: & quo magis in contrarium agit, eo magis resistit,

Quid sit qualitatem resistere.

At quia non ita agit, dum agit, vt simul totū contrariū destruat, sed successiuè fit, vt nō tantum resistat per suā actionem, quin alteri cōtrario vacet reagere, sibiq̄; simile in subiecto cōtrarij agentis producere, & sic etiā si qualitates tantum resisterēt, quantum agerent fieri potest repassio.

Ex quo fit, quòd quandiu tardatur agens, in corrumpendo contra-

Agēs quādiu agit semper patitur.

rium, tam diu repatiatur, si sit in eius actiuitatis sphęra, & quo fortius est, minus repatiatur, quia magis ac citius suum destruit contrarium. Ita mihi dicendum videm⁹ de resistentia ista.

Causa resistētię. Causę autē resistētię sunt diuersę, tum ipsamet natura, & essentia qualitatis, tum eiusdem formę graduum multitudo & intensio, tum densitas subiecti seu materiæ in quo est maior vel minor, tum conuenientia naturalis eius qualitatis & coniunctio cum forma substantiali cuius est propria qualitas: vt plus resistet æqualis calor in re naturaliter calida, vt igne, quàm in re violenter calida, vt aqua, cæteris paribus. Et causa est, quia conseruatur à sua forma substantiali propria, ab altera potius expellitur: tum coniunctio cū alijs qualitatibus, vt calor cum siccitate magis agit, & magis etiam resistit, quā cum humiditate, vnde calor a siccitate acuitur, ab humiditate verò hebetatur, tum etiam ratione alterius extrinseci cōseruantis augetur resistentia, vel alterius suæ partis fortioris alteram partem debiliorem cōseruantis, vt si calidū vt duo, conseruetur à calidò vt octo ad aliquam distantiam.

Iam ergo qui sustinerent hanc æqualitatem actiuitatis, & resistentiæ, possent ad argumenta facta alterius opin. respondere, argumenta oppolita procedere ex falso intellectu. Aliud enim est comparare actiuitatem absolutè, & in communi: aliud cōparare singulas particulariter respectu contrarij: si.n. absolutè actiuitas consideretur, tunc omnium maxima est caloris, post hanc frigiditatis, statim humiditas, siccitasque sequuntur: & hoc in æquali gradu, & materia, facta comparatione: non tamen ob hoc sequitur, quòd sit difficilius frigefacere, quàm humectare, vt dicemus.

Ad arg. dup. responderi potest 1. mod.

Si verò cōsideretur actiuitas vniuscuiusque proportionaliter respectu sui cōtrarij, tūc existimo, ꝙ proportionaliter tantum excedit actiuitas humiditatis actiuitatem siccitatis, quantum caloris actiuitas frigiditatis actiuitatē: vnde tā tum resistit siccum humido, quantum frigidum calido. Si sit sermo de resistētia ex parte qualitatum in eadem & æquali materia. *1. modo.*

Cur aqua citius ca. lefit quā exsiccē tur licet maior sit resistētia frigiditatis quam humiditatis.

Tamen non ob id sequitur, ꝙ ita facile sit humectare, sicut calefacere, in quo cōsistit vis argumētorum. Nam retardatio qualitatis introducendæ non solùm prouenit ex contrarij resistētia, sed ex debilitate actionis, & agētis, quod etiam contrario non resistente nō potest totum effectum simul, aut tam cito producere, ac ob id difficilius est exsiccare, qui minus agit.

Maior. l. minor actiuitas nō prouenit solum ex maior. l. minori resistentia.

Vnde actiuitas maior vel minor non solùm ex contrarij resistentia, sed ex maiori vel minori actu formæ, & ex ipsius prouenit natura, loquendo in qualitatibus alteratiuis.

Aliter

Alia solutio. argu. 1.

Aliter ergo ad argumentum respõdeo, quod illa propositio: A proportione maioris est actio, est intelligenda in eadẽ specie vt sit sensus, maius, & fortius calidum agit in minus vel in non calidum, non tamẽ minus calidum calefacit maius calidũ: & ita hoc etiam in reactione obseruatur: nã dũ frigidũ vt duo reagit in calidum vt octo, profectò etiã in min⁹ frigidum reagit: & hęc est solutio optima, & notãda, quã tradidit Burl. philosophus in his sanè egregius. 3. Phys. tex. 16: vbi sentẽtiã hanc eandẽ de reactione docet, quamuis breuiter.

Quomodo intelligatur propositio illa. A proportione maioris æqualitatis actio fit actio.

Secũdus sensus eiusdem propositionis.

Quod si velis & illam propositionem etiam intelligere in cõtrarijs diuersæ speciei, vt minus nunquã agat in maius, sed semper sit à proportione maioris, tunc intelliges, talẽ propositionem de actione victoriæ. i. nunquam minus contrariũ ita in fortius aget, vt ipsum vincat, penitusque ad se cõuertat, non tamen negare oportet, quin aliquo modo agat, quod fit in reactione: & sic manet solutum argumentum etiamsi vniuscuiusq; qualitatis actiuitas esset æqualis resistentiæ eiusdem propriæ, nec in eo manet difficultas.

Ad. 2. principali.

Ad secundum variijs modis responderi solet, qui mihi non multũ placent: dicam, quod mihi videtur melius. Dico igitur, q̃ aliquãdo agẽs repatitur secundũ totum, vt in mixtione fit, q̃ inferius declarabitur, & sic nulla est difficultas: aliquando patitur secundum plures partes, quod sæpè accidit. sic etiam non est difficultas: quia nõ est fortius agens, à quo impediatur illa repassio.

In quo casu fit illius arg. difficultas.

At difficultas tantũ est in casu argumenti, cũ patitur vna particula: videtur enim, quòd reliquum debeat conuertere illam statim, & simul cùm fit repassio, & tunc duo motus contrarij simul erunt.

1. Solutio argumẽ.

Dicit igitur Paul. Ven. quod talis particula repassa non simul repatietur à frigido. v.g. & calefit à parte altera calida, sed per aliquod tẽpus repatietur à frigido, in quo nondum calefiet, quia non poterit calefieri, donec sit infrigidata per repassionem.

Obiectio

Sed obijcitur sic, sumo illud tẽpus in quo tãtũ dicitur infrigidari per repassionẽ, & nõ calefieri à reliqua parte, cũ illud sit diuisibile, sequitur, q̃ in illius medio fuit pars frigida, & sic potuit calefieri.

solutio.

Respondẽt aliqui, quòd quãuis fuerit in medio frigida, tamẽ non incepit illud calefieri statim, quin pri⁹ repassio cõtinuaretur per aliquod breue tempus, tum quia illa altera pars propter continuitatem non ita benè est applicata ad agendum, sicut ipsum passum reagens: tum etiam, quia vt dicit Paulus, est intenta circa ipsum totum passum: tum quia opus est aliquanto tempore, vt qualitas inducatur, quodcunque illud sit & in illo nõ erit, nisi illa frigefactio.

2. obiec.

Dices cõtinuetur per vltimum tẽporis illa repassio, & infrigidetur dio.

pars, profectò absurdum videtur, quòd toto illo tẽpore non calefiat talis pars à reliqua.

Solutio. Respon. quòd tempore præcedente vtiq; calefiet, & ita dicunt quòd frigidabitur: sed non simul nec æqualiter.

2. Solutio arg. principalis. Secunda est aliorũ solutio, quòd sicut non est absurdum, quòd calor, & frigiditas simul sint, gradu tamen inæquali, ita etiã, nec quòd sint calefactio, & frigefactio, hoc modo, vt inducatur in aliquo gradus caloris de nouo, & perdatur gradus frigiditatis præcedentis, simulque in eodem inducatur aliquid aliud frigiditatis nouæ, & perdatur caloris antiqui aliquid, sicut si esset subiectum expers cõtrariorum, posset vtique simul calefieri, & frigefieri de nouo vsque ad gradum, quo ista simul esse possunt, hoc autem fit, cùm sunt duo agentia contraria circa idem passum, quod fit in casu argumẽti circa illam partẽ, quæ repassa est: & sic soluitur argumentum secũdum & satis bene.

Reijcitur 2. solutio Tamen hęc solutio pręterquã quod admittit simul & semel motus contrarios in eodem, non satisfacit argumento nã hoc pacto nũquam minuetur intensio illius partis, sed semper erit æquè intensa: nam quantum ab vno agente corrumpitur tãtum & simul ac semel in eadẽ producitur: atque ita nunquam fiet remissior vt dici possit: repassa & diminuta.

3. Solutio. Tertia videtur solutio omnibus alijs probabilior, quòd agẽs dum superat alterum intẽdit agere, nõ autem intendit se aut suas omnes partes conseruare, & ita non conuertit supra se ipsum actionẽ, aut supra suas partes, sed supra aduersarium, cùm verò superatur ab altero, tunc conuertit se ad se defendendum & se conseruandum, & conuertit supra se actionem, vt videmus in antiperistasi.

Quarta etiam solutio addi potest quòd virtus conseruatiua suarum singularum partiũ minor est, quàm virtus actiua in aliud, & ita per virtutem actiuam in aliud externum superat, & ab illo eius virtus conseruatiua superatur, non qua se totum conseruat, sed qua illam particulã conseruabat. Quæ autem harum solutionum sit verior, eligat lector. *4. Solutio.*

Ad tertium omissis alijs respondendi modis aduerte quosdam sic putare, quòd medium non immutatur ab aliquo agente, vel reagente, nisi q excedit medij qualitatẽ. Explico, si aer est calidus vt quatuor non calefiet à calido vt duo, & sic calidum vt duo nõ aget per medium calidum vt quatuor in aliquod passum: imò ipse aer medius erit ipsum agens: quòd ergo per mediũ agit, debet ipsum excedere, vt sit calidius, vel frigidius, si non in intensione, saltem in actiuitate. *Ad 3. principale. 1. Solu- quorun- dam. Nota 1.*

Ex quo fit, vt aliquid agat in aliquod passum, nec ab eo repatiatur v. g. si sit agens fortius medio, & *Nota 2.*

passum

passum debilius, tunc tale agens non repatietur secundum nos nisi à medio. quòd si diximus, quodcũque repati à passo, id intelligebamus ab immediato, vel ab eo, quod habeat actiuitatis sphæram quam isti dicunt non habere, nisi quod medium superat.

Nota. 3. Quòd si vtrumque tâ agens, quã patiens medium superet, siue sint æqualia, vel inæqualia, tunc simul mouebunt medium motibus contrarijs, sed inæqualibus: vt si sit agens A. calidissimum, patiens b. frigidissimum, tunc medium calefiet, & frigefiet inæqualiter: nam prope A. medium magis calefiet, prope b. minus: è contra verò quãtum ad frigiditatem, quia agens quodque minus agit in mediũ distans, quam in sibi propinquum. Nec tamen reputant inconueniẽs secũdum diuersos gradus, à diuersis agentibus motibus contrarijs vnũ moueri, sicut nec est incõueniens, duo contraria in gradu inæquali simul esse in eodem.

Reijcitur Solutio. Sed quia videtur paradoxum concedere motibus contrarijs simul & semel aliquid calefieri, & frigefieri, & præterea quia qua ratiõe noua caliditas. v.g inducitur, eadẽ rõne cõseruaretur vet9: cũ noua & vet9 sint eiusdẽ speciei, & actiuitatis, & naturæ, nec rõ reddi põt, quare vna potius manere debeat, quàm altera: reijcienda hæc est solutio. Verius dicendum ergo est, quod numquam mouebitur medium motibus contrarijs, sed vno tantum à potentiori agente. v.g. à calido, alterum verò, scilicet frigidum, si calidum sit intra suam sphçrã, reaget in calidum per frigiditatem illam in medio relictã, non secus, ac si ipsummet eam ibi produxisset. imò verò, manẽte medio in quiere, vtrumque agens põterit in alterũ agere, vt si esset vnum calidum, vt. 8. & alterum frigidum, vt. 8. nam medium propè calidũ esset calidius, & propè frigidum esset frigidius, & in pũcto æquè distanti esset æquè calidũ, ac frigidum vt quatuor, & agentia in se inuicem agerent.

2. Solutio. Ad quartum respondent Marsil. Albe. Saxo. & alij, quòd repassum reducit se cessante repassione ad pristinũ gradũ à se, sicut calefacta aqua ad frigiditatem: Aliter etiam potest dici, quòd cùm totũ agens repatitur, tũc non producitur effectus similis in illo gradu, in quo erat agens in principio, nec agens, à se reducitur ad pristinum gradũ, sed si reducitur ab extrinseco reducitur: cùm verò repatitur secundum partes: tunc cessante repassione reducitur a balijs partib9: & sic contingit simile producere, & æquè intensum, cũ passum nõ ita reagit, vt in totum reagat, sed semper manent partes agẽtis aliquę in suo gradu, quę non repatientes possunt gradũ similem inducere.

Ad vltimũ respondetur, quòd non est simile de motu locali. & alteratione, eò, quòd resistentia mo-

tus localis non est actiua: non enim reagit grauitas, vel leuitas in agens: at resistentia in alteratione est actiua, scilicet qualitas contraria. Deinde similitudo in eo esset si moueretur res vna, & altera motu contrario, ei occurreret, tunc esset actio quædam, & reactio, cum mobile fortius alterum cogeret retrocedere, & ipsum quoque ex parte retardaretur.

Atq; ista sufficiant de hac materia difficillima: per hæc.n. poterit studiosus auditor multa indagare, & scripta philosophorũ perlustrare, & omnia alia intelligere.

CAPVT. VIII.

Quomodo autem potest hoc accidere. Tex. 57.

Intentio Aristot. quomodo fiat actio & passio & primò de alio- rum philosophorum opinio.

HActenus quid agere, & pati sint, quæ agere & pati dicãtur, & qua ex causa tractauit, nũc modũ in particulari, quo actio, & passio fiant, exponere aggreditur: ac primum Antiquorũ sententias enarrat, atq; impugnat, posteaverũ actionis, ac passionis modũ aperit.

Proponit igitur medium prædictum rursus particularius explicãdum: nam dixerat actionẽ, & passionem fieri per medium similitudinis, ac dissimilitudinis, nũc qualiter hoc fiat examinat.

1. sententia circa modum actionis Emped. 1. At circa actionis modũ primã sententiam ponit, quæ est Empedoclis, hic enim constituebat omnia corpora porosa plenaq; sinibus, & vacuitatibus paruis: sicque existimabat fieri actionem, & passionem, quòd vltimum faciens, & principale, ideſt, proximum, ac immediatũ agens ingrediebatur, per poros alterius corporis passi: imaginabatur enim: cùm applicatur lignũ igni, quòd ignis, qui lignum tangit, quantũ ad aliquot partes secundũ quas est actus, ingreditur per illos ligni poros, eosq; replet, sicque lignum patitur, ignis verò agit.

Cùm autem duo corpora cõueniebant talia, vt pori vtrorumque essent commensurati, ita, vt alterũ per alterius poros se posset penetrare, sicut vinũ, & aqua, tũc mixtionem fieri dicebat. 2.

Cùm verò vnũ erat alteri tantũ commensuratum, vt ignis, qui potest lignum ingredi, sed non e contra, tunc erat sola actio, & passio. 3.

Hæc autem nõ in omnibus corporibꝰ, sed in mixtis ponebat, elementa enim secundum ipsum nõ agunt, & patiuntur: sed solum miscentur inter se. 4.

Addit Arist. quod non solùm actiones has alteratiuas sic ponebat fieri Empedocles, sed etiã sensationes, & quia hę fiũt per mediũ positum inter obiectum, & potentiam, per qđ oportet venire actionem, & corporum partes vsque ad potentiam: ob id dicebat, quod tale medium debet esse transparẽs, quòd fiet cũ corpus habet poros densos, ideſt, multos, ac frequentiores, & ordinatos, ideſt, secundum rectum positos ab obiecto 5.

vsque

vsque ad potentiam: cū enim non recto tramite procedunt, non potest permeare corpus vsque ad potētiam. hæc igitur duo corpus faciunt trāsparens, & quò magis illa sunt, eò corpus est transparentius: sicq; Empedoc. philosophabatur.

Via autem maxime & de omnibus.

Tex. 57.

2 sentē tia de motu & actio nis Leucippi, & Democr.

Secundā sententiam ponit, quę est Leucippi, & Democriti, quam ab vniuersalitate laudat, eo q̄ talia dixerunt principia, vt per ea omnium possent reddere rationē, ac omnes saluare motus, & mutationes, quod nō fecit Empedocles, vt dicetur inferius.

Dicit aūt, q̄ isti posuerūt principiū, q̄ est secundū naturā, id est, vt Philop. exponit, non negarunt naturale principium, sed illud posuerunt scilicet esse motum, & mutationem: vel possumus aliter etiam exponere, quòd posuerūt atomos quę naturaliter erant indiuisibilia corpora, nec ijs in natura min⁹ poterat esse, ob id principiū tale corpus posuerunt. Tamen melior est expositio Philop.

Nota

Aduerte, quod dicit (uno sermone) ac si dicat per positionem vnā, & eandem principiorū omnia saluabant, omniumq; rationē reddebāt, vt superius expositum est, diuersis enim atomorum habitudinibus, diuersi sequebantur effectus.

3. sententia de motu & actione Parmenidis

Quidā enim Antiquorū opinati sunt. Aliqui tertiam sententiā hic ponit dicunt, puta quod non sit actio, nec passio, cū non sit motus, quod dixit Parmenides: & sic apud hūc non est opus quærere, quomodo fiat actio.

Alia expositio Philop.

Et quāuis ista expositio cōgrua sit, & bona magis, tamen placet expositio Philop. quæ talis est: Cùm dixisset superius Arist. Democritum posuisse principium secundū naturam, addit modo quosdā alios non sic processisse, sed modo oppositō.

Nota. 1.

Democritus enim, per id, quod secundum naturam, & sensum est, puta motum, venit, ad id, quod ignotum sensui est, puta vacuum: dixitq; oportere esse vacuum, quia aliter non posset motus consistere & via hæc bona fuit, quia sensum non dereliquit.

Nota. 2

At alij opposito modo, per id qđ ignotum est secundum sensum negauerunt res sensui notas: hi enim dicebant non esse vacuum, & per hoc, quod ignotū est, negauerunt duo: & motū esse, quia credebant, non posse esse absque vacuo: negauerunt etiam multitudinem, dicētes, omnia esse vnum infinitum immobile, quia si plura essent, opus erat, quod aliquo vacuo separato, id est, non pleno, segregarentur, quod cum nòn sit, non poterūt esse plura: & sic nec erit actio, nec passio.

Hoc autem nihil differre. Tex. 58.

Proponit quandā veram respōsionem, quā impugnabat Parmenides: veritas est, q̄ possunt esse multa, & diuisa vbique vacuo inter medio, sed solo tactu, quod de facto

facto modo est: distinguuntur. n. corpora tactu, eò quòd extrema non sunt vnum actu.

Ratio 1. Parmen. quòd oportet inter duo corpora intercedere vacuum

Hoc non recipiebat Parmē. sed dicebat, ꝙ adhuc oportet vacuum ponere: nam multa hac via facere non differt ab eo, quod est multa facere per vacuum. peti enim poterit: ens, vel est vndiq; diuisum, vel non: si vndique est diuisum, tunc nihil erit, erit enim totum vacuum: si autem ens, & mundus secundum has partes est diuisus, nō secundum illas, tunc videtur fictum, quia quare potius secūdum has, non secundum alias partes?

2. ratio.

Præterea quare tantum fuit diuisum, & nō ante illū terminū: & similiter quare mundus est tātus, & non maior, cùm supersit vacuū adhuc vlterius, si est finitus.

Amplius similiter est necessarium.

3. ratio.

Vlterius arguebat Parmenides, ꝙ secundum istum modū, quo res multæ ponūtur, adhuc oportet negare motum, quia quantumcūque res diuisæ solo tactu sint, cū nō relinquatur locus, qui nō sit plenus, videtur quòd non sit motus, nō. n. corporum penetratio esse potest: iste est sensus loci huius.

Alia quę opinabatur Parmen. & ijsdem rationibus.

Concludit Arist. quòd isti tali ratione concludebant, omnia esse vnum ens immobile, ac infinitum si enim finitum esset, vltra ipsum esset vacuum, quod cùm non sit, oportet ipsum ens, & mundum infinitum esse: in quo propter rationem sensum dereliquerunt, sed non bene.

Amplius autem in rationibus quidem videntur. Tex. 59.

Illos reprehendit tanquam sensui repugnantes: Dicitq; ꝙ si tantum hoc in sermonibus esset, non multum referret, id est, si esset de rebus, sensu incognitis: at quia in sensibilibus hoc est, talis opinio similis est dementiæ, imo dementia peior, quia nullus est ita demens, vt ignem putet aquam, sicut isti, sed solum in bonis apparētibus ꝓpter aliquam assuetudinem decipiuntur, & mala vere putant esse bona. Procedit hoc ex eo, ꝙ voluptate decipiuntur, vel aliqua assuetudine, qua illa bona comperunt, quę non sunt. Hoc autem minus est, quam errare in istis sensibilibus, quæ tam nota sunt etiam ipsis amentibus.

Reprehensio Par. & aliorum phi losopho. rū relinquētium sensum.

Leucippus autem existimauit habere. Tex. 60.

Sententiam Leucippi cum sententia Parmenidis cōuenire in aliquo docet: in multis tamen differre, ipsamq; explicat. Primo quidem Leucippus adhibuit rationes, quibus cum sensu consentiret ac quę sensibus consonarent: puta per quas nec motus, nec mutatio posset auferri, & in hoc cum apparentibus, & sensibilibus, cōuenit, dum ista non negat.

Conuenientia sent. Leucippi cū Parm. inquibus conuenit & differunt.

1. differentia

In alio tamen cū his, qui vnum ponunt ens, conuenit, puta, quia affirmat, si non esset vacuum, non esset motus: affirmat etiam quòd vacuum nō est ens, nec entis pars, & sic nec cū ente computatur, soli

1. conuenientia.

dum

dum enim,& plenum solũ est ens.

2. differẽtia. At iterum differt in hoc alio, quod existimat talia plena,& entia esse plura,& distincta inter se, numero infinita, paruitate indiuisibilia,simulq; esse vacuũ affirmat,per quod talia plena ferũtur.

Modus generationis, & corrupt. actionis & passionis Leucip. Ex his patet opinio Leucip.circa mutationes:atomorum enim,& horum corpusculorum congregationem in vacuo generationem,ipsorum verò separationem dissolutionemque corruptionem vocat: tactum verò horum, actionem & passionem:& sic per eundem modum omnia soluit.

Atomos esse tãgant non esse vnũ. At ne existimaret quis talia corpuscula,cùm se tangunt,vnum effici,addit Aristot.quòd non ob id vnum sunt:quamuis se tangant.

Reddit rationem Philop.quia, inquit,Leucippus non posuit verũ tactum,quia mediabat semper vacuum,sed vocabat tactum,cũ valdè proxima erant inter se.

Modus alteratiõis secundum Leucip. Vlterius addit,quòd ista corpuscula,composita,& circumplicata generant,ideſt,ordine,& positione posita faciunt passiones, & sic talis ordinatio alteratio erat. Omnium igitur motuũ distincte ratio per hæc principia traditur à Leucippo,& Democrito.

Ex vno autem secundum veritatem nõ vtique. Tex. 61.

Quod animi non fiant vnũ per tactũ Dixerat congregatione corpusculorum generationem, dissolutione corruptionem fieri,tactu verò actionem,tamen non fieri ob id vnum:nunc explicat, quòd non fiat vnum verè ex atomis,sed solũ per accidens & secundum congregationem:existimabat igitur Leucippus impossibile & quòd ex verè vno,puta ex atomo fierent multa,cum sit indiuisibile,& vacuo carens,& etiam quòd ex verè multis,puta atomus fieret per se vnũ, eo quòd vacuo distarẽt: vnitatem igitur per se,ac multitudinem in his constituit.

Comparatio opin. Leuc. & Emped. 1. Post hæc opinionem Leucippi cum Empedocl.comparat,dicitq;, quod sicut Empedoc.ponebat alterationem,seu actionem fieri per meatus,& poros, ita Leucippus omnem mutationem ponit: vniuersalius ergo processit Leucippus:nam Empedoc.ad actionẽ solam cõstituit illas vacuitates:iste ad generationem, corruptionem, & alias mutationes,etiam ad augmentationem:fiebat enim augmẽtatio,cùm noua intrant corpuscula in aliud corpus.

Philop.dicit, quòd Empedocles non posuit poros vacuos, sed aere plenos, qui cederẽt intranti corpori. At Democritus, & Leucippus vacuos posuerunt. *2.*

Verè autem & Empedoclem necesse est. Tex. 62.

Reducitur opin. Empe. ad opinionem Leucip. Reducit opinionẽ Empedoclis de actione,& passione ad opinionem Leucippi,idque ostendit:nã Empedocles debet fateri esse quasdam partes solidas, & indiuisas,nõ habentes meatus,& poros : aliter enim si vbique porus esset, totum corpus esset porus, totumque vacuum:

cuum: sunt ergo ista corpuscula se tangentia, & inter ea mediant pori, quod idē dixit Leucippus. Conueniunt igitur vterque in modo actionis, & passionis. s. per ingressum & tactum corpusculorum.

Modis igitur secundum quos hæc quidam agunt.

Cōparat modos, quibus actio & passio fiebat secundum Leucipp. & Empedo. & præfert Leucippum. 1.

Epilogat & cōparat modos, qui bus actio & passio fiūt, iuxta Leucippum, & Empedoclem, qui duo sunt, & per meatus vt ponit Empedocl. & per vacuum, vt Democri. hos autem modos comparat, ex quorundam enim positione confessò, & manifestò apparet, quod sequitur, idest, consonant principijs, quæ sequuntur alijs vero nō hoc accidit.

Ex positione enim Democriti ponentis illa indiuisibilia corpuscula, figura differentia, ex quibus omnia corpora componuntur, & in quæ resoluuntur vltimo facilè liquet, quomodo generatio, corruptio, & reliqua sequantur.

At ex opinione Empedoclis hęc omnia nō liquent generatio enim & corruptio mixtorum facilè intelligitur ex congregatione vel dissolutione elementorum, at ipsorum elemētorum generatio nō constat, quia secundum ipsum elementa nō habēt principia, quomodo ergo ipsorū corpulentia, & magnitudo congregata generetur vel dissoluatur, non potest secūdū dicta Empedoclis reddi ratio: nec enim ignis, nec aliorum vllum elemētorū principiū habet, sicut posuit Democrit, & Plato. Hic enim superficies esse elemētorum principia posuit: ille vere atomos, & indiuisibilia corpora.

Imo nec est manifestum in doctrina Empedoclis, quomodo fiat alteratio: nam hic solum accidentia posuit in elementis, ab ipsisq; inseparabilia: & elementa, intransmutabilia inter se posuit, ex quibus sequitur, alterationem esse nō posse, vt diximus supra textū primū: Democritus verò in variatione situs, & ordinis atomorum alterationem facilè collocauit. 4.

Tātū.n. differt, vtrū eo: lē modo. tex. 6.

Platonis cum Leucippi opinione sententiam confert. Vterq; n. omnia corpora tā mixta, quā quæ elementa dicuntur, ex indiuisibilibus componebat. Sed est inter eos triplex discrimē. Primò: nam Plato indiuisibiles superficies ponebat: at Leucippus indiuisibilia corpora. Secundo Leucippus corpora quæ que compone bat ex infinitis atomis, singulis habentibus figuras distinctas, & sic posuit figuras infinitas: at Plato finitas posuit figuras, & principia: conuenerunt tamen, q; vterque posuit indiuisibilia figurata, quæ numero, & multitudine differebant.

Comparatio opin. Leuci. & Platō.

1. diffe.

2. diffe.

Et nota secūdū Philoponū hunc esse sensum huius loci, quāuis videatur significare litera, q; singulę atomi figuras habeāt infinitas. Sē sus enim oppositus est, scilicet q; solida ex infinitis diuersarum figurarum atomis constant.

Nota ex Philop.

Tertiò

Tertiò differunt in modo faciẽ di generationem: nam Leucippus dicit per tactum atomorum simul cum vacuo fieri generationem, ac Plato per solum superficierum tactum, quia negabat esse vacuum. 3. differ.

Statim excusat se ab impugnatione istarum opinionum, dicens, q̃ cõtra superficies dictum est lib. 3. de cælo: simul etiam contra solida indiuisibilia: vnde relinquatur modo speculatio incõuenientium, quæ ex hac opinione sequuntur.

Vt autem parum egredientes dicamus. Tex. 64.

Reffert sentẽtia de atomis Leucip. & Democ.

Quãuis se nolle impugnare atomorum opinionem superius dixerit, excusatione facta dicit, quod digressione quadã vti liceat, vt cõtra eam parum disputet. Et aduerte, quòd quę dicit contra istã opinionem, sunt quę pertinent ad hãc tractationem de mutatione. Est igitur primũ argumentum contra Leucippum tale, vt Philop. exponit: nam sequeretur ex opinione ipsius, quòd necessario atomi essent impassibiles, & ex hoc vlterius, quòd non possent agere, & ex hoc, quod nihil ex frigido caliđ, & ex duro molle fieret, quod est contra sensum.

Arg. ex impossibile ad atomũ

Prima sequela probatur, quia nihil patitur nisi per vacuum, atomi in se non habent vacuũ, sed solidæ sunt, vt ipsi fatentur, ergo nõ possunt pati: probatur sequela secunda quia si nõ possunt pati hæ, nec illæ possunt agere, cum desit id, in quod possunt agere, ex quo tertia sequela nota est.

Secundum hanc expositionem illud verbum, neque enim durum, tenetur illatiuè, puta quare neque durum possibile est esse.

Altera expositio Arist.

Hęc expositio bona est, sed forsan est alia melior, & textui magis cõueniens, puta quod inferat duo inconuenientia illata ex duobus dictis Leucippi: alterum inconueniens est, quod essẽt atomi impassibiles: alterum quòd nihil esset effectiuum, nec esset actio.

Nota in opi Leucip.

Prius probat ex vno ipsius dicto quod passio fit per vacuum, & atomi nõ habent in se vacuum: posterius probat ex altero ipsius dicto.

Vbi attende, quod Leucippus vt in sequenti textu apparet, posuit qualitates in atomis quibusdã, ita tamen, vt non poneret contrarias qualitates in alijs: sed credo, quòd existimabat, illas esse harum priuationem vel distantiam: posuit. n. calorem, sed non frigiditatem positiuã: posuit duritiem, sed non mollitiem: posuit grauitatem, sed non leuitatem: sed hæ erant illę alię, secundum quod minus vel aliter inter se habent atomi.

Ratio cõtra Leucolligitur.

Ex hoc igitur arguit Arist. quod non est actio, nec atomus efficit, quia deest contrarium, & enarrat dicto, id est, nõ est frigidum, nec durum secundum ipsum, at actio inter contraria est.

Nota.

Aduertendum autem, quòd durum positum est pro exemplo: nã non negauit durũ esse Leucippus: sed

sed molle, & nota expositionem nostram, cui textus sequens cōsonat,

Quamuis hoc incōueniens sit. Tex. 65.

2. arg. ex affectionibus, seu qualitatibus remotorum cōtrarijs

Argumentum secūdum facit cōtra hoc secundum dictum Leuci. quod in proximo textu exponebamus, & tale est: vnum contrariū in natura nō est absque altero existente: si ergo figuræ quædā, scilicet rotundæ atomi calidæ sunt, oportet profectò in alijs figuris, & atomis frigiditas insit, & simul sint, & oportet alia complere contraria, puta, cum grauitate leuitatem ponere, & cum duritie mollitiem,

Nota.

Et nota sensum: dicit enim, q̄ si quia ponitur calor, oportet frigiditatem ponere, etiam cum ponatur durities, & grauitas oportebit harum contrarias qualitates, scilicet mollitiem, & leuitatem dare.

Sed tamē grauius secundum excessum. Tex. 66.

3. arg. ex actione remotorum vnius in alterum.

Tertium argumentum facit cōtra tertium dictum Democriti, docebat hic atomos alias grauiores esse alijs. Ex hoc arguit, & reducit ad contraditionem: si datur excessus in vno cōtrario, puta in grauitate, dabitur etiam in alio, puta in caliditate, eritque vna calidior altera: vlterius ergo vna agit in alteram, nec erit impassibilis, quia impossibile est, quin magis calidum non agat in minus calidum, intensum enim & fortius agit in debilius eiusdem rationis.

Atqui si durum & molle. Tex. 67.

Eiusdēm rationis est hoc argumentum, ob id non tāquam nouū cōputetur, dicit ergo, quòd si durum est, simili ratione molle erit: quòd si mollis est atomus, profectò passibilis erit: hoc enim est molle ipsum, quod facile patitur, facileq́; cedit agenti, & diuidēti.

Confirmatur 3. argum.

Sed tamē incōueniens est, si nihil ineſt. Tex. 68.

Quartum argumentum facit q̄ latius extendit Philop. plures partes addens argumento: nos tamen, quæ Arist. dicit, exponemus.

4. arg. ex pluriū partiū diuisione, seu enumeratione

Argumentum igitur est. Istis atomis vel insunt qualitates præter ipsarum figuras, vel non, si non, inconueniens videtur esse, cuius rationem dat Philop. quia tunc nec composita ex ipsis haberent qualitates, quòd est contra sensum: nā quod non est quale, non facit quale.

Si verò insunt qualitates, tunc vel singulis singulæ id est, vni atomo non inest nisi vna qualitas, vt frigiditas, alteri altera, vt durities, & sic de alijs, vel nō ita, sed vni plures ita, vt vna insit, & possint aliæ inesse, vt sic sit calida, vt possit altera inesse.

Si non nisi vna, tunc essent singulæ naturæ diuersæ, cùm vna nō sit in potentia ad alterius qualitatem, & sic non solùm figura, sed etiam natura differrent, nullaque esset actio.

Quòd si plures insint vni, sequitur, quod non erit atomus indiuisibilis, quia oportet dare partem,

in qua

In qua vna sit qualitas, & partem, in qua recipiatur altera, vt si ex calida fit frigida, aliquid erit secundum quod sit calida, aliquid secundū quod sit frigida futura: sic etiā de alijs accidentibus. Est autē notandum, ꝙ non oportet hoc intelligere de parte integrante: nā notum est, ꝙ secundum idem, quod erat calidū, potest postea esse frigidum, sed loquitur de principio, vt sit sensus debet habere aliquid secūdum quod est actu, & aliquid secundum quod est potentia, puta materiam, & formā, vel actum, & potentiam, & iam atomus erit cōposita, nec erit principium.

Nota circa sensum Aristot.

Alter sensus Aris.

Tamen mihi magis placet, ꝙ intelligat de parte integrante, vt sit sensus, quod ex calido fit frigidū, debet esse diuisibile, & plures habere partes, vt secundum vnā sit sub termino à quo, secundum aliā sub termino ad quem, aliter nō est motus, & ita loquitur libro. 6. Physic. tex. 49. nam loquitur de calefactione, & alteratione nota, quæ est secundum extensionē: nam quæ fit secundum intensionem, non est ita nota, vt declarauimus in expositione illius textus libri sexti.

Hoc enim & solida, & plana. Tex 69.

Idē inconueniens infertur contra Platonē, qđ fuit illa inconueniens Democ.

Dupliciter exponit hūc locum Philop. mihi tamen magis placet expositio Auerrois, vt reducat ad idem inconueniens Platonē, qui posuit superficies indiuisibiles esse principia, & Democritum, qui posuit corpora, & atomos.

Dicit igitur, ꝙ eodē modo sequitur non habere qualitates illas superficies, nec esse quales, sicut dicebatur in precedenti tex. de atomis: & hoc ostendit, quia tales nō possunt fieri rarę, vel dēsæ, vel habere alia qualitatē in se, nisi ponatur vacuum intra eas, vel intra atomos, quod tū negabat vterq;.

Nota circa expositionē litere.

Mihi magis placet, ꝙ ista verba (neq; enim rariora, &c.) respondeāt vltimis antecedentis textus, in quibus concluſit, non solum no habere illas qualitates, quas dixerat, & passiones, puta infrigidari, & calefieri, sed nec alias, & hasmodo exprimit: & hoc mihi conformius videtur.

Amplius autē inconueniēs est. Tex. 70

5. argu. contra dictum Democriti, & Leuci. Ex quātitate atomorum

Quintū argumentū facit contra dictum Democriti: dicebat enim ista corpuscula esse parua, & propter paruitatem esse indiuisibilia: contra hoc facit ingeniosum argumentum, in quo ostēdit deceptionem Democriti. Magnum, & paruum eiusdem sunt generis, & vtrū que quantitatem sequitur, ergò si paruis inest esse omnino indiuisibile, etiam inerit magnis, diuidi enim, & non diuidi, quantitatis sunt.

Dupliciter diuisibile indiuisibile.

Vt ostendat autem fallaciam, distinguit indiuisibile duplex: alterū, quod difficulter diuidi potest, alterum, quod nullatenus potest: Dicit igitur, quod rationabiliter dicitur, parua esse indiuisibilia, quia difficilius diuidi possunt: magna autem facile diuiduntur cùm

multis offendant, id est, ex multis constent, & multis occurrant.

At dicere, parua esse omnino indiuisibilia, hoc est præter rationē: errauit ergo Democritus ex difficultate colligens impossibilitatē: sic enim non esset ratio, quare parua potius, quàm magna essent indiuisibilia.

Amplius autem vtrum vna omnium.

Tex. 71.

6. argu. ex natura atomorum.

Sextum facit argumentum. Illæ atomi, vel differunt in natura, & essentialiter, sicut apud nos ignis, & aqua, vel non differunt, nisi numero, sintque eiusdem speciei sicut diuersæ partes aquæ: si des hoc posterius, tunc oportet dare causam quæ diuisit, & secuit has atomos, cùm ex sua natura sint vnum, quā causam non assignat Democritus.

Vlterius sequeretur, quòd cùm iterum conueniunt, & congregantur, fierent vnum, sicut ex multis particulis aquę vna fieret aqua, quod tamen negabat Democrit⁹.

Si verò des prius, tunc sequitur quòd sint æquales, id est, differāt, & singulæ particulæ, & atomi habeant suas naturas præter figuras: iam ergo secundum tales naturas erunt principia, non autem secundum figuras, cùm absq; his differentiam habeant. Argumentū est optimum.

Amplius autem differentia naturæ.

7. Vel dubitio quædam antecedēs,

Tex. 72.

Septimum facit argumentum, qđ non est argumentum principale, sed deducens ad aliud inconueniens, si tales naturæ essent diuersæ, sequeretur, q̄ si se tangerent, inuicemq́ue approximatæ essent, mutuò agerent, & paterētur, quod est contra Democritum: & hoc patet quia essent iam aliquo modo similes, puta genere, specie verò, dissimiles: inter talia aūt actio est.

Amplius autem quid est quod mouet.

Tex. 73.

7. Principale ex causam. tricet atomum.

Septimum principale argumentum facit. Cùm congregantur atomi, vel à se vel ab alio mouentur: si ab alio, iam sunt passibiles secūdum se contra Democritum: si à se, ergo oportet distinguere partē motam, & partem mouentem, tūcq́ue erunt diuisibiles singulæ, vel si non distinguantur tales partes, eidem, & secundum idem inerūt contraria. s. moueri, & mouere.

Nota. Nota, q̄ hoc non solùm procedere potest de parte integrante, sed etiam de materia & forma: nā Democritus vtrūq; negabat, quia atomos ponebat rerū prima principia.

Et non solum materia erit numero.

Tex. 74.

Obiectio contra 7 argum.

Verba hęc cōtinuanda sunt cū præcedentibus. Posset n. quis dicere, q̄ cōtraria possunt eidem inesse, & moueri, & mouere, sed vni quidem subiecto, sed potentia nō vni, sed secundum aliud, & aliud, vt animali inest motus à se.

Ad hoc respondet, q̄ argumentū concludit, quòd vni contraria inerunt, non solum vni, quia est vna

materia & subiectum, sed quia potentia, & principium est idem: nã secundum Democritum, atomus est corpus simpliciter indiuisibile, & simplex non ex alio constãs principio, nec in aliud principiũ resolubile: vni ergo secũdum idẽ prorsus subiecto, & ratione contraria inerunt, si se mouet. Hoc diximus supra in quæstione. 14.

Quicunque igitur per meatum motũ.

Tex. 75.

1. arg. cõtra Emp. 8. inordine impugnãdo actionẽ per poros

Mihi placet expositio Philop. in hoc loco, dicit enim quòd Arist. facit argumentum contra Empedoclem. hic enim dixit passionem esse per susceptionẽ intra poros, posuit tamen poros nõ vacuos, sed corpore repletos.

Dicit autem Arist. quòd illis, qui ponunt passiones fieri per susceptionem intra poros, qui tamẽ pleni sunt, superfluum est tales poros ponere, quia etiam illis remotis, & toto existẽte cõtinuo adhuc posset passio fieri: nã sicut expellit corpꝰ inclusum in poro, posset expellere partẽ rei, & cõtinui, præsertim cũ continuũ est etiam facile cedens: & hoc potest esse octauum argumentum principale.

Amplius autem quomodo contingit.

Tex. 76.

2. arg. cõtra Emp. 9 inordine.

Prosequitur impugnare Empedoclem & facit nonum argumentum, quo probat, non posse nos videre, & prospicere illo modo, quẽ assignabat ipse, & est argumentũ: si visio fit illo modo, tunc, vel radij visuales transeunt per tactus, vel per meatus, & poros: (vocat tactus partes solidas) non per tactus vt notum est, quia superflui essent pori: non etiam per meatus, quia hi secundum Empedoclem sunt pleni corpore: quod si per tale corpus possunt penetrare, possent etiam per totum solidum penetrare: & sic superflui essent pori. Nec potest dici, quòd cedit corpus inclusum, quia eadem ratione posset cedere pars solida.

Excludũntur duæ solutiones.

Excludit duas responsiones: altera est: dici posset, quòd porus est vacuũ, non tamen separatũ, sed habẽs corpus ex necessitate, & per hoc transit radius.

Contra hoc arguit, quia pono. q repleatur corpore, vt re vera est repletus aere, tũc non posset esse visio, quia se penetraret cum illo radius, & sic posset eadẽ ratione esse absq; poro visio: nec potest negari, quin visio fiat per aerem semper etiam repletum. *Prima.*

Altera est, quòd illi pori sint vacui tam parui, vt non capiãt aliud corpus, nisi radium: hoc excludit, quia absq; ratione dicitur esse, tã paruum vacuum, vt nõ capiat corpus. Primó, quia qua ratione datur paruum, dabitur magnũ, quia magnum, & paruum non mutant naturam vacui. *2.*

Præterea secũdo, quia re vera nõ est aliud vacuum, quàm spacium, & profundum corporis interni. verbi gratia, vacuũ inter latera vasis nõ est aliud, quàm ipsa profunditas existentis in vase: si er-

go oportet vacuum ponere, illud corpori æquale oportebat ponere: nullo igitur modo potest sic visio fieri, superfluumque est meatus, & poros pro visione collocare.

Omnino autem meatus facere superfluum.

3. *argu. contra omnes similes veterum sententias ex tactu agentis.*

Vltima, & ingeniosa ratione has in vniuersum confutat sententias, qua probat, quod per tactum solũ fiat actio: argumentum est. Agẽs, vel agit tactu, vel non: si sic, ergo frustra sunt pori, & meatus: si nõ, ergo quamuis per poros ingrediatur, non aget, quia ingredi non est agere, sed applicari, vt agat: necessario igitur fatendum est secundũ tactum agere esse, & pati, poros ergo ponere ad hoc, aut falsum est, aut vanum, & inutile.

obiectio. Dices, non posset agẽs agere, nisi se cõiungeret cum partibus passi, & ad hoc sunt necessarij pori.

Solutio. Excluditur hoc, quia sat est, q passum sit vndique diuisibile, vt possit tangi: non sunt ergo pori necessarij.

Hæc sunt, quę Aristoteles cõtra antiquos dicit, quæ quia parũ nũc temporis vtilia sunt, breuiter exposuimus contenti cum ipsa clara, & facili textus expositione.

CAPVT. IX.

Quo autem modo insit generare.

Tex. 77.

Modus actionis Aristotelicus, agẽtis ac

Iecta antiquorũ sententia, suum nunc modum proponit: modus autem in hoc cõsistit.

gere in quantũ sunt actus per tactum immediatum vel mediatum.

Primo. n. id agit, quod est actu, se cũdũ id, quod actu est: id verò patitur, quod est potentia tale secundum quod est potentia: modus autem est per tactum, vel immediatum ipsius agentis, & patiẽtis, vel mediatum, vt declarabitur.

Differentia aliud esse ens actu, aliud potentia.

Proponit igitur distinctionem, aliud esse ens actu, aliud potentia: quæ diuisio est intelligẽda secundum eandem formam, nẽpe aliud est calidũ actu, aliud calidum potẽtia: aliud actu frigidum, aliud potentia frigidum.

Quod est potentia tale est aptũ pati.

Proponit etiam, quod est potentia tale natum esse pati, idest, est subiectum passioni aptum. Explicat autem, quomodo sit aptum pati, puta secundum se totum, ac si dicat, quod est tale potẽtia secundũ se totũ aptum est pati, & nõ vt antiqui volebant, secundum vnã partem pati, secundum aliam non.

Quo plus vel minus est potentia tale eò plus vel minus est aptũ pati.

Quãuis verum sit, quòd quo magis vel minus est in potẽtia, eò magis vel minus pati sit aptum: & ex hac parte videbitur esse meatus, si quis vocet meatus partes magis passibiles, quales sunt venæ protensę intra terram, ex quibus sunt metalla, tamen hæ non sunt propriè dicendæ meatus.

Nota circa literę Arist. ex posituę.

Attẽde autem, quòd ista verba sunt legenda cum suspensione, vt vult Philop. est enim consequentia conditionalis, ex qua infertur in textu sequenti, continuum nõ pati à se, vt exponetur.

Alia expositio Aristot.

At quãuis ista expositio bona sit, tamen subtilius & se. sau accom-

mo-

modatiùs potest aliter exponi, vt velit Aris. Primò cõstituere hoc, quod passio non fit eò, q̃ aliquid secundum vnum patiatur, puta secundum poros: secundum alterũ non patiatur, puta secundum solidas partes, sed secũdum se totum patiatur aliquid: hoc autem probat, quia sicut aliquid est actu totum, vt agat, ita est aliquid totum, vt patiatur scilicet, quod est tale potentia, & quò magis potẽtia, eò magis erit passiuum, secundum hanc expositionem illud (autem) non continuatiuè, sed illatiuè intelligi debet.

Pati potius ad facilitatem actus, quam ad necessitatẽ ponendi esse.

Subdit statim, cùm dixisset, aliquid magis pati, quo minus est potentia quòd ex hac parte meatus magis videntur esse, id est, meatus non sunt ad actionem, seu passionem necessarij, sed ad facilitatem passionis, quod exemplo comprobat: cùm enim fodiuntur metalla, apparent protensæ venę cõtinuæ, & viæ, quibus facilior exitit passio circa illas terræ partes.

Connatum igitur vnumquodque.

Tex. 78.

Nihil agit in sibi continuũ, omnino simile.

Duo alia circa passiuum assumpta adiungit: alterũ est, quòd continuum, quod vocat cõnatum ad excludendum contiguum, non patitur à se, id est, nihil agit in sibi cõtinuum: hoc autem de continuo non solum in quantitate intelligi debet, sed etiam in qualitate, ob id dixit connatum: nam vna potest pars continua in quantitate alterare alteram, vt notum est, sed non si eiusdem sit rationis vtiquẽ.

Vbi non est tactus actiui & passiui, non est actio.

Alterum est, vbi non est tactus actiui, & passiui, non est actio, vel passio, est igitur necessarius tactus, vel immediatus, vt ignis tãgat lignum, vel mediatus, vt tangat id, q̃ tangit lignum, est igitur tactus, sine quo passio non est, & per quẽ passio est, cùm ponitur actiuum & passiuum: illud est actu, hoc verò potentia.

Existimare autem tum pati, tum aute̅ non. Tex. 79.

Ex senẽtia aliorũ sequitur pus, tum pati, tũ non pati posse.

Cũ dixisset, passum non sic esse, vt partim pati, partim nõ pati possit, sed sicut totum pati possit, nũc cùm hoc dictum sit, explicat, cui opinionis sit illud dictum asserere: docetque, q̃ omnes, qui ex magnitudinibus indiuisibilibus corpus componunt, illud fateri tenentur, vt corpus tum pati, tũ non pati possit, quia secundum partes illas indiuisibiles pati non poterit, vt dictum est.

Imò nec erit tale corpus continuum: non enim indiuisibile additum indiuisibili continuũ facit, cũ nec maius faciat, nec ei possit copulari.

Ex continuitatis facilitate probatur oportere poros vel indiuisibilia corpuscula ponere.

Statim addit, q̃ si ista opinio falsa est, & omne corpus, ac magnitudo est diuisibilis, tunc profectò nihil refert, nec est necessarium ad actionem dicere, quòd tales partes diuisæ sint, & se tangant per poros, vel dicere non esse actu diuisas, sed diuisibiles, vt iam dictum est.

Vt enim ipsi componentes ex

tactibus, ideſt, indiuiſibilibus cõtinuũ, dicunt, licet non ſit actu diuiſum, poſſe tamen actu diuiſum eſſe: ita etiam nos dicemus qui ex diuiſibilibus, componimus continuum: non enim opus eſt actu partes diuiſas eſſe ad actionẽ, ſat eſt, vt continuum diuidi poſsit, & poſtea actu diuidatur: ex poſsibile enim non ſequitur impoſsibile.

Omnino autem hoc generari modo.

Vltimo arguit, vbi eſtitit eſſe illam ſententiã impugnãs, quæ poros ad actionẽ neceſſarios conſtituit, et indiuiſibilia. Nota.

Impugnat vltimo hanc ſententiam duplici argumento: ſententia eſt, quod patiatur res per poros in quibus agens ingrediẽs velut ſcinditur, ſcinditque ipſum paſsũ. Argumentum primum eſt, q̃ ex hac ſententia ſequitur, q̃ non ſit alteratio, nihilque alteretur.

Et illud eſt contra Platonẽ, qui dicebat corpus cõtinuum eſſe ex indiuiſibilibus, tamen per paſsionem diuidi: ſequela oſtenditur in ſequenti textu, puta, quod non ſit alteratio.

Videmus enim idẽ corpus. Tex. 80.

1. Patet experientia eos tollere a generationẽ

Experientia probatur, quia idẽ eſt corpus cõtinuũ manens qđ aliquando humidum, aliquando aridum, ſiccumq; conſpicitur, in quo conſtat nullam diuiſionem eſſe factam contra Platonem, imõ nullã atomorum tranſmutationem, nec verſionem contra Democritum, cùm ſub eadem maneat figura: non ergo alteratio fit illo modo, nec neceſsaria eſt diuiſio, vel ſi illo modo fit, ſequitur illud, durum non eſſe alteratum, quod eſt falſum.

Coguntur ergo iſti alterationem auferre, negantes alterationẽ hãc, qua tamẽ poſita deſtruit ipſorum ſententias, vt notum eſt.

Reijcitur obiectio pro Dem.

Nec poteſt dicere Democritus, q̃ apparent atomi durę, & occultãtur humidæ: nãtotũ profectò erat ante humidum, vt patet in aqua & totum poſtea durum per congelationem. Attende, quòd iſtæ particulæ vocantur indiuiſibilia molibus, & quantitatibus, id eſt, quantitates indiuiſibiles.

Amplius autẽ neq; augmentationem. Tex. 81.

2. Probatur eos tollere augmentationem.

Alterum argumentum eſt, qđ iſta ſententia etiam aufert augmentationem, & diminutionem: probat: hoc enim eſt verum in augmentatione, quod totum augetur, & quælibet pars ipſius: ſi igitur non aliter fit, quàm appoſitis quibuſdam partibus, vt iſti dicunt, profectò totum non mutatum erit, nec auctum.

Explicat autem non ſolùm auferri augmentationem, quæ fit aliquo extrinſeco accedente, & impoſito, quòd ſit in viuentibus, ſed cũ augetur aliquid, quia ſecũdum ſe mutatur: vt cùm fit ex aqua aer vt dicit Philop. vel potius cũ aliquid fit maius per rarefactionem, non accedente extrinſeco.

Epilogus

Tandem epilogat, dictum eſſe, quid agere, & pati, & ſecundũ veram opinionem. & ſecũdum alios, qui aliter dicebant, ſed non cõtingebat ita eſſe, nec erat poſsibilis talis opinio.

QVÆ-

QVAESTIO. XVI.

An indiuisibile possit alterari.

De quibus indiuisibilibus intelligatur quæstio.

DIfficultas hæc insurgit ex text. 64. vbi Aristot. dicit, indiuisibile esse impassibile, & alterari non posse. Attende autem quòd nō est sermo de indiuisibilibus immaterialibusque substantijs, has enim alterari non posse certum est, loquēdo de hac sensibili alteratione, sed disputatio est de indiuisibilibus habētibus positionem, qualia sunt lineæ, puncta, superficies.

1. arg. Videntur autem huiusmodi indiuisibilia posse alterari. Primò, illud potest alterari, quod est per se susceptiuum qualitatum sensibilium: at huiusmodi, pūta superficies, sunt susceptiuæ per se qualitatum sensibilium, sunt ergo alterabiles: consequentia est nota cū maiori: minor probatur: colores sunt qualilates sensibiles, at hi in corporum superficie solum sunt, quod patet ex Arist. 5. Meta. ca. 17. vbi dicit superficiem, secundum se esse albam, corpus enim albū est per superficiem: & lib. de sensu, ca. 3. dicit, colorem esse in extremitate, idest, superficie. Sunt igitur superficies alterabiles secundum colorem, quod si secundum colorem, etiā erunt secundum primas qualitates, non enim fit alteratio in secundis, nisi per primas.

2. Secundò. Actio & passio secūdum Arist. nō sunt per penetratione agentis in passum, nec per partium agentis ingressum in meatus passi, sed solum secundum tactū: ergo ibi primo erit actio, vbi est tactus, sed tactus duorū corporum nō est nisi in superficie, ergo in ea sola erit actio & passio, sicque alterabitur indiuisibile.

3. Tertiò. Agēs prius, ac magis agit in id, quod sibi est propinquius quam in remotius, sed superficies passi est sibi propinquissima omnium partium passi: ergo in eam prius, ac magis agit, & consequenter ipsa patitur.

4. Quartò. Ex cōmuni dicto Perspectiuorū, q radij incidentes in aliquod punctum, ab eodem puncto se reflectunt, ergo illi radij puta luminis, vel caloris, vel alterius similis qualitatis in pūcto recipiūtur, ergo punctum tale alteratur.

5. Vltimo, pūcta, lineę, superficies, mouentur localiter saltem per accidens ad corporis motū, ergo pari ratione alterabuntur saltem per accidens, recipientque qualitates in se, igitur si separata essent, possent perse alterari, quia partes quātitatiuæ ob id separatę alterantur per se, quia in composito per accidens alterabantur, recipiebātque qualitates: quòd si hoc etiā inerat indiuisibilibus, vtiq; separata possent alterari per se. Hęc sunt argumenta circa quæstionem.

6. arg. contra Arist. Vnum tamen est argumentum aliud contra Arist. quia videtur, quod non concludat contra Democritum: hic enim nō posuit atomos indiuisibiles, vt puncta, sed

tanquã minima corpora naturalia: constat aũt, q huiusmodi indiuisibilia nihil prohibet alterari.

1. Opinio

In hac difficultate duplex est opinio philosophorum, altera est Pauli Venet. in summa ca. 24. qui docet, huiusmodi indiuisibilia habentia positionem nõ posse per se alterari quia per se, & separata nõ sunt capacia qualitatum, at per accidens, vt sunt in ipso cõtinuo corpore, possunt quidem alterari, & de facto alterantur.

2. Opinio.

Altera est opinio Alberti Sax. q. 17. & Marsilij. q. 20. qui nullo modo indiuisibilia posse alterari affirmant, præsertim puncta: rationes huius extra modum prolixè ab ipsis traduntur, sed breuiter, ac dilucidè sunt istæ. Prima est: sequeretur, inquiunt, quòd aliqua qualitas posset esse finita, & infinita simul, quod est impossibile, hoc deducitur, vno supposito, q si punctum aliquo modo calefit, debet aliquem in se recipere calorẽ: tunc detur talis calor, vel est infinitè remissus, vel non, sed finitam habens remissionem: non potest dici quòd sit infinitè remissus, quia sicut nulla est quantitas infinitè parua, nulla que substantia infinitè imperfecta, ita etiam nec vlla qualitas infinitè remissa: quòd si aliquam finitam habet remissionem, ergo tanta, quãta ipsa est, poterit esse in aliquo diuisibili subiecto, vt notum videtur esse: sed si hoc ita esset, sequeretur, quòd esset infinita.

Quod probo, supposito vno, certissimo principio, puta dato aliquo calido vniformi, si calor vniformis medietatis superponeretur alteri, tunc talis pars esset in duplo calidior, & intensior, verbi gratia, sit pedale vniformiter calidũ vt quatuor, si totum calorem vnius medietatis superponeres alteri, resultaret hęc calida, vt octo: & si superponeres tertię parti, esset triplo calidior scilicet vt duodecim: & si quartę in quadruplo, & sic conseqũeter: vnde fit, quòd si in pũcto poneretur, esset infinitus calor qa vinceret quamcũque proportionẽ partiũ, quę proportionaliter procedentes sunt infinitæ.

Suppositũ est in initio.

Ex hoc sumitur argumentũ. Calor iste positus in hoc extẽso subiecto est totus congregatus in pũcto, ergo in puncto infinitus: est ergo finitus, & infinitus simul calor, qđ est impossibile: nullo modo igitur calor est in puncto, nec in indiuisibili aliquo, ob id nec alterari potest: idem quod de calore dico, dicitur de alijs alteratiuis qualitatibus.

Vltima ratio.

2. ratio

Secundũ argumentũ est: quod nullo modo potest agere non põt aliquã in se recipere qualitatẽ alteratiuã: at punctus nõ potest agere, etiã si haberet calorẽ intensissimum, non ergo potest illũ recipere, nec secundũ illũ alterari: probatur minor, si ageret, aut in mediatũ passum, aut in immediatum: nõ in hoc, quia pũctum non potest tãgere punctum.

Quòd

Quòd etiam nō posſit in mediatū, ſic oſtēditur: ſuppoſito, quòd quantum aufertur de agentis extenſione, tāto minus remotè agit: vt ſi tripedale agit per ſtadium, ſi auferatur pedale, in minus aget & ſi magis aufertur adhuc in minus: cum igitur ſit omnis ablatio facta in ipſo puncto, non poterit agere in diſtans vllo modo.

Nota ex Albert. cauſam tur in diſtantius agat. gēs & cur in tēſius ad cālē diſtantiam.

Attende hic vnum, quod docet Albert. nempè extenſionem agētis eſſe cauſam, vt agat in diſtantia, & quo extēſum magis vel minꝰ eſt, eo magis in diſtās magis. l. minꝰ, & in remotū agit at intēſionem eſſe cauſam, vt intenſius agat in diſtans ita, vt ſi ſit pedale calidum agens per ſtadium, ſi diminuas extenſionem ita, vt quantum aufertur extenſionis, addatur in intenſione parti, quæ reſtat, tunc talis aget in minus, & minus ſpatium, ſemper tamē intenſius, quā ante agebat. Hoc reputat probabile Marſilius, quamuis non multum probet.

3. Ratio

Tertium argumentum eſt, quia non contingit calefieri, frigefieri, aut alterari abſq; rarefactione vel condenſatione aliqua, hę autem indiuiſibilibus repugnant, nō igitur alterabilia ſunt.

4.

Quartum argumentum eſt. Si in puncto ſaltem per accidēs ineſt calor aliquis cùm in quolibet continuo ſint infinita puncta, erit profecto in corpore infinito calor infinitus, quod eſt impoſsibile. Hæc ſunt argumenta horum.

1. Coel. linea ſa perficies & pūcta ſi eſſent non poſſent alterari per ſe.

Quid autem mihi in hac parte probabilius apparcat, oſtendam. Sit prima concluſio. Puncta lineę ſuperficies, ſi per ſe eſſent, alterari nō poſſent. Hanc concluſionē mihi perſuadeo, non propter rationes factas, quæ ſolui poſsūt, ſed ob alias rationes, quarū prima eſt ex natura qualitatum ſenſibiliū. Hæ enim per ſe inſunt corpori, ſicut ſimitas naſo: quēadmodū igitur ſimitas nō poteſt alteri ineſſe, quā naſo, ita nec hæ niſi corpori, nō ergo pūctis, lineis, aut ſupficiebus abſtractis poſſunt cōpetere.

Nota. Qualitas ſicut eſſe non pōt ſine aliquo gradu intenſionis ita nec ſine aliquo gradu corpulentiæ & extenſionis.

Vnde nota, quòd ſicut iſtę qualitates non poſſunt conſiſtere abſque aliquo gradu intenſionis, ita nec abſque aliquo gradu corpulētiæ, & magnitudinis, quē niſi corpora habere non poſſunt: ſunt. n. qualitates diuiſibiles, & materiales multo magis ex ſua natura pendentes à corpore, quā forma à materia. Voco corpus trinam dimenſionem vel ſubſtantiam trina præditam dimenſione.

2. Ratio

Secundò, nihil poteſt alterari, niſi ſit in potentia paſsiua qualitatē recipiendi, ſecundum quam eſt alteratio: ſed huiuſmodi indiuiſibilia non habent talem potentiam, cū iſta ſit materiæ, & corporis, ergo alterari non poſſunt per ſe.

3.

Tertiò eſt ſententia Ariſtot. ex preſſa. 6. Phyſi. tex. 87. vbi dicit, indiuiſibilia hæc non ſolum non motu locali, ſed nec ſecundū formam, id eſt, alterationem moueri poſſe & in hoc lib. 1. gen. tex. 79. dicit,

dicit, si non omniquaque est corpus diuisibile, non omniquaq; est passibile, quia qua parte indiuisibile est, pati non potest.

4. Quartò, si linea, punctũ, & superficies possent alterari, cùm alteratio disponat ad formam substantialem, vtique forma substantiæ posset esse in tali indiuisibili, quod est impossibile: non enim nisi in trina dimensione cõsistit forma, sic etiã qualitas, quæ ipsius est comes, & dispositio:

Nota. Nota hic, quòd de corpore, & trina dimensione aliud est dicendũ. Talis enim alterari potest, imò de facto experimur in sanctissimo altaris Sacramento, vbi est quantitas sine panis substantia, quæ alteratur, dum infrigidatur, & calefit, quod non esset, si repugnaret naturæ quantitatis corporeæ.

Secund. Talia indiuisibilia per accidẽs alterantur

Secunda conclusio. Talia indiuisibilia per accidens, vt in corpore sunt, alterari possũt. In hoc mihi placet Paulus Venetus: debes enim recolere, quòd diximus physic. 6. huiusmodi indiuisibilia nõ esse realiter distincta à continuo: nam à parte rei vnicum est corpꝰ continuum punctis, lineis, superficiebus, & partibus cõpositum, & continuatum: intellectus est, qui diuidit ea, quæ tamen actu in re vnum sunt: sicut igitur in corpore intellectus diuidit ista, in corpore quali, puta albo, vel calido, vel aliter affecto potest diuidere. & tũc consurgent indiuisibilia qualia, & cum qualitate: totum ergo alteratur, & in toto continuo recipitur quantitas.

Nota de indiuisibilibus quõ distinguantur à cõtinuo.

Quod patet. Vt enim cum totũ mouetur, omnia ipsius mouentur per accidens, ita etiã cũ alteratur, quia par videtur vtriusque ratio. 1. Ratio

Præterea sequeretur, quòd nõ esset quale cõtinuũ, quod probo, quia si puncta & huiusmodi indiuisibilia non essent, non esset continuum quantum: ergo nisi ista essent qualia, non esset continuum quale. Nec argumenta opposita quicquam concludunt cõtra hoc, si quid probant, potius probãt primam nostram conclusionem: tamen ad ipsa respondetur, qua ex parte sunt contra istam sententiã. 2. Ratio

Ad. ti pro. 2. sententiã

Ad primum oportet negare maxime ipsorum fundamentũ, quod falsum est, ob id argumentum nec primam conclusionem nostrã probat: fundamentum erat, quòd calor vel qualitas alicuius intensionis, quæ erat in puncto vel in aliquo indiuisibili, ponatur in aliquo subiecto extenso, & quanto, hoc autẽ est falsum, & impossibile: sicut enim punctũ vel indiuisibile non potest fieri diuisibile, ita nec qualitas ipsius quantumcunq; intensa, poterit esse illa eadem extẽsa, quia caret extensione.

Confirmatur solutio data.

Vnde cõsideratur qualitatis intensionem esse sicut lineę longitudinem. Vt igitur linea quantumcunque longa non potest superponi corpori lato, & profundo, nec minimę parti adæquatæ, ita etiam de illa qualitate existente, & correspon-

respondente indiuisibili ipsi. Et hoc nota: consistit enim in hoc deceptio in argumento: nõ enim gradus intẽsionis puræ possunt ad aptari extensioni: & per hoc soluitur argumentum primum.

Ad. 2. nota quõ se habet intẽsio & extensio ad actionẽ contra Alber.

Secundum argumentum procedit ex principio falso: Existimat enim Albertus, quòd extensio est causa, vt agens agat in distans, intẽsio verò vt agat intensius: hoc autem profecto experientia ipsa refellit: sit enim pedale calidum vt quatuor aget vsque ad certam distantiam, si fiat vt octo, manente eadem extensione absque dubio in remotius aget.

Præterea est argumentum: sit pedale calidum vt quatuor vniforme agens vsque ad pũctum D. addatur aliud pedale simile, tũc aget vltra D, iuxta ipsius opinionẽ: & hoc, quia plura agentia sunt in D, sed sic est, quòd calor additus in extensione, si addatur eidem pedale in intensione, est melius applicatus ipsi D, ergo profectò aget vltra ipsum.

Quòd autẽ sit melius applicat⁹, patet, quia distat per lineas breuiores, sicut mediũ ꝓpinquius est obiecto puncto quã extrema latera.

Pręterea quia non secundum totam extensionẽ agit agens in obiectum, nisi secũdũ illas partes, quæ intra sphęram suam habent obiectum tale: cum autem non taliter se habent, nec in obiectũ possunt agere, & quantumcunque addatur non agent vltra illud.

Vnde nota, q agere in remotius dupliciter potest intelligi, vno modo secũdum eandem lineam, vt si A, agit in C, per lineam D: & postea agat in E, per eandẽ lineam, quod est agere secundum lõgitudinem maiorem vel minorem, & hoc in tota sphęra vndequaq; : altero modo, agere remotius secundum lineas diuersas tendentes in varia obiecta, quod exemplo explicatur. Sit calidum vnum calefaciens per stadium obiectũ distãs: sit aliud in rectum per duo stadia idem calefaciens, tunc hoc in remotius agit primo modo.

Dupliciter potest intelligi agere in remotius

At sit aliud calidum agens in A, obiectum sibi: sit aliud etiã agens in A, & in B, ad latera distãs, hoc remotius aget. Et vt clarius dicã, quo maior fit extensio, eò actio in remotius procedit versus illas partes spacij, versus quas procedit extensio: tamen versus punctum cõ positum idẽ non semper, imo quo intensius, & actiuius est, hoc modo in remotius agit ob meliorem applicationem.

Non tũ negare oportet, quòd si per impossibile saltem daretur calor in puncto, ille ageret, quia virtus intensiua fortis in aliquam extensionem agere potest, sicut virtus incorporea potest agere in corpus.

Si per impossibile calor esset in pũcto, tunc ageret.

Tertium argumẽtum facile soluitur, illud enim inest his quæ alterantur per se: similiter etiam & quartum: non enim sunt puncta actu à continuo distincta, sed potentia:

Ad 3. & 4.

tentia: vt igitur in partibus continui secundum ipsum Alber. sunt gradus caloris, non tamen ob id actu est infinitus calor, quauis infinitę sint partes, ita etiã de indiuisibilibus dicere oportet, quãuis nõ eodem modo sit calor in parte, & in indiuisibili: in hoc enim nõ est secundum extensionem, seu profunditatem: in parte verò sic.

Obiectio. Dices, si in indiuisibili existens calor, in puncto, vel linea non habet profunditatem: ergo potest dari calor non in profunditate.

Respõsio. Respondeo, & nota, quòd nõ valet consequentia, quia sicut in minimo naturali carnis potest signari minor, & minor particula, non tamen quæ possit per se subsistere, ita etiam potest in superficie, vel indiuisibili corporis qualis signari, & esse qualitas indiuisibilis secundum profundum, nõ actu, sed potentia: est enim actualiter continuata cũ reliqua albedine, vel qualitate, sicut indiuisibile ipsum cũ ipsa quantitate.

Ex his igitur patet respõsio ad quæstionem: non enim indiuisibilia per se alterantur, nec si separata essent, possent alterari, per accidens tamen in corpore alterantur ad ipsius alterationem.

Ad. 1. in princ. q. Ad primum igitur argumentum respondetur, q̃ colores non sunt in sola superficie vltima, sed semper in corpore vel aliqua corporis parte: vnde albedo faciei est in partibus corporeis, & non in sola superficie, vt apparet: nam etiam si sit dealbatio tenuissima, si leuiter radantur, particulæ sunt albę.

Ad Aristotelem dico, q̃ loquitur de coloribus, nõ vt sunt in subiecto, sed vt sunt visibiles, sic. n. in sola sunt superficie, quia in superficie apparent in corporibus densis, & opacis. *Ad tert. arg.*

Ad secundum dico, quòd licet tactus sit in superficie, actio tñ & passio est in corpore, quia tact⁹ nõ est ipsa passio, nec actio, sed cõditio necessaria. *Ad 2.*

Aduerte autem, quòd illa superficies dupliciter cõsideratur: vno modo tantum, vt superficies est alterò modo, vt terminus est corporis: tactus igitur, qui inducit passionem, est superficiei, vt est terminus corporis, ob id in corpore est passio: quia superficies non sunt, quæ se tangunt, sed corpora secundum superficies. *Nota superficiem dupliciter considerari.*

Ad tertiũ dico, quòd agens agit magis in sibi propinquius, dum tamen sit susceptiuum passionis, sola autem superficies non est passionis susceptiua, sed corpus, vel corporis pars, ob id superficies nõ alteratur. *Ad. 3*

Ad quartum attende, quòd naturaliter nunquam procedit lumẽ, vel qualitas alia ab agente per radios, qui sint vt lineæ sed agens v. g. illuminat corpus A, illuminando mediũ, & A, illuminatum iterũ aliud corpus, puta B, illuminat lumen hoc extensum est in medio, & in A, & postea in B. *Ad. 4 Nota quõ procedat lumen, et alia qualitas ab agente.*

At perspectiui more Mathema-

ticę

tico non sumunt totam latitudinem, sed solum lineam rectam indiuisibilem in latitudine, & lumens illius, quod tantum intensionem habet absque extensione, & istud imaginantur cadere supra punctum A. & ab ipso resilire, quia vere aliud lumen producitur ab A. in B.

Vnde verè isti radij sunt, sed nō sunt ita separati actu, & sic concedo recipi in puncto, sednō per se, nisi vt in continuo est, & lumen etiam continuum est, & partes habens actu extensas. Hoc argumentum concludit contra Albertum, & Marsilium.

Ad quintum nego consequentiam vltimam, quamuis enim indiuisibilia recipiant qualitatem in continuo, non tamen colligitur, quòd per se reciperent, si essent separata, non enim est simile de partibus: nam in partibus recipitur cum extensione, quæ est necessaria omni qualitati sensibili, at in indiuisibilibus non habet extensionem, ob id in illis per se esse nō potest, nisi in continuo existentibus: imò in aliqua particula recipitur, dum est in continuo in qua non reciperetur, si esset per se, vt si esset minor minima, dātur enim minima in accidentibus, vt alibi ostensum est.

Ad sextum dico, quòd ibi Aristot. non dicit indiuisibile illud non posse moueri, quia est indiuisibile, sed quia non habet porum, qui secundum illos Philosophos erat necessarius ad passionem: argumentum ergo est ex suppositione opinionis Antiquorum.

At in textu. 79. videtur dicere quod non sit absolutè passibile, nec faciat continuū, quod de puro indiuisibili videtur intelligendum.

Dico, quòd sequitur contra Platonē, qui posuit superficies: quòd si velis, vt etiam sit contra Democritum: tunc dicas, quod Democritus quamuis posuerit corpus minimum, tamen quia dixit esse prorsus indiuisibile, & simplex, teneretur fateri esse sicut punctū, & sic esset inalterabile.

Non dubium tamen est, quòd si esset minimum, quale nos dicimus naturale, esset vtique alterabile, & passibile, vt dictum est iā lib. 1. Phisi. & sic patet solutio argumentorum.

At circa solutionem tertij argumenti explicanda est propositio communis, & vulgata in philosophia, nempe naturale agens agit per sphæram à summo gradu, vsque ad non gradum vniformiter difformiter: philosophi enim experientes, vnūquodque agens pro sua virtute per spacium aliquod circunstans agere, suamque diffundere virtutem, & quo virtuosius est agens, eò magis se diffundere, ac in amplius spacium suam actionem extendere, semper tamen finitè, & cum limite, attribuerunt varijs agentibus pro actiuitatū varietate varia spacia, maiora,

Obiectio.

Solutio.

Nota.

Nota de sphæra activitatis quo sit æqualis.

Quare terminus activitatis sit sphæricus.

maiora, vel minora, intra quæ possunt agere, non autem extra, talia que spacia vocauerunt sphęras actiuitatum agentium, quia agentia non impedita, vndique ac circulariter agunt.

Quare sit differentia sphæræ actiuitatis.

Experientes rursus quod in toto hoc spacio non æquè fortiter agens agit, sed in partes distantiores debilius, in propinquiores fortius, dixerunt, quòd per totã sphæram difformiter agit. quia nõ reperitur ęqualis gradus in omnibus partibus spacij, & sphęræ.

Quare vniformiter differentia.

Rursus considerantes rationẽ, & speculantes, quantum diminuãtur partes sphęræ in virtute recepta ab agente, dixerunt, ꝙ in qua proportione pars distat ab agente, in eadẽ minuitur virtus, vt v.g. sit A, agens calidum vt octo, agens per stadium, tunc in prima parte sit. v.g. calor vt sex, in secunda esset vt sex, ablata quarta parte, & in tertia, ꝙ supereſt, ablata etiam illius quarta, & sic consequenter: & quia in eadem decrescit proportione, dixerunt, quòd agit vniformiter difformiter: vniformiter propter similem proportionem in decremento, difformiter propter graduum inæqualitatem.

Quãdo incipiat in medio esse actus. Eligitur in sphęra.

Rursus considerantes, quòd in medio dum est actio, nunquã est tantus calor, quantus in ipso agente, protulerunt, quod actio incipit à summo gradu intrinsecè, & iste gradus dicitur summus eorũ, qui in medio sunt, solumque est in agente.

Quãdo terminatur versus finem.

Versus finem tamen terminatur extrinsecè, vt detur terminus ad quem, non attingat virtus, & citra illum virtus agens attingat, quod vocant, minimum quod non, quia si intrinsecè terminaretur per maximum, quòd sic, esset verum dicere, hic est calor, & vltra nõ est, hoc autem est falsum, quia calor quicunque est diuisibilis, & difformiter vniformiter agens, & sic vltra est: terminus ergo sumendus est ab extrinseco, vt diximꝰ. 1. Phy si. in quæstione de maximo & minimo. Sic igitur est intelligenda propositio ista receptissima. Et hæc sint satis circa præsentem difficultatem.

DE MIXTIONE.

CAPVT DECIMVM.

Reliquum autem est considerare.

Tex. 82.

POstquam de tactu, de actione & passione dixit, nunc de mixtione tractat: hæc enim tria proposuit superius, tex. 43. tractanda ante elementorum generationem. eadem via autem se de mixtione tractaturum dicit, qua de actione egit. Similes enim quæstiones discutit.

Quinque sunt tractanda de mixtione.

De mixtione autẽ quinque proponit, quæ determinari oportet: primũ est, an mixtio sit: alterum, quid mixtio sit: tertium, quid sit miscibile: quartum, quæ misceantur: quintum quomodo mixtio fit: ab ipsa aũt prima incipit, quam

vltimo

vltimo loco posuit, vt commodius absque repetitione ab ipsa incipe ret disputare, vt notum est.

Impossibile enim est alterũ alteri mixtum esse.

An sit mixtio. Primò probatur non esse mixtionẽ

Probat, mixtionem non esse, argumento quo aliqui nitebãtur, ipsam auferre, vt ex solutione ipsam esse compertum euadat.

Argumẽtum est. Quę enim miscentur, vel existũt, sicut ante, quãdo non erant mixta, & tunc nõ videtur esse mixtio, cũ nõ sint mixta, sed eodem modo se habentia, vel vnum est corruptum, & alterũ non, & tunc adhuc nõ est mixtio, quia quæ miscentur, debent eodẽ se modo habere vnum sicut alterum, vel vtrunque est corruptum, & tunc etiam non est mixtio, quia quę non sunt, non sunt mixta: nõ igitur relinquitur modus, quo mixtio esse dicatur: apparet ergo, quòd mixtio non sit, nec esse possit.

Hic igitur sermo videtur quærere.

Tex. 83.

Solutio pendet ex differẽtia mixtionis à generatione.

Arist. soluere nitens argumentũ dicit, q eius solutio pendet ex determinatione huius, puta, in quo differat mixtio à generatione, & miscibile à generabili: nam argumẽtum videtur reducere mixtionem, vt à generatione non differat, ad si mixtio est, re vera debet à generatione ipsa differre. Hac igitur differentia declarata, dubitatio proposita soluetur.

At verò nec materiam igni mixtum esse dicimus.

Mixtionẽm ab omnibus secernit alijs mutationibus, & primum à generatione, & corruptione: dicit q; cùm lignum in ignem cõuertitur, & ardet, non dicitur misceri cum igne, nec ignis cum ligno, sed ignis dicitur generari, lignum corrumpi. Nec similiter totũ cũ suis partibus dicitur misceri. Non igitur generatio, aut corruptio mixtio est: huius postea reddit rationem. *Mixtiõ est generatio.*

Subdit statim, q quia causa mixtio, generatio vel corruptio non est, eadem nec est nutritio, nec augmẽtatio, quia nutritio quędã est generatio, similiter augmentatio, vtrobiq; etiam corruptio sit. *Mixtio non est nutritio, neque augmẽtatio*

Postea eam ab alteratione secernit, tam ab impropria, vt cùm aliquid recipit figuram, quàm à propria, vt cùm aliquid calefit, vel dealbatur: non enim accidens, & passio cum subiecto misceri dicitur, quia quæ miscentur, debent aliter se habere, & mutari, nec eodẽ se modo habere, sicut erãt ante mixtionẽ: at nõ sic se habent subiectũ & accidens. Vtrunque enim integrum manet. *Nec est alteratio*

Atqui nec album & disciplinam.

Ostendit etiam, quod cùm duo accidentia vni copulantur subiecto, non dicuntur misceri, vt albedo cum disciplina, seu flauum cum dulci, vel calor cum nigredine: cuius rationẽ subdit, quia quę miscentur, debent per se posse separata existere, at nullũ accidens põt esse per se, ipsorũ ergo nõ est mix- *Accidentia in eodem subiecto non miscentur*

mixtio, nisi substantiarum, & ratione harum fit in accidentibus.

Reprehensio Anaxag. Ex quo reprehendit Anaxagoram, qui dicit omnia fuisse mixta in chao, tam substantias, quàm accidentia: hoc autem falsum est: id enim tãtũ est miscibile, quod per se potest esse, hoc autẽ solius est substantiæ.

Quoniam autem sunt entium illa quidem. Tex. 84.

Distinctio miscibilia aliquo modo manẽt non actu sed potẽtia. Nũc quęstionem determinat, distinctione suppositа, d istinctio est: entium, aliud est actu, aliud potentia: miscibilia autem sunt aliquo modo in mixtione, aliquo modo non: nõ sunt quidem actu, quia ex multis miscibilibus vnum aliud actu existens resultat, & sic nõ sunt actu, quæ erãt: sed tñ sunt potentia, vnumquodq; id q̃ erat, nec omnino sunt deperdita.

Quomodo differat mixtio à generatione. Et sic differt mixtio à generatione. In hac enim quod erat non manet. Differt etiam miscibile à corruptibili, & generabili, corruptibile enim non manet, generabile nõ erat, at miscibile aliquo modo manet, scilicet potentia, erat autem actu.

Sol. arg. primi ex Era mixtionem. Et sic soluitur argumẽtum, quia superest hoc quartum membrum, nempè aliquo modo esse, aliquo modo non.

Dubium. Dices, quid intelligit per esse in potentia, & esse actu.

Responsio Dico, quod in hoc consistit grauissima difficultas de modo, quo elementa maneant in mixto, quisque enim pro sua sententia exponit: sunt duæ opiniones potissimę, altera est Philop. quam medici sequuntur: vt per esse actu intelligatur res existens in sua perfectione, & in suo vigore toto: per esse in potentia intelligatur esse imperfectum, & temperatum: iuxta hoc elementa extra mixtũ sunt in sua perfecta substantia, & integro robore, at in mixto sunt diminuta, & temperata formaliter tamen, & secũdum suas formas substantiales. 1. Exp.

Altera est expositio multorum Latinorum, per esse actu intelligi esse secundum formam suam substantialem: & sic non manent elementa in mixto: per esse verò potentia, esse secundum suas virtutes, & qualitates: & sic esse in ipso mixto: Quid tamen ex hoc sit eligendum determinabitur postea in quæstionibus. 2. Exp.

Videtur enim ea, quæ miscentur prius ex separatis.

Quomodo miscibilia antea sunt actu & postea potẽtia Explicat Arist. quomodo actu fuisse miscibilia dicãtur, quomodo verò potentia: dicitq; actu fuerunt eò q̃ per se separata erant, & per se existentia: dicuntur autem potentia, quia rursus postquã conuenerunt separari possunt.

1. Exp. Explicat Philop. quod possunt separari miscibilia, quæ aliquando separantur, & redeunt ad pristinum gradum, vt cum arte extrahitur aqua, vino infuso, aut si nunquam extrahantur, quantum est ex se possunt à mixto secerni, quod si non secernuntur, non ipsorum

forum, sed fœcerementis defectu id fit.

2. Expo. At verò qui dicunt non manere elementa nisi secundùm virtutes, dicũt posse separari, quia ex mixto rursus elementa generari possunt, quę in virtute cõtinebantur in mixto.

Concludit, quo modo actu non maneant, sed virtute & potentia: & hic textus fauet huic secundæ expositioni.

Postea addit Arist. quod hęc relinquantur, id est, his relictis, & determinatis, ad aliam transeamus quæstionem, quam sequenti text. determinar. incipit.

Annexam autem hu dubitationem.

Tex. 85

Qualiter fit mixtio seu quomodo. Dubium an sit ita ad sensũ, quid que sit esse tantũ ad sensũ

Cum mixtionẽ esse ab alijs mutationibus distinctam determinauerit, atque ideo eam esse: nũc determinandum dicit, qualiter sit, & quomodo: dubium autem proponit, an mixtio sit ad sensum tantũ, id est, solum quantum ad sensuum apparentiam, vel non solùm quantum ad sensum, tunc autem dicetur quoad sensum, si diuidantur miscibilia in tam minimas particulas vt visu sint imperceptibiles, & postea simul coniungantur: tunc enim erit mixtio ad solũ sensum, quia sensus non dijudicabit partem vllam, sed totum simul coniunctum.

Exẽplum Quod explicat exemplo: vt si particulę hordei & frumẽti simul iungantur, ita vt quælibet vnius sit iuxta quamlibet alterius, tunc talis dicetur mixtio ad sensum.

Quid sit mixtionẽ tantũ ad sensum. Tunc autem dicetur mixtio nõ solum ad sensum, si miscibilia nõ solùm in minimas particulas visui imperceptibiles diuidantur: sed etiam absolute secundum quantilibet sui partem, & quodque sit iuxta quodque, secundum omnes sui partes: quæritur igitur, vtro horũ modo mixtio fiat, an potius neutro.

Discrimẽ inter modum priorem, & posteriorem. Ponit discrimen inter modum priorem, dicẽs, quod si omne corpus est diuisibile quantumcunq; paruum, tunc non solùm erit mixtio secundum partes sensu inuisibiles, sed etiam secundum minores, & secundum omnes partes: & iste est secundus modus.

Nota Nota, quòd exẽplum de hordeo est pro modo priori, quãuis sit cõiunctum cum posteriori, vt benè aduertit Philop.

Quoniam autem non est in minima diuisum esse. Tex. 86.

Impugnatur primus modus mixtionis Modum priorem mixtionis impugnat quadrupliciter, vt arbitror: primò quia non contingit in minimas partes diuisionem fieri, ac si dicat, non semper in mixtione fit diuisio in minima.

Secundò dato quod esset diuisio in minima, tunc illa non esset mixtio, sed compositio, quę longè alia est a mixtione: non enim composita dicuntur mixta, nec temperata.

Tertiò, quia tunc mixtum non esset simulare, & homogeneũ, non enim pars quælibet mixti esset

mixta, cũ illa minima mixta non sint: at mixtum similare esse debet, vt sicut quælibet pars aquę est aqua, ita & quælibet sit mixta.

4 Quartò, quia nihil esset simpliciter mixtũ, sed respectu vnius sic, respectu alterius nõ: esset.n. mixtum illi, qui ob debilitatem visus nõ potest discernere singula minima: ac potenti discernere, & habẽti bonum visum, vt Linceus, non esset mixtum: hoc autem maximè absurdum est: non ergo mixtio sic fit.

Reiicit etiam secundus modus.

Posteriorẽ modum etiã reijcit, quia impossibile est cõtinuum diuisum esse in quãlibet suipartem, & sic non potest secundum quãlibet partem vnum alteri applicari: cùm igitur neutro horum modorum contingat mixtio, quærendus alius est modus præter hos, cùm mixtio verè sit.

Sunt itaque vt dicebamus entium hæc quidem. Tex. 87.

Nunc quid mixtio sit secundum propriam exponit sententiam: explicat tamen prius, quæ sint miscibilia inter se. Dicit primò, quod quędam sunt actiua, quędam passiua, vt notum est: hęc autem non omnia sunt miscibilia: sed quę mutuo sunt actiua, & passiua, qualia ea, quæ materiam habent eiusdem rationis: quæ enim materiã diuersam sortiuntur, agunt quidẽ, & patiuntur, sed non mutuo, vt superius diximus: hęc autem talia non sunt miscibilia.

Vt v.g. sanitas, & medicatiua ars non miscentur in corpore: nõ enim sanitas agit in medicinam, ideo nec sanitatem medicina facit miscendo se cum illa: nec similiter ipsa sanitas medicinam: idem dicitur de substantijs non in materia conuenientibus, nec mutuo agentibus.

Miscibilia debẽt esse circa in materia, & differre in forma & esse actiua mutuo & passiua.

Est ergo primum dogma, miscibilia esse mutuo actiua, atque passiua, qualia sunt quæ in materia communicant, forma verò differunt.

Actiuorum autem, & passiuorum. Text. 88.

Alterum dogma ponit circa miscibilia, puta non quæcunque materiam habẽt eiusdem rationis, & mutuo agunt esse miscibilia, sed quæ facile diuisibilia sunt scilicet humiditatem habent: non enim lapis ferro miscetur, nec quæ dura sunt, nisi ad mollẽ trahantur priùs naturam,

Miscibilia debẽt esse facile diuisibilia

Tertium dogma ponit simul, adhuc enim facile diuisibilia nõ omnia miscibilia, possunt ita mixtionem facere: cùm enim ita coniunguntur, vt vnum multum excedat alterum, quia plures ac maiores partes vnius copulantur cum paucioribus, & minoribus partibus alterius, tunc non est mixtio, sed potius corruptio minoris, & maioris augmentum quoddam: vt si gutta vini infundatur dolio aquæ, tunc non dicitur miscerì, quia vinum prorsus corrumpitur, & fit aqua, aqua autem crescit, & dominatur, non sic autẽ debent se habere miscibilia

Miscibilia nõ debent multũ se excedere.

cibilia, cum maneant vtraque potentia, vt dictum est.

Quando autem potentia adæquãtur. Tex. 89.

Quando & quo fiat mixtio. Complet dogma propositũ scilicet miscibilia esse, mixtionẽque fieri cum ferè æqua, & paria sunt potentijs & virtutibus: Tũc enim vnũquodque cadit à sua natura, & robore, & conuertitur in vnũ dominans: non enim vnum in alterum mutatur, sed in vnum tertium commune medium: vnde concludit, miscibilia esse quæ contraria sunt, mutuo enim actiua, & passiua sunt, suntque facile diuisibilia.

Nota. Nota quod dicit, quodãmodo æquari, quia quamuis sit excessus aliquis vnius, nihil refert, dũ non sit tantus, vt ad se trahat prorsus alterũ: imò forsan est necessarius excessus in aliquo, vt postea disputabitur in libro secundo.

Et parua quoque secus parua posita.

Quid sit facilius miscibile. Quid miscibile, sit, explicuit, nunc quid facilius miscibile sit, ostendit: dicit autẽ, quæ in minores particulas diuiduntur, facilius miscibilia sunt, quã quæ in maiores, nã pruũ citius, & facilius mutatur; quẽ magnũ. Ex quo infert, q quæ facilè terminabilia sunt, maximè inter alia sunt miscibilia, quia facilio diuidi possũt. hoc enim est esse, & ratio facile terminabilis entis vt sit diuisibile, ac ob id melius miscibile. hoc autẽ facile terminabile dicit esse humidũ: humidum enim facile ducitur ad figuram alterius, facileq; diuisibile est, ob id bene miscibile.

Sed non quodcũque humidũ, *Nota.* nam viscosum, & vnctuosum, quale est oleum pinguedo, & similia, difficile miscentur, potius alijs iniectis eleuantur, ac in maiorem videntur se attolere molem: vt patet, cum aqua oleo infunditur: de hoc dicemus post.

Dubitat hic Philop. nã eadem est proportio magni ad magnum, quæ est parui ad paruum: non ergo facilius mutatur paruum à paruo, quàm magnum à magno: vt Arist. videtur dicere. *Dubium Philop.*

Respon. Philop. & bene, quòd parua facilius agunt, & patiuntur in parua actione tendente in mixtionem, sed non actione tendente ad corruptionem, & cõuersionem alterius ad se: & sic æqua est proportio de operatione, qua vnũ alterum corrumpit, sed nõ de actione mixtionis, quia cum partes etiã misceri debeãt, facilior fit mixtio, quo plures sunt partes agẽtes, quò autem sunt plures, eò sunt minores, ac paruæ magis *Solutio.*

Quando autem alterum solum passiuum erit.

Quando difficilius fiat mixtio, seu quæ difficilius misceãtur. Explicat oppositum, puta quando difficilius mixtio fit, dicitque cum vnum miscibile est passiuũ tantum aut saltem multum passiuum, alterum autem parum passiuum, minimamque habens resistentiam, tunc autem non consurgit mixtum ex vtroque, aut si consurgit, debile est, & paruum

habens minimum mixti, eo quòd fere totum est vnũ extremum miscibile, vt æs, & stannum: æs enim multum resistit, stannum autẽ parum, facileq; resolubile est, ob id nõ fit perfecta mixtio, sed resultat quoddã imperfectũ mixtũ, quod magis est æs, quod fit in campanis, in quibus stanneũ infusum æri nõ multum miscetur ob facilem resolutionem: est enim æreum.

Quædam enim balbutiunt adinuicem. Text. 90.

Qualia sint mixta ex his quæ difficilius miscẽtur

Qualiter ista mixta se habeant docet. Dicit enim, esse balbutientia, & ambiguæ naturæ, vt enim balbus dictionem proferens, quasdam literas exprimit, quasdam leuiter percutit ita, vt dictio fere ambigua sit, nec sit plenè ea, quæ esset si perfectè proferretur: ita de his entibus.

Vlterius comparat, dicitque, q vnum videtur habere locum materiæ, vt æs, alterum formæ, vt stannum, quia non videtur miscericum ære, sed solum colorem quendam imprimere, quod fit ex mixtione imperfecta, secundum quã parum substãtię relinquit in ære reliquum euaporatur.

Manifestum est igitur ex his, quæ dicta sunt.

Epilogus

Epilogum corũ, quę dicta sunt facit: dicit igitur, ostensum esse mixtionem esse, & quid, propter quod quę mixtio sit; & quæ entia sint miscibilia: sunt enim, quę inuicem passibilia, & actiua facileque diuisibilia sunt: Dictũ etiam

Definitio mixtionis

est quomodo fiat mixtio: non enim vnum in alterum, aut vtrumque corrumpitur, nec est ad sensum mixtio, sed potentia mixta manent, non actu, & simpliciter: similiter dictum est quid sit miscibile, est enim quod facile diuisibile est, mutuoque actiuum & passiuum, & alteri simili miscibile est: est enim miscibile ad equiuocum id est, ad æquale, vtriusque enim par ratio est.

Cum autem definitionem mixtionis non posuisset distinctè, nũc ipsam vltimo ponit, puta: Mixtio est miscibilium alteratorum vnio. Vocat miscibilia alterata, quia nõ maneant actu sicut ante mixtionẽ erant; ac prorsus sunt corrupta, cũ maneant in potentia, & in virtute. Atq; hæc docet Arist. de mixtione, quæ oportet, vt magis discutiantur.

QVAESTIO. XVII.

An elementa maneant formaliter in mixto.

DIfficilis est admodum materia hæc de mixtione ob varietatem opinionum, & ipsarum probabilitatem. Vt autem ordine procedamus, primum quæritur de miscibilibus, quomodo in mixto maneant.

Quis sit sensus quæstionis

Attende autem quod sensus quæstionis est communis, & generalis, postea enim in particulari adhuc discutiendus est: sensus igitur est: cum miscibilia sint substãtiæ compositæ habentes formam,

& materiam, quęritur, cũ miſcentur, in mixto q; ſint, an reſeruẽt totam ſubſtantiam, nempe materiã, & formam, an non, ſed materiam tantum, ita, vt nihil ex miſcibilis ſubſtantia ſit, niſi materia: dicere enim, quod illorũ formę maneãt, etiam eſt dicere, quod formaliter manent.

Arist. obscurè loquitur de mixtione

Ariſtoteles autem non videtur hoc clarè determinaſſe: nam hoc libro textu 74. & 3. cæli. text. 32. dicit, quod actu non manent, ſed potentia, quę verba varios habẽt ſenſus.

1 op. Philop. Alb. & Auer.

Sunt ergo in difficultate iſta duæ opiniones extremæ: Altera eſt, q elementa maneant in mixto, non ſolum ſecundum materiam ipſorum, ſed etiam ſecundum ꝓprias formas. Hoc ſequitur Auerroes in præſenti com. 90. & 3. cæli cõ. 67. idem etiam Auicen. vt citat in his locis Auerroes: ſimiliter Philop. ſupra tex. 74. & Albert' Magnus tract. 6. cap. 5. idem Alber. 3. cæli. tract. 2. c. 1. & 8. Iandunus. 6. Phyſ. q. 4. & alij multi. Rationes pro iſta ſententia poſſunt multæ formari.

Primũ argumẽtum Arist. primus teſtimo.

Prima eſt ab autoritate. Vt autẽ hoc late examinemus, non erit inutile, aliquot loca Ariſ. inquirere: dicit igitur 1. Gene. tex. 84. quod miſcibilia non corrumpuntur in mixto: ergo manent ſecundũ formas: dicit etiam, quod ſunt ſeparabilia à mixto, colligitur ergo q̃ibi ſunt ſecũdum formas, alias nõ extraherentur.

Prętera eſt ſecundum teſtimonium. 1. gene. tex. 88. dicit. guttam vini nõ miſceri multæ aquæ, quia ſoluitur forma vini, ergo, vt miſceatur, non debet ſolui, & corrumpi forma.

Tertiò, eodem 1. gene. tex. 90. mixtio, inquit, eſt miſcibilium alteratorum vnio, colligitur, ſi miſcibilia in mixto tantũ alterata ſunt, ergo non ſunt corrupta: quod enim alteratum eſt, non corruptum eſt, ſed exiſtit.

Prętera quarto, ex lib. 4. Meteor. tex. 54. cap. vltimo in principio, vbi dicit, opera naturę, ſcilicet mixta componi ex elementis, vt ex materia, ex ratione, vt ex ſubſtãtia, & forma: ex hoc ſic colligo: forma & materia manent ſecundũ ſubſtantiam in compoſito, ergo etiam elementa in mixto.

Prętera quinto in 1. gen. animalium. c. 2. & 12. Metaph. text. 15. dicit, quod totius viuentis materia ſunt partes diſsimilares, diſsimilarium autem materia ſunt partes ſimilares, ſimilarium autem elementa: colligẽ: ſed diſsimilares ſunt actu in tõto, & ſimilares in diſsimilaribus, ergo etiam erunt elemẽta actu, & ſecundum ſubſtantiã propriam in ſimilaribus.

Præterea ſexto dicit 2. animæ, tex. 39. quod niſi eſſet anima in animali, elemẽta diſſoluerentur, & vnũquodq; diſcederet: quod ſi nõ eſſent formaliter, profectò non eſſet iſta bona conſequentia: nam quod non eſt, non diſſoluitur.

Præterea ſeptimo ex eodē. 2. de Anima, tex. 52. dubitat, quare ſenſus non ſentiant elementa ex quibus conſtat. Reſpon. quod non eſt medium inter ſenſum: & talia elementa, ſupponit igitur elementa ibi formaliter eſſe. 7

Præterea octauo. 1. gen. animalium, cap. 18. dicit contrà aliquos dicentes, ſemen animalis decidi ab omnibus partibus animalis: dicit contra hos Ariſtot. ſequeretur, quod etiam ab elementis decideretur, ex quibus eſt animal: hęc ratio nil valeret, niſi eſſent ibi formaliter. 8

Præterea nono, in libro. 2. cæli, tex. 22. & lib. 3. tex. 68. ꝓbat qđ elementa non habeant figurā, quia aliter non facerent quodcunque mixtum, quia deberent ſeruare in mixto ſuam figuram, notum eſt, quod ratio non valeret, niſi eſſent formaliter elementa in mixto. 9

Noſ. teſt. Deniq; multa ſunt in Ariſt. præcipuè in 4 Meteor. quæ vix poſſunt explicari, niſi ſuppoſito hoc, quod ſint in mixto formaliter elementa. Ex omnibus igitur his locis ſumitur argumentum primum quod eſt ab autoritate.

2. arg. ratione à definitione elementi. Sit ſecundum argumētum ex definitione elementi. 5. Meta. cap. 3 elementum, inquit, eſt, ex quo, cū inſit, fit aliquid, indiuiſibile ſecūdum ſpeciem: elemētum ergo manere debet in re, cuius eſt elemētum, at iſta ſimplicia corpora dicuntur elementa mixtorum: debent igitur ſecundum ſe ipſa manere in mixtis: aliter enim non ipſa, ſed ipſorum materiæ eſſent elementa.

3. Arg. Tertium: vbi eſt paſsio alicuius ſubiecti, ibi eſt & ipſum ſubiectū formaliter vt notū eſt; at qualitates primę ſunt paſsiones quatuor elementorū, vbi igitur ipſæ ſunt, etiam erunt elementa: at in mixtis ſunt tales qualitates, ergo etiā formaliter elementa.

4. Arg. Quartò. Mixtū eſt cōpoſitū ex elementis, quę ſunt ſubſtantię ſimpliciores, ergo manent formaliter elementa. probatur conſequentia, ſi enim nō ſunt formaliter, ſequitur, quod forma ſubſtantialis mixti immediatè vnitur cum materia prima mixti, ſic autem tā ſimplex ſubſtantia eſſet, ſicut elemētum: nam accidentia non faciunt cōpoſitorem ſubſtantiam.

5 Quintò. Materia habet ordinē mediatum ad formas mixtorum: primo enim reſpicit elementorū formas, ergo ipſa manent in mixto, aliter mixti forma immediatè eſſet materiæ. Conſequentia eſt nota, ſed antecedens probatur: ſi enim non haberet ordinem mediatum materia ad mixtorum formas, ſequeretur, quod elementa non eſſent cauſę per ſe, & neceſſarię mixtorū, quod aperte eſt contra Ariſt. Sequela patet, nam ex ſe materia ita immediatè poteſt recipere formā mixti, ſicut & elemēti, oportet ergo fateri ſi elementa habent ordinem eſsentialem ad mixtū, quod maneant ſecundum

formas

formas in mixto,nec forma mixti posit inesse materię , nisi per elementorum formas.

6. Sexto. Mixtum mouetur non motu proprio,sed elementi in ipso prędominantis,vt dicit Arist. 1.cæli tex.7.ergo elementum, in ipso formaliter manet:aliter enim quomodo posset mouere?

Cõfirmatur.quia quædã mixta dicuntur aerea,quędam terrea,& aquea,quòd nõ esset,nisi talia elementa ibi formaliter essent.

Confirmatur etiam,quia in quibusdam manent elementorũ qualitates ferè ita intensæ,vt in lapidibus siccitas,& frigiditas:est ergo in his terra formaliter vel elementum,cuius qualitates illæ sunt.

7. Septimo in putrefactione manent cineres,& partes terrę:ergo verè ante erat ibi terra. Cũ enim calor putrefaciens resoluit humidum,quod continuat ipsas partes, videtur supereſſe terrę partes discontinuatæ.& sic cineres sunt, sicut fit in humida terra, postquam exsiccata est.

8. Octauo,quia posset viuens simplici elemẽto nutriri,quod falsum est. Sequela probatur,quia in viuente non cõsistit,nisi materia ex elemento, si non formaliter manet:ex quo autem viuens est, ex eodem nutritur. His igitur rationibus innititur hęc opinio.

2.opi. D. Th. Ae gi. Ori. Altera opinio est in opposito extremo,existimat enim quod elementorum formæ nullatenus in mixto manent,sed ipsorum materiæ:nihil igitur substantiæ miscibilis manet,nisi materia. Hoc tenet S. Tho.hoc loco supra tex.84.& Scotus,Capreolus,Gregorius,Herueus,omnes hi.2.sen.d.15.q.1.idẽ Conciliator differentia.16.Marsilius.q.22.Albertus Saxo.q.19.et Aegidius,&alij.Rationes pro hac sententia hæ possunt esse.

Prima sit ab autoritate Aristot. 1.Gene.tex.84.in fine explicans, quomodo maneant elementa dicit, quod dicuntur manere, quia virtutes eorum manent. 1.arg. à Iustino. Primum testi.

Præterea est locus notandus 2. de par .ca.1.in principio,enarrans tres viuentis compositiones,dicit, primam esse ex elementis,& corrigens hoc ,dixit,potius ex virtutibus elementorũ,quas postea numerat esse quatuor qualitates. 2.

Secundũ argumentũ,est,si elementa manerent in mixto formaliter,sequeretur,quod generationis subiectũ esset non materia prima,sed ens actu:At hoc falsũ est. tũc enim quod generaretur ,esset accidẽs,quod aduenit enti in actu. 2.Argu. Sequela probatur,quia cum mixtio fit , est generatio ipsius secundum formam substantialem mixti,at ista non fit, nisi ex subiectis elementis,quę sunt actu entia.

Tertiò sequitur,quod esset corruptio substantiæ,& non esset resolutio in materiam primam , sed in ens actu,quod est contra Aristot.hoc libro,tex.21.Probatur sequela,quia si mixtum ex elementis actu constat , ergo in ipsa actu 3.

resoluitur, & sic mixti corruptio per se fiat ad elementa actu, & nō ad materiam primam.

4. Quarto, si mixta habent formaliter elementa, sequitur quod corrumperentur à contrario elemento, hoc autem videtur falsum: nam pisces in aqua non destruuntur, ergo non habent formaliter ignē: aliter enim ignis ab agua posset extingui.

5. Quinto, (& hoc sancti Thomę) sequitur, quod vel non esset vera mixtio vel duo corpora se penetrarent, quorum vtrumque impossibile est. Probatur sequela: sumo particulam vnius elemēti in mixto: peto, vel in illius materia sunt formæ aliorum etiam elementorum, vel non: si dicas, quod non, iam nō erit mixtio nisi ad sensum contra Arist. sententiam text. 86. & erit potius compositio, si diuersę illæ particulæ diuersum situm habeant, & continuę vel cōtiguæ sint. Quod si dicas: sunt simul plures particulę sub eodem situ, iam est penetratio corporum.

At si des alterum quod in materia, vbi est vnius forma, sunt aliæ formæ aliorū, videtur hoc falsum: quia materia non recipit duas formas, quarum vna essentialiter non ordinatur in alteram, sicut vegetatiua ad sensitiuam, & hæc ad rationalem, at vnum elementum essentialiter non est ad aliud ordinatum, sed sunt inter se diuersa, ergo vna materia nō potest tales plures formas simul recipere.

6. Sexto forma substantialis quęlibet ex se apta est, vnum suppositum cum materia facere, ergo vbicūque plures sunt formæ, ibi sunt plura suppositā si ergo elementorum formę sunt in mixto, ergo mixtum nō est vna per se substātia, sed multæ: loquimur de formis, quarum vna nō est propter alterā, sed quęque per se potest esse, quales elementorum formæ sunt.

Confirmatur quia vnaquæque illarum formarum informat materiam & facit ens per se & dat suum esse quare esset vna res habens quatuor essentias, & essent quatuor simul species.

7. Septimo. Si elementa manent in mixto secundum proprias formas, ergo mixtio est violenta, & non naturalis, similiter & mixtum: quod patet, nam elemēta ibi sunt extra loca propria naturalia detenta, reseruantq; cum formis proprias inclinationes.

8. Octauo. Quælibet forma suam habet propriam dimensionem, ac dispositionem in materia sunt igitur in mixto multæ dimensiones, & variæ imo contrarię dispositiones, quod extra rationem videtur. Hæc sunt argumenta quibus opinio ista potest confirmari: super est, vt quod mihi probabilius videtur, ostendam.

primum fundamentum circa auctoris primę sententię qui sunt

Attende tamen primo, ne sit confusio vlla in authoribus legendis, quod qui dicunt, elemēta manere formaliter in mixto, sunt diuisi in quatuor sententias in prima fuit

Auic-n.

In qua tuor classes diuisi. 1. Auic. & Alb.

Auicen. 1. suffi. ca. 10. dicit, elemẽta esse in mixto secundũ suas formas substantiales perfectas, & integras, sicut erant prius, quam miscerentur, tamen variatio facta est in solis qualitatibus eo, quòd remissiores sunt: ignis igitur manet integer in substantia, sed siccitas, & calor ipsius remissiores sunt & impariores eò, quod sint cum humiditate, & frigiditate coniunctę: vnde in quolibet etiam elemento, quod in mixto est, quatuor temperatæ qualitates sunt. Huius sententiæ est Albertus Magnus tract. 6. ca. 5. & Hugo Senen. super sen. 1. Auicen. doct. 2. cap 1.

2. Auer.

Altera sentẽtia est Auerrois. 3. cœli. comm. 67. quãuis enim in. 1. gen. com. 90. cõsentire visus sit cũ Auicen. tamen in li. 3. cæli ipsum impugnat. Ipsius igitur sententia est quod elementa manent secundum formas in mixto, remissas tamen ita, vt remissio non solum sit in qualitatibus, sed simul in ipsis formis. Vnde fit, vt in qualibet parte elemẽti cuiusque cõuenientis in mixto sint quatuor qualitates temperatę, similiter etiam quatuor elementorum formæ in gradu simili cum qualitatibus.

Nota. 1.

Dicit autem Auerroes, quod nõ inconuenit, formas has substantiales esse huiusmodi, vt simul sint in eadem materia, recipiantque magis & minus: sunt enim mediæ inter substãtiales formas perfectas, & inter accidentia: cum his enim conueniunt, quod suscipiunt magis, & minus, cum illis verò, quòd sunt aptæ vnum per se cum materia facere.

Nota. 2

Aduerte autem, quòd vtraque sentẽtia ista cõuenit in hoc, quod vnam constituit formam aliã substantialem mixti simplicem præter formas elementorum; ratione cuius vnum differt specie ab alio, & vnumquodque perfecta habet speciem.

3. sentẽtia ita quã tribuitur Auicen.

Tertia sententia est, quam Grẽgor. 2. sen. d. 15. q. 1. dicit esse communem, & suo viguisse tempore, quòd elementa manent secũdum partes suas substãtiales: has autem partes dicunt esse entitates quasdam ex quibus forma integratur, quæ tã sunt eiusmodi, vt nec habeant idem nomen, nec rationem cum forma elementi, quam integrant: dicunt igitur, quòd manent elementa secundum aliquot harum partium: ita autem, vt non sit alia forma mixti distincta præter harum particularum ordinem, & dispositionem: hęc opinio tribuitur Aureolo.

4. aliorũ

Quarta sententia est, quam adducit Marsilius. q. 22. aliquorum asserentium, elemẽta manere cum formis integris, vt dicebat Auicẽ. solumque remissionẽ esse in qualitatibus, tamen non ponebat formam aliam mixti, nisi proportionem, & elementorũ concordiam. Hi igitur, qui præter materiam aliud ex elemẽti substantia in mixto ponunt, sic partiti in suis sententijs sunt.

1. cond. cõtra 1. quam assem. sum. prima sententia.

Vt autem singulæ examinẽtur, sit prima conclusio. Elementa in mixto non manent secũdum illas entitates, quas opinio tertia ponit. Hęc conclusio multis rationibus, quibus aliæ impugnari debent, re felli poterat: Sed quia in probabilis valde est, & iam nõ sustinetur, vnico argumẽto refutatur opinio talis: conclusioque confirmatur.

Probatio

Forma elementi secundum se vel est simplex, & indiuisibilis vel diuisibilis: si detur primum, nullam igitur habebit partem integrantem: si detur secundum, non videtur profectò, quas partes Physicas possit secũdum se habere, nisi gradiales secundum intensum, & remissum: erũt igitur partes gradus, gradus autem sunt eiusdem rationis, & denominationis cum toto, vt patet in alijs formis gradualibus, gradus enim caloris calor est: ergo ita erit in illis, quod est contra ipsam opinionem.

2. cõclu. contra quartam assem. autorum primę sen sentiæ. 2. ratio.

Secunda cõclusio. In mixto est vnica forma simplex distincta ab elementorum formis: hæc est cõtra quartam sententiam. Probatur primò: vnum mixtum differt essentialiter ab altero, ergo per aliquam formam propriã: cõsequentia est nota, quia temperies, & dispositio est solum accidẽtalis forma, qualis dom⁹ forma: antecedẽs autem notum: quis enim negabit, aurum, & lapides specie differre, similiter & alia mixta inter se?

2. ratio.

Secundò sequeretur: cũ mixtũ generatur, & corrumpitur, quòd tantum esset alteratio, quod absurdum est, mixtorum enim productio simpliciter generatio est: sequela patet, quia secundum illorũ sententiam non producitur forma de nouo, nec inducitur in materiã, sed solum est temperies, quæ sola alteratione qualitatum fit.

3. ratio.

Tertiò. In mixtis singulis sunt simplices qualitates, quę sunt ipsorum passiones, vt patet de virtutibus, ac proprietatibus lapidum, & herbarum, & aliorum: ergo etiam sunt simplices substãtiales formæ singulis propriæ.

4. ratio.

Quarto si non esset forma vna superaddita continens, & vniens elemẽta ipsa, profectò dissoluerẽtur, & vnumquodque in suũ proprium decederet locum cũ ibi secundum ipsos formaliter sint: est ergo forma mixti prẽter elementorum formas.

5. concl. contra Auer. 1. ratio. Quia ex sentẽtia aut qua tuor absurda sequuntur. Primum.

Tertia conclusio. Elementa nõ manent in mixto secundũ formas suas substantiales remissas: hæc conclusio est contra Auerroem probatur primò. Si formæ substãtiales elementorum susciperent magis, & minus, consequenter essent contrariæ, vt patet: at ex hoc quatuor absurda sequuntur. Primum est: nam ad substãtiam esset mot⁹, ipsaque successiuè acquireretur, quod profecto absque vlla limitatione Arist. negat. 5. Phys. sequela probatur: nam vbi est contrarietas, & intensio, ac remissio, ibi manifestè motus est.

Alterum est: sequeretur, q̃ elementum

mentum non alteraretur, quod est falsum: cum elementa sint primò, ac maximè alterabilia. Sequela ostenditur, quia quod alteratur, debet idem manere sub vtroq; termino: at ignis, dum frigefit, non manet idem, quia semper dum frigefactio in ipso fit, remittitur ipsius forma, ac per consequens aliter se semper eius substantia habet.

3 Tertium est: quia si forma elementi suscipit magis & minus: vtique denominabitur magis vel minus: at nunquã cõceditur locutio talis, sit magis aqua, fit min⁹ aqua, nec de alijs elementis: ergo nõ recipiunt ipsorum formæ magis vel minus.

4 Quartum est: q̃ quoties fit variatio in qualitatibus his, semper fieret variatio in formis substantialibus elementorum: hoc autem quãuis absque ratione cõuincenti persuadet, quod quoties aqua calefit, remittitur forma substãtialis ipsi⁹ & simul inducitur forma ignis: similiter cum ego calefio, producitur nouus gradus formę ignis in me cum calore: similiter cum aer frigefit, acquirit partem formæ aquæ. Hęc omnia profecto absurda sunt in philosophia.

2. argu. princip. Est secundum principale argumentum contra Auerr. si in materia vnius elementi sunt simul quatuor elemẽtorum formę: peto vel immediatè informant materiã vel non: si nõ, ergo iam vna recipitur per aliã. quod est impossibile, cũ nõ sint ordinatę essentialiter, sed materia sit in potentia immediata, & potentia ad omnes eas: si autem immediatè omnes sunt in materia ergo ita se habent inter se, vt vna non cõtrahat aliam, nec determinet: sequitur igitur, q̃ quælibet multiplicat esse substantiale diuersum, & sic absolutè sunt plura, & vnum per accidens.

Et nota, quod nisi vna forma substantialis existens cũ altera in eadem materia compositionẽ faciat cum ipsa, ipsamq̃; determinet: tũc multiplicat esse substantiale, & opositum est figmentum: & hac rationis vi vsus est S. Tho. superius vt diximus. Nota.

Tertium argumentum est: sequitur, q̃ formę etiã perfectæ substantiales prẽter elementorũ formas susciperent magis, & minus, quod negat Auerroes: probatur sequela: nam alia miscentur, quæ perfecta sunt, vt vinũ, & alia multa, quę in theriaca, & electuarijs sunt, quorũ mixtio proprijssima est: oporteret ergo horum formas suscipere magis & minus, si mixtio fit hoc pacto: nam Arist. generaliter de omni loquutus est mixtione. 3

Quartum est S. Tho. super textum. 84. sequitur, q̃ inter cõtradictoria esset medium: sequela ꝓbatur: quia accidens est nõ substãtia: si igitur est medium inter substantiam, & accidens, esset inter substãtiam, & non substantiam. 4

Prẽterea arguit S. Th. & est quintum argumentũ. Quę diuersi sunt 5

generis

generis non habēt medium: at substantia, & accidens sunt genera diuersissima, nō ergo medium habent.

Reijcitur soluio 4 Auerroistarum

Ad hęc duo argumenta respondent Auerroistę, q forma elementi non dicitur media per participationem, sed per similitudinem, sicut simia est medium inter brutū & hominem.

At ista responsio est nulla, quia reuera, talis forma non haberet cū accidente, & subiātia conuenientiam, nisi secundum suam naturā esset media inter ipsa.

Pręterea, quia ipse Auerroes. 3. cæli. com. 67. dicit esse mediā inter substantiam, & accidens, sicut rubedo est inter albedinem, & nigredinem: non igitur de medio secundum similitudinem loquitur.

Est autem sextum argumentum, quo mihi persuadeo maximè impugnari istam sententiam. Aduerte igitur, quòd non potest saluari mixtio hac via: sint enim quatuor portiunculę elementorū quatuor, in quarum qualibet dicit esse quatuor elementorum formas: sumo illam, quæ erat ignis, in hac. n. tres aliæ debent produci, tunc aer producet suam non calefaciendo, sed humectando: aer enim non calefacit ignem: aqua producet aquæ formam infrigidando: terra ergo quomodo produceret non exsiccando, quia ignis siccus est, & potius perdet ex sua siccitate, quā acquiret non infrigidādo, quia iam per infrigidationem aqua producitur. Quòd si des per frigiditatē produci terram, & aquam, quid absurdius, quam per vnam frigiditatem receptam in igne, duas produci formas? nam non sunt duę frigiditates in igne, sed vna. idem sit argumentum de singulis elementis, & nota argumentum, quia firmissimum est.

Septimum argumentum, sequēretur posse formam ignis conseruari sine calore vltra medium & dari ignem frigidum: quod patet in mixtis natura frigidis, imo verò si posset sic in mixto reperiri ignis frigidus & conseruari, quid vetat quo minus & seorsum? certe immediatè ante introductionem formæ mixti illius frigidi erit ignis iam frigidus, & nondum erit forma mixti producta.

Confirmatur, sequeretur quod formę semper aliquorum elemētorum producerentur cum qualitate sua remissa citra medium, illorū videlicet quorum minores qualitates manent in mixto, hęc autem omnia sunt valde absurda, atque ideo hęc Auerr. opinio est omnino à ratione aliena.

4 concl. contra Auicen.

Quarta conclusio. Formæ elementorum non manēt inesse perfecto: hæc est contra Auicen. cuius opinio licet falsa, probabilior tamen iudicatur à Sanct. Thoma, quam opinio Auerrois: & ego incredo: tamen conclusio probatur primo. Formæ elementorum manent perfectæ in mixto, ergo & substantia perfecta, ergo specie

perfe-

perfectè differunt, ergo continuari non possunt: quæ enim specie differunt, continuari nequeunt, vt dicit Aristotel. 5. Physic. text. 39. quòd si non continuantur, nō est mixtio: nō enim erit mixtum verè vnum.

2. Secundo sequitur, quòd forma mixti esset accidens, quod falsum est: sequela probatur, quia aduenit enti perfecto, & actu, superuenit enim igni, & alijs iam in substantia perfectis.

3. Tertiò adhuc non perfectam facit mixtionem, quia si pars mixti est elementi pars habens quatuor qualitatum temperiem: sequitur, quòd vnum elementum posset esse mixtum, quia potest per actionem suam, & repassionem a contrario habere quatuor qualitates refractas: poterit ergo ibi esse mixti forma, quod nullus concedet, mixtum esse.

Arg. Auerr. contra Auicen. Auerroes ponit argumentū contra Auicennam. 8. cæli. comm. 67 quo vult probare, quod si forma elementi potest integra manens remissionē pati in suis qualitatibus, quòd posset esse prorsus absq; tota qualitate: argumentum est hoc: sit. v. g. ignis, ignis potest esse absque hoc gradu caloris, cū omnes sint eiusdem rationis, non erit maior ratio, quare possit esse absque hoc, quam absque illo, ergo poterit esse absque omnibus simul.

Argumē. Auerro. soluitur. Hoc argumentum iudicio meo est absque vllo robore, & sophisticum est, quidquid nō nulli dicāt, sunt enim instantiæ manifestissimæ. Primo non valet, materia potest esse absq; hac forma, & absq; ista, & illa, ergo absque omni collectiuè: argumentatio vana est. 1.

Præterea corpus vnum potest esse absque hoc, & illo loco, ergo absque omni. Præterea mixtum potest esse absque hoc vel illo colore, ergo absque omni. Vanæ sunt huiusmodi collectiones, quas imitatur Auerr. 2.

Demùm responderi facile potest, quod cum ad certum terminum remissionis peruenerit sub minori conseruari forma elementi non poterit: quia requirit vt minimū talem gradum sicut & reliquę omnes formæ requirunt quādam certi gradus dispositionem, vt conseruentur. 3.

Vis argumenti Auer. secūdi quosdam. Aliqui pro ipso respōdent, quod debet intelligi suppositō, quod talis passio sit propria elemēto: tūc enim qua ratione vnus gradus separabilis est, eadem rōne & alij.

Reijcitur ista defensio. Sed hęc defensio nulla est: nam esse in loco etiam est passio corporis, & habere formam materiæ, & color ac dispositio mixti: nulla igitur est argumentatio.

5. Concl. Quinta conclusio. Nil ex substantia elementorum manet, nisi sola materia. Hęc conclusio nota est ex præcedētibus: si enim aliud ex substantia maneret, esset forma: at ostensum est, quod talis nec secundum esse perfectum, nec secundum esse remissum manet, sola igitur materia ex substatnia manet

net. An tamen aliud maneat præter substantiã disputabitur in quæstione sequenti.

Ad argumenta & primo ad testimonia Aristot.

Interim tamen ad argumenta respondere oportet, & primo ad loca Arist. in oppositum adducta quorum nullus concludit: sunt enim multa testimonia apparentia. Ad primum igitur respondetur quod dupliciter elementa corrumpi possunt: vno modo alterũ in alterum mutatur, vt ignis in aquam mutatus corrumpi dicitur: altero modo, cum non in alterum, sed potius ambo in tertiũ quoddam mutantur, quod non quidem contrarium, sed potius virtute, & valore ambo contineat: & hoc pacto absolutè nõ dicũtur in mixto corrumpi elementa, cum virtute maneant, & præterea secundum suas qualitates. Dico igitur quod Arist. dicit, non corrumpi miscibilia modo priori: at corrumpuntur modo posteriori.

Nota duplicit. aliquid corrũpi.

Nota quõ separẽtur elemẽta à mixto

§.

Ad id autem quod dicitur ipsa esse separabilia: dico primo secundum Philop. quod sensus est, non quòd à mixto separẽtur, sed quòd talia sunt ex se, vt quantum est ex se, non repugnet ipsa separari. Dico etiã, quòd separabilia sunt eo, quòd ex mixto possunt elementa generari rursus, sicut ex elementis generatum ex mixtum, quæ videlicet erant in virtute in forma mixti, & fiunt in actu proprio: erant inquam in actu alieno, & fiunt in actu priori: erãt in actu formæ mixti eminenter, & fiunt in actu specifico proprio, & hoc dicitur separari, vt quę erant simul in virtute cõiuncta, fiant seorsum seiuncta in actu.

Ad 2.

Ad secundum testimonium dico, q̃ vini gutta non dicitur mixta cum aqua, non solum quia corrumpitur vini forma, sed quia ita corrumpitur, vt mutetur in aquã: & hoc ipsa litera dicit. Habetur enim quia soluitur forma vini, & mutatur in viuersam aquam.

Ad 3. 1. solutio

Ad tertium. Scotus intelligit definitionem illam, quòd est vnio miscibilium alteratorum, id est, prius alteratorum: Alij dicunt, alteratorum, id est, corruptorum, & forsan quod vocauit alterationem corruptionem illam posteriorem, qua aliquid ita destruitur, vt maneat in tertio: sic enim aliquo modo manet, ob id alteratum dicitur.

2. Solutio.

In actu alieno licet nõ proprio.

3. Solutio.

At melius dico, quod mixtionem sumit Aristoteles coniungendo totum motum, scilicet passionem, ac actionem mutuam, secundum quam se elementa refrãgunt: ac ob id dicit alterata elementa, quia dum mixtio est, elementa alterata sunt, mixtione vero perfecta, & finita mixtum manet: in hoc autẽ elementa destructa sunt: aliud est igitur esse elementa in mixtione, aliud verò in mixto.

Ad 4.

Ad quartũ dico, q̃ elemẽta vocãtur materia alterationis, nõ cõpositionis: quòd si componunt, id secũdum materias, & qualitates est, non secundum formas proprias.

Ad

Ad quintum dico, quòd non est
Ad. 5. par ratio illarum materiarum: Elementorum enim cõpositio est secundum qualitates, & materias; similaria ergo ex diuersis materijs elementorum, & qualitatibus constituntur, hoc patet 2. de partibus. c. 1. vbi dicit, elementorum materiã esse propter similares partes, non autem dixit ipsa elementa.

Ad. 6. Ad sextum, nota est respõsio legenti textum, ibi enim cõtra Empedoclem agit, qui elementa non solũ integra in substantijs, sed etiã in qualitatibus posuit: negauit autem esse ab anima augmentum: cõtra quem arguit Arist. quod dissoluerentur elementa, nisi ibi anima continens esset.

Ad. 7. Et per hoc etiam ad septimũ, respondetur: ibidem enim etiam cõtra Empedoclem agit, & vltrà hoc argumentum nõ procedit nisi ex virtutibus elementorum hę enim sunt sensibiles, & de his quæritur, cùm maneant intra sensum, cur non sentiuntur: & ipse textus explicat, velut per corruptionem virtutes esse sensibiles.

Ad. 8. Ad octauum respondetur, q̃ disputatio illa tota est cõtra Platonẽ, & Anaxagoram & Empedoclem, qui integra elementa in re ponebant: vnde isti textus non habent, nisi apparentiam.

Ad. 9. Eodem modo respondetur ad nonum: loquitur ibi contra Democritum, qui figuras naturaliter & inseparabiliter in atomis põnebat.

Ad secundum argumẽtum Scoti, & Gregorij, volunt solum in definitione elementi claudi materiã primam circa corpora naturalia: hæc enim est propriè, & verè elementum: & hoc ego cõfirmo, quia ipse Arist. ibidem secundum aliorum dicta ponit, hæc quatuor elementa esse elementa, vt notũ erit legenti: non enim secundũ ipsum propriam habent elementi rationem, ob id sæpe vocata elementa nominat. Alij dicunt, q̃ sat est, quod in virtute maneant, sed melior est prior solutio. *Ad. 2. principale.* *altera solutio.*

Ad tertium dico, q̃ qualitates hę in summo sunt passiones elementorum ita, vt nullibi sit qualitas harum vlla in summo gradu, vbi non sit elementi forma, at extra summum etiam alijs subiectis inesse possunt, quæ eandem cum elemẽtis materiam habent. *Ad. 3. principale.*

Secũdò dicitur, quòd etiã si violenter ad tempus posset esse in summo in aliquo mixto: at nõ naturaliter nisi in solo elemento est in summo, & ideo passio physica vocatur elementi eatenus.

Ad quartum dico, q̃ si mixti substantia sola consideretur, non est magis composita, quam elementi, vnica enim forma substantiali, & materia perficitur: at si consideretur, quoad virtutes, & dispositiones, compositior multo est, continet enim in se virtutes omnium elementorum, & alias ex his procedentes. *Ad. 4. principale.*

Quòd si dicas, tã cõpositũ esset *obiectio.*

tunc

tunc elementum, si solum haberet quatuor qualitates refractas, vt accidit in vno elemento repasso.

Solutio Respõdeo, quod non est eadẽ ratio. Tunc enim elementum nõ esset in sua dispositione naturali, secundum quam duas habet qualitates: at mixtum in sua naturali dispositione multas continet qualitates.

Præterea si subtilius consideramus, etiam ipsa forma substantialis mixti, & ipsa substantia mixti est mixta in virtute, & eminenter continens in seipsa formas, substantias & virtutes elementorum eminenter, & ideo ex sua natura vult illas qualitates omnes elementorum remissas: imò eas efficit & conseruat in se, & facit in alio cũ agit; quia hæc omnia proueniũt à principio illo intrinseco substantiali eminenter omnia continente in se, ipsius formæ mixti, sicut trigonus continetur in tetragono.

Ad 5. principa. Ad quintum dico, quòd materia quidem ordine receptionis ita immediatè respicit formas elemẽtorum, sicut mixtorum, & è contra: at ordine productionis, primo respicit elementorum formas, quia hæ efficiunt mixtum: & sic stat optimè, quòd elementa sint causæ per se mixtorum, & non obstant formæ ipsorum sint immediatè in materia, & per ipsas formę mixtorum, verbi gratia, forma cadaueris nõ recipitur in materia, nisi præcedente forma animalis: non tñ simul est in materia cũ ipsa. Ita de mixti, & elementorum formis.

Ad sextũ facilis est solutio: Dicitur enim elemẽtum dominari secundum suam virtutem magis in mixto manentem, non tamen secundum formam propriam, sed in virtute, & secundum formam alienam. *Ad 6*

Nec concludit, quod de lapide dicitur: multitudo enim materiæ, terræque virtutis magnam intentionem apparere facit.

Ad septimum dico, q elemẽta mixti resolutione de nouo producuntur, vt alibi dicemus, & ex parte iam diximus. *Ad 7.*

Ad octauũ respõsio facilis est: non sat enim est materia, aliter lapidib' nutriremur, qui tamẽ mixta sunt corpora, sed quædam proportio, & affinitas requiritur, qualem diximus in materia de nutritione, quæ in puro elemento nõ est. Ex his igitur patet huius quæstionis determinatio. *Ad 8*

QVAESTIO. XVIII.

An elementa maneant in mixto secundum suas qualitates.

POstquam ostendimus elementorum formas non manere in mixto, sed solas ipsorum materias quantum ad eorum substantias: nunc supereſt de virtutibus & qualitatibus differere, quomodo maneant in mixto, & an maneant.

Aduerte

Nota in quo omnes conueniant.

Aduertẽ autẽ, quod conueniũt omnes opiniones in hoc, quod est quædã dispositio qualitatiua necessaria ad mixti formam, ipsiq; proxima, & propria, quã vocant temperiem, seu complexionẽ: vt enim in elementis est certa dispositio ad formam in materia, ita etiam ad mixtum.

In quæst difficultas

At difficultas est, an talis cõplexio sit forma cõposita, nẽpe quatuor qualitates ad temperiem redactę, an vnica simplex virtute, & eminentia cõtinens alias quatuor, ab ipsis tamen distincta. Quidam enim eam simplicem fatentur, quidam cõpositam: Sunt enim quatuor sententiæ.

1. Sent. Scoti, Aricenn. &c.

Prima dicit, q̃ est vna simplex hoc modo, quod per mutuã actionem, & passionem quatuor primæ qualitates destruuntur, vnaq; resultat temperatè cõtinens omnes effectus aliarum: hoc tenet Sãct. Tho. in præsenti, si tamẽ hęc commẽtaria ab ipso edita sunt: de quo aliqui non immerito dubitarunt: cùm vbiq; alias oppositam teneat sententiam, vt patet in omnibus illis locis, in quibus agit de remanẽtia elementorum in mixto contra Auer. vbi Diuus Thomas cõtendit tantum remanere materiam & qualitates elementorum. in. 3. etiã sentent. distinct. 16. q. 1. artic. 1. in corpore. & ad 4. manifestè docet oppositum, quærens enim an necessitas moriendi in homine sit solum à peccato vel etiam à natura, ait etiam à natura, eò quod sicut & alia mixta habet cõtrarias qualitates elementorum, ex quibus vna prædominatur, & idem 2. sent. distin. 19. art. 4. ad secundũ, ex qua remanentia qualitatum in 3. cõtra gen. cap. 23. ait cælum, & elemẽta vocari corpora simplicia, quoniã non constant ex cõtrarietate, qua re quæ mixta vocantur, eam continent secundum D. Tho. Sed illa sententia huius illius qualitatis, est Scot. 2. sen. dist. q. 15. vnica. & Auicen. 1. suffici. cap. 10. & Phem. 1. doctr. 3. cap. 1. & ibidem Hugo Senen. similiter Alber. 2. Physic. Tract. 2. cap. 1.

2. sentẽtia

Altera sententia est, q̃ non manent quatuor illæ qualitates, tamẽ manẽt duæ simplices aliæ: vna media inter calorem, & frigiditatem: altera media inter humiditatem & siccitatem, & hę duę possunt aliarum effectus tẽperatè facere: hoc sequitur conciliator, differ. 16. & Albert. Saxo. q. 19.

3. Marsi ly Fernely, &c.

Tertia sentẽtia est, q̃ manẽt qualitates temperatę eædem, quę crãt in elementis ablato excessu: vnde cõplexio est illa temperies, seu cõposita ex illis quatuor qualitatibꝰ remissis: hoc tenet Marsi. q. 22. & alij multi, & Fernelius lib. 3. Physiologię cap. 3. quanuis iste dicat, qualtiates esse in summo, & similiter formas esse actu.

4. Sentẽtia

Quarta sententia est aliorũ Thomistarum, ex D. Thomæ senten. qui non differunt ab opinione precedenti, nisi in hoc, quod dicunt non esse easdem qualitates

numero, quæ manēt in mixto cum his, quæ erant in elemētis, quia ad ipsorum corruptionem corrumpū tur, sed sunt aliæ eædē specie pro ductę cum forma mixti, sicut etiā dicunt in alijs rebus: dispositiones enim præcedent s formam non manent cum veniente forma, quia corrumpuntur cum subiecto, in quo erant, quod superius quoqte declarauimus. Hæ igitur sunt philosophorū opiniones in hac parte.

Argumenta ad probandum complexionē esse vnicā qualitatē Primum.

Sunt autem argumenta, quibus probatur, complexionem esse vnicam simplicem qualitatem: primo, ita se habent formę substantiales elementorum ad formam substantialem mixti, sicut ipsorū qualitates ad mixti qualitatem, & complexionem: sed formis elemētorum correspondet vnica simplex substantialis forma, ergo & ipsorum qualitatibus vnica simplex mixti qualitas.

2. Secundo si complexio esset temperies qualitatum, sequitur quod cōsisteret in indiuisibili: omnis enim proportio in indiuisibili consistit: minimo enim mutato, tota ratio temperamenti mutatur: at hoc videtur falsum, cito enim res à proprio temperamento recederet, faciliqúe causa dissolueretur, ac corrumperetur, cuius oppositū experimur: aliquando enim res multùm calefit, non tamen ob id temperies eius mutata.

3. Tertio sequitur etiam, quod multa contraria simul essent & adæquate in eadē parte subiecti: hoc autem videtur falsum, non enim contraria se mutuo patiuntur, sequela patet, nam quælibet pars temperata est.

4. Quartò sequitur, quod accidens mutaret subiectū: si qualitas, quę in elemento erat, postea in mixto maneat.

1. cōclu. esse quasdā qualitates secundas in mixto.

Pro huius resolutione sit prima conclusio. Esse qualitates quasdā secundas, simplices formas distinctas à primis qualitatibus, ipsarumque effectus in mixto nulli dubium est, non tamen sunt hæ complexiones. Explico: sunt in mixtis colores, sapores, odores, & virtutes quædam, quę non elemētis insunt: ex ipsorum tamen virtutibus in mixto causantur. At notum est, quod huiusmodi qualitates sunt distinctæ ab illis elemētaribus quatuor, quas principes vocant. At non sunt tales complexiones: duo enim insunt complexioni: alterum est, quod sit dispositio mixti formam antecedens, & in materia conseruans: huiusmodi qualitates potius sequuntur formam, ab ipsaque conseruantur.

Qualitates secundæ non sunt complexiones. Quæ requiruntur ad cōplexionē Primum.

Alterum est: quod talis complexio efficiat effectus quatuor primarum qualitatum: at huiusmodi qualitates id nō prestant: non enim per se calefaciunt, vel frigefaciunt, humectant, vel exsiccant, quæ omnia cōplexio temperatè facere debet.

2. Secunda conclusio. Complexio non est vna simplex qualitas, ab

2. cōclu. nō est vna

alijs

qualitas 1. arg. à testimonijs. Primũ test.

alijs per mutuam pugnam, & corruptionem relicta.

Hęc cõclusio probatur primò auctoritate: dicit Arist. 4. Meteor. cap. 1. quòd per putrefactionem calor soluitur à proprio humido, & tũc restat siccitas: si igitur omnia ista vna simplex qualitas est, quomodo posset vnum dissolui ab alio?

2. Præterea 2. de anima, text. 123. & 124. dicit, sensus cõsistere in harmonia qualitatũ, quæ læditur à vehemẽte sensibili, & quod plãtę non sentiunt, quia calefiunt, & frigefiunt, id est, habent has qualitates extra modum debitum: sunt igitur istę formaliter ibi.

3. Præterea 2. de partibus capit. 1. dicit compositionem primam esse ex quatuor qualitatibus, quas ibi enarrat, & ipsi viuenti dicit inesse, & similia testimonia sunt multa in Arist.

2. Argu. à ratione

Probatur secundo, in mixtione sunt aliquot qualitates excedentes, vt diximus in textu, ergo non possunt corrumpi, vt producatur alia; nam non est vllum corrumpẽs talium qualitatum. Non enim sunt formę elementorum, quia nõ sunt contrariæ illis, nec mixti formæ, quia antecedunt hæ, nec aliæ debiliores qualitates; manent igitur qualitates.

Solutio obiectionis

Quòd si dicas, corrumpi cũ subiectis elementis: hoc non valet, primò, quia Auicenna non sic respõdere potuit, qui ponit ibi manere formas: Præterea licet corrumpantur, non ob id qualitates corrumpuntur, vt probauimus alibi.

3. Probatur tertio: quia si qualitates illæ corrumpuntur, & formæ, tunc nullum esset producens talem qualitatem: ego enim peto, cũ producitur illa qualitas, a quo producitur cum forma mixti, non à qualitatibus, si non sunt cum illa est: nam quod non est, non producit immediatè, non etiam à formis elementorum, quia vt ostendimus, non sunt tunc, cum illa qualitas est formę mixti, quod si sunt, vt dicit Auicen. non poterunt etiam producere, quia ipsæ non agunt, nisi per suas qualitates. Vide igitur, quomodo non sit agens proximum illius virtutis, manent ergo qualitates ipsæ, & considera argumentum hoc.

4. Probatur quarto, tẽperamentũ animalis mutatur secũdũ ętatẽ, pueri, n humidi, & calidi sunt valdè, senes sicci, & frigidi: q̃d si vna simplex est qualitas temperamentũ, sequitur, quod totum dissoluitur, non enim aliter vna simplex qualitas mutari potest in alteram: periret igitur animal, & mixtũ in tali mutatione, quod falsum apparet.

5. Probatur quinto, quia commune dictum est omnium philosophorum, & medicorum, constare cuncta hęc ex contrarijs, ob id ipso tẽpore resolui, & perire, quod si vnica esset simplex qualitas mixti, non ex contrarijs vtique constaret, nec in se ipso principia corruptionis haberet.

6. Probatur sexto ex inuatione

vnius mixti in aliud, in qua vnum aliud fit temperamentum, vt cum ex animali fit cadauer: non videtur, à quo talis qualitas produci possit.

7. Præterea septimo, quia calor mixti est tangibilis, sicut elementi, intenditur etiam calore elementi similiter aliæ qualitates: sunt ergo eiusdem speciei, & ibi manent.

3. concl. Complexio est temperies 4 primarũ qualitatũ.

Tertia cõclusio. Complexio est temperies quatuor primarum qualitatum: Hæc conclusio sequitur clarè ex præcedenti, ac propterea non alia ratione probatur.

Nota.

Nota tamen, quod tales qualitates, vt sub forma mixti sunt, habẽt firmitatem, & constantiam, non enim facili causa remouẽtur, imò accedente aliqua qualitate extrinseca vi formæ expellitur, ad pristinumque se temperamentum reducit forma. Habent etiam hæ qualitates operationes alias adhuc tanquam mixti formæ instrumenta, quas in elementis non attingebãt, vt alibi ostendetur.

4. concl. qualitates elemẽtorũ manẽt refractæ.

Quarta conclusio. Tales qualitates sunt eædem, quę erant in elementis, refractæ tamen, & temperatæ, & hoc est contra quartã sententiam, quam non impugnamus, eo quòd satis diximus superiꝰ circa hoc, oportet igitur, vt argumenta soluamus.

Ad 1. Ad primum nego similitudinem illam: sat enim est, quod sicut elementorum formis respondet vna forma mixti, ita qualitatibus respondeat illarum temperies, non tamen est opus, quod sit vna simplex qualitas, sicut illi est vna forma mixti, quia id non potest esse: nam forma produci potest a mixtione elementorum, & à qualitatibus immediatè, at qualitas illa non poterit si tales qualitates corrumpi debeant: de est enim proximum agens.

Ad 2. Ad secundum dico, quod physicum temperamentum non consistit ita in indiuisibili, sicut mathematica proportio, sed aliquam latitudinem patitur.

Nota. Aduerte autem quòd per excessum vnius qualitatis nõ statim dicitur nouum temperamentum, nisi sit fixum & formæ conueniens.

Patitur etiam latitudinem extẽsiuam, non enim cum vna pars sit non temperata, ob id totius soluitur semper temperies,

Ad 3. Ad tertiũ non negamus in gradu non summo contraria simul esse, quod ipsi fateri tenentur: dum enim nondũ est mixtio perfecta, sed mutua pugna, tunc simul sunt cõtraria, nec hoc est vllum impossibile, aut improbabile.

Ad 4. Ad quartum nota est solutio: nã accidentia immediatè subiectantur in materia, vt alibi diximus: hæc autem non mutatur totum est aliud, & aliud, quod vocat subiectum denominationis.

Totius quæstionis summa. Ex omnibus his colligo elementa non manere secundum formas proprias: ac propterea non manere actu in mixto, manere autem secundum materias, & virtutes

temperatas, & loco illarum formarum elementorum succedere formam mixti, virtutes illas eminenter complectentem, atque ita manere virtute, & potentia.

QVAESTIO. XIX.

An mixtio sit possibilis.

QVamuis quęstio hęc ordine naturę primo loco tractanda esset, tamen ordine doctrinę, quia pendet ex dictarum opinionum diuersitate, & quia communiter post alias disputatur iudicium commune in hoc sequemur, tum etiam quia non admodum refert.

Sensus quæstionis. Sensus igitur quęstionis est, An elementa possint coniungi ita, vt ex eis mixtum fiat. Sunt autem argumenta in oppositum.

1. argum. Primum, vt elementa ad mixtū conueniant, opus est aliquo mouente, & trahente ipsa ad mixtionem, sunt enim separata quæque in suis locis: at nullum videtur esse tale mouens, non enim elementa ipsa ex se possunt conuenire, quia extra locum non tendunt, ergo mixtio non est possibilis naturaliter.

2. Secundum, dato quòd conueniant, adhuc non videtur posse fieri mixtio. In mixtione producitur noua substantia mixti distincta ab elementis perfectiorque ipsis, at imperfectum nō potest producere perfectius, ergo nec elementa producent mixtum, non igitur mixtio potest esse.

3. Tertio si mixtum esset, quæli-bet ipsius pars esset mixta, sed hoc videtur esse non posse absque corporum penetratione, hęc autem est impossibilis: ergo & mixtio. Quod debeant esse cum penetratione, probatur, sumo partē vnius elementi, quę futura est pars mixti, si talis est mixta, ergo sunt in ea alię elementorum aliorum partes, ergo datur penetratio.

4. Quarto, mixtio debet fieri per miscibilium diuisionem: sed talis fieri non potest, ergo nec mixtio. Minor probatur, vel diuiduntur miscibilia in omnem suam partē, vel non, primum est impossibile: si autem non, ergo in aliquas partes diuisio fit, non in alias, cum verò non sit ratio, quare potius in has, aut in illas diuisio fiat, videtur, quod nulla possit esse diuisio, & sic nec mixtio.

5. Quinto, vt mixtio fiat, nēcessarius est locꝰ aliquis, at nō videtur, quis possit esse, cū enim vnus sit vni elemento naturali, alijs tribus erit violentus: erit igitur mixtio violenta, quod absurdum est.

6. Sexto, elementa, si miscentur, debent esse quatuor: at non videtur quod alicubi possint trahi, & esse elementa quatuor, non ergo mixtio potest esse: antecedēs probatur, quia si duo essent elementa nō esset mixtio, quia vel vnū est fortius & tunc alterius corruptio sequetur, vel vtrūque est æquale, & neutrum aget: si autē sunt tria, tunc, duo erunt symbola, & agent, & vincent tertiū: debent ergo esse

quatuor elementa. Hęc ſunt argumenta, quæ difficultatem faciunt.

1. fund. quinque ſunt neceſſaria ad mixtionem. Attende aũt ꝙ ſi mixtio futura eſt, quinq; ſunt neceſſaria, mouẽs & cõiũgens: iſta elementa ad mixtionem, ſunt, n. in locis ſeparatis. Prętera efficiẽs, & generãs mixtũ, modus etiã quo fiat mixtio, locus, in quo fiat, miſcibilia quę miſceãtur, nã vel vno horũ deficiẽte, nõ fiet mixtio; ob id ſingula argumẽta ex oppoſito tẽdũt cõtra vnũ ex illis: primũ. n. ꝓbat deeſſe mouẽs: ſecũdũ deeſſe efficiẽs, tertiũ, & quartũ non eſſe modũ, reliqua duo auferũt locum, & miſcibilia. Quãobrẽ, vt hęc omnia ſoluãtur, & elucidẽtur, hęc quinq; ordine examinare oportet. Prius tñ aduerte, ꝙ ſunt duę opiniones notãdæ in hac parte, quę mixtionẽ auferre videntur: prima eſt quorundã, quã citat Hugo Sen. ſen. 1. doctr. 2. cap. 1. iſti dicebant, elementa nõ eſſe in mixto verè, ſed metaphoricè quia enim videm⁹ in his, quę mixta dicuntur, ſimiles eſſe qualitates ijs quas in elemẽtis experimur, ob id in talibus elementa eſſe dicimus, tamen verè non ſunt.

2. fund. duas eſſe opin.

1. opin.

Reijcitur 1. ſent. Hæc opinio dimittitur modo, tãquam aliena, & cõtra cõmunem ſententiam omniũm, cum non inuitatur rationi vlli.

2. opin. Altera opinio aliorum eſt, qui fatentur quidem eſſe in mixto elementa, dicunt tamen, quod nullũ mixtum fit immediatè ex elementis, niſi ex alio mixto, ſicut materia quidem in compoſito eſt, non tamen fieri poteſt aliquid ex iſta materia, niſi præceſſerit ſub alia forma, ita nil fieri poteſt ex elemẽtis puris, niſi ſub alia mixti forma præceſſerint.

Reijcitur 2. ſentẽ. Hæc autem opinio non eſt tenenda: nam quamuis id frequens ſit, vt fiant mixta ex alijs, quid tamen prohibet fieri poſſe aliquid immediatè ex elementis? Si enim eſt iſte ordo neceſſarius, vt vnum ex alio fiat, cum non ſit in infinitũ proceſſus, deuenire oportet ad aliquod, quod immediatè ex ipſis ſpẽ deat, nulli ergo ſit dubiũ, ex elementis poſſe fieri tertiũ aliquod.

Authoris ſenſẽ tia. Quod ſit mouẽs elementa ad mixtionem. Examinemus ergo, quod erit huiuſmodi mouens: reſpondet bene Alb. tract. 6. cap. 4. & libr. 20. de animalibus, tract. 1. cap. 8. vnde de ſumpſit S. Thom. in præſenti loco: quòd orbes cæleſtes ſunt primi motores elementorum ad mixtionem, quod etiam Ariſtot. inſinuauit. 1. Metheor. cap. 2. qui de his mixtis, quę in regionib⁹ inferioribus fiũt, volẽs tractare, ſtatuit hoc velut principiũ: oportere elemẽta eſſe cõtigua orbib⁹ ſuperioribus, vt inde poſſent gubernari.

Duo ſunt quib⁹ cæli mouere poſſũt elemẽta. Duo autem ſunt, quibus præcipuè orbes mouere poſſunt elemẽta ad mixtionem: alterum eſt calor, quo partes terræ ſubtiliores, quę exhalationes dicuntur, ſurſum eleuantur, & ex aqua ſimiliter vapores, vt notum eſt: alterum eſt frigiditas, qua aer & ignis denſantur, & deſcendunt aliquo modo, & ſic omnia conueniunt, aliquando

quando etiam ex radiorum refractione, in partibus quibusdam exhalationis, ignis fit: Vide igitur, quo pacto non desit naturale mouens elementa ad mixtionem, & in vnum coniungens locum. De efficienti autem dicamus. Attende autem, quòd mixta sunt in duplici differentia, quædam animata, quædã inanimata: de animatis certũ est, quod vis sola elementorum non attingit productionem mixti huius, sed necessaria est vis, & calor cæleſtis: vnde, quę ex putrefactione generantur animalia, nõ absque calore cæleſti generantur: vnde calorẽ viuentiũ cæleſtẽ vocat Arist. 2. genera. animalium. cap. 3.

Quid sit efficiens mixtiõis ac primo inmixti animat.

At de inanimatis non ita certum est, dico tamen, quòd secundum Aristot. in omnibus opus est virtute cæleſti, ob id solem cum causis particularibus agere omnia, docet, & cælorum motus esse omniũ causas: similiter metalla virtuti stellarum ttibuuntur: & hoc probabilius est, vt sit ista colligatio, & nexus horum inferiorum cum superioribus.

In mixtis inanim. virtus, quod sit efficiẽs mixtiõis.

1.

Dico tamen, q̃ non est omnino improbabile, dicere, quòd aliquod mixtum sola elementorum virtute fieri possit: licet enim singula per se imperfectiora sint, coniuncta tamen attingere possunt productionem alicuius perfectioris.

2.

Quis sit modus mixtiõis.

De modo autem mixtionis differre oportet: sunt autẽ iuxta sententias propositas tres modi: & auctores plures, qui quidem conueniunt, quòd miscibilia vsq; ad minima naturalia diuidantur, & singula minima sint iuxta alterius miscibilis singula, & se mutuò alterẽt, donec vna tertia resultet forma ipsius mixti tamen differunt: nam Auerroes dicit, quòd in singulis minimis sunt quatuor elementorũ formę, & qualitates refractæ, eò quòd singula minima ab alijs per mutationem recipiunt tres elemẽtorum formas, & alias qualitates: vt dum minimum ignis alteratur, ab alijs recipit formas aliorum elementorum refractas: & sic quælibet pars mixti est mixta absq; penetratione.

Tres sentẽtiæ de modo mixtionis.

1. *Aver.*

Auicenna aũt admittit alteratio nem, sed in solis qualitatibus quatuor, donec confundãtur istę quatuor qualitates, & fiat vna complexio, & insurgat mixti forma.

2. *Auic.*

S. Tho. hoc loco idẽ dicit, hoc superaddẽs, q̃ cũ qualitatibus etiam recedunt propriæ elementorũ formæ. Omnes igitur non ponunt penetrationem in materijs, quia iuxta positæ sunt, & forma existens in vno minimo alterat alterum, donec aduenies ipsa mixti forma, vna fiat materia continua; & resultet quęlibet pars mixta.

3. *med.*

Idẽ dicũt, alij, sed in hoc differũt, quòd dicunt, qualitates manere in esse refracto. Quod etiam asserit D. Thom. alijs locis supra citatis.

p. mixtio ne nõ ie ntiũtur d'n sio vs cq; ad minima.

Et hoc etiã nos dicimus, hoc vno ablato: crediderim, n. q̃ nõ est talis minimorũ diuisio sed quod diuisio quidẽ fit, sed nõ est opus, vt

sit vsque ad minima, sed vsque ad paruas partes: nam licet minima non sint, possunt tamen se inuicē alterare: imò credo, quod aliquæ sunt maiores, aliquę minores, quia subiecta miscibilia nō sunt semper vniformia, vt in ęquales possint diuidi partes, est igitur quælibet pars mixta, cum inqualibet tē peries, quatuor qualitatum firma, & mixti forma sint,

A quo fiat illa diuisio misc. bilis.

Petes à quo ista diuisio fiat: dico, q̄ miscibilia suo motu, quo vnum cū altero cōuenit, & sua actione se diuidū: quare autē magis in has, quàm in illas partes diuisio fiat, aliqui tribuunt inęqualitati, qua non vniformiter recipit cęlestē impressionē propter distātiā inæqualem. Tribui etiāpotest alicui difformitati ipsarum partium vel in se, vel in ordine ad aliud miscibile.

1. 2. 3.

De loco mixtionis.

Circa locū mixtionis, scito aliquādo in aere, aliquādo in aqua fieri, frequenti⁹ fit in terra: maior.n. terręportio in his inuenitur: tū difficultas est qa videtur violēta mixtio: qđ aliqui soluūt, dicētes, quod habet aliquid violēti, puta motum elemētorū extra locū propriū: tū qua parte mixti productio est, naturalis est: nā etiā illi motus naturales dici possunt, quatenus ab agēte vniuersali fiūt, & in mixti productionē tēdunt, ad quod ipsa elementa ordinantur ex natura sua.

Quę sint miscibilia.

Superest vt quintū examinem⁹. Attēde aūt, q̄ est duplex mixtio: prima, & secūda: Prima est, quæ immediatè ex ipsis fit elementis: Secunda, quæ ex mixtis fit. Si de prima fiat sermo, dico, qđ non est op⁹, q̄ semper formaliter cōueniāt oīa elemēta, sed sat est, q̄ ipsorum virtutes: fiunt.n. in terra mixta, & null⁹ fortasse ignis est formaliter, est tū calor, qui ipsius est virtus: & hoc modo cōcesit bene Scotus. 2 sen. d. 15. q vnica, quod ex vno elemēto fit mixtum aliquādo. & hoc est argumentū, quod in mixto nō sint elementa formaliter, sic enim in forma oportebat adesse: at intra aquas quomodo id fiet?

Quid requiratur ad primā mixtionē

Si verò fiat, mixtio secunda tūc miscibilia mutuò agunt, & patiuntur, sed per qualitates primas.

Quid requiratur ad secūdam.

Nota tū multū, quod istę qualitates alias virtutes, & effect⁹ faciūt, cū mixta miscētur, quā cū elemēta, quia in secunda mixtione sunt instrumenta formę mixti, quæ nobilior est, quā forma elemēti, ob id nobiliores facit effectus: sicut calor ignis, vt ab anima mouetur, nutritionis principium est, quod notauit Hugo sen. 1. doct. 3. cap. 1.

Nota.

Ad arg.

Ex his oībus patet solutio oīum argumētorū, & qōnis elucidatio.

Tria īnt in mixtione.

Vnū tū nota, q̄ in mixtione tria sunt, & diuisio miscibiliū partiūq̄; cōtiguatio, & mutua alteratio, & tādē acquisitio formæ mixti, partiūq̄; ac materiarū cōtinuatio, & mixtio, ꝓprie hoc tertiū est, quāuis aliquando alterationē etiā includat. Atq; hæc satis de Libri prioris huius enarratione.

FINIS PRIMI LIBRI.

IN LIBRVM SE-CVNDVM DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

CAPVT PRIMVM.

De mixtione igitur & tactu. Tex. 1.

Intentio Aristot.

INTENdit modo Aristot. de elemẽtis sermonem facere, quamuis enim in libro tertio, et quarto de Cælo, etiam de elementis disputauerit, id tamen non eadem ratione factum est, vt dicit Auerro. 3. cæli. com. 1.

Quare tractat hic de elemẽtis & non de cælo.

Elementa enim possunt bifariam considerari: & vt vniuersi partes, corporaque simplicia ad locum mobilia sunt, & vt generabilia & corruptibilia, corruptionis, generationisq; causæ alijs omnibus sunt: priori modo ad libros de cælo spectant: modo verò posteriori ipsorum est consideratio præsens.

Epilogus eorũ quæ tradita sunt in 8. lib.

De ipsorum igitur generatione primo tractaturus suam intentionem Aristot. proponit. Vt autem sermonem cum præcedentibus cõtinuet, epilogum eorum, quæ dicta sunt, facit, incipiens ab his, quę vltimo loco tractauerat. Dictum igitur est de mixtione, tactu, actione, & passione: dictum etiam est de generatione, & Corruptione simplici, id est, substantiali: de hac autem tria dicta sunt, quomodo est, puta permutationem totius in totum, nullo sensibili manente: præterea cuius est, est enim entis in potentia: præterea propter quã causam, scilicet propter materiã: dictum etiam est similiter de alteratione, & de hac duo alterũ quid est alterari. alterum, in quo differat vnumquodque, id est, quomodo differat à generatione.

Continuatio. 2. li. cũ primo

Continuat statim sermonem, vt post ista tractentur vocata elementa, id est, fiat disputatio de elementis, quæ communiter elementa vocari solent, subdit rationem, quare de his oporteat considerare, quia, inquit, talia sunt causæ generationis, & corruptionis omnium aliorum corporum naturalium. In qua ratione explicatur causa, & ratio formalis huius cõsideratio-

nis elementorum, vt diximus in principio.

Nota. Et nota, q nõ solùm ista verba sunt ratio, propter quam tractari debeat de elementis, sed etiam est principium quoddam tractationis, puta, quod elementa sint causæ generationis, & corruptionis corporum naturalium.

Horum autem subiectam materiam hi quidem. Tex. 2.

Elemẽta esse principiorũ. Elementa principia esse corporum aliorum sensibilium generationis, & corruptionis ostendit ex

Sentẽtia antiquorum. Antiquorũ sententia, qui ipsa ponebant; fuerunt enim quatuor sententiæ: quidam enim vnum principium elementum ponebant, scilicet ignem, aut aerem, aut corpus mediũ distinctũ ab vtroque: alij duo posuerũt: alij tria: alij quatuor ipsa elementa, vt Empedo. Hi autem omnes principia ponebant ipsa elementa, sed diuerso modo, qui enim plura dicebãt, hi ex ipsorum congregatione, vel separatione res corrumpi, vel generari dicebant: qui verò vnum, hi non congregatione, vel disgregatione ipsorum, cum vnũ esset, sed ipsius elementi alteratione, puta densatione, vel rarefactione dicebãt res fieri, aut corrumpi, omnes tamen elementa principia aliorum generationis, & corruptionis ponebant.

Quod igitur prima principia, & elementa. Tex. 3.

Elemẽta sunt aliorum corporũ prima principia. Colligit conclusionem ex præcedentibus, quòd manifestum est elementa verè dici aliorum corporum prima principia, siue per congregationem, vt dicunt ponentes plura, siue per alterationem, vt dicunt ponentes vnum: statim volens constituere ista elementa nõ absolutè ipsa esse prima principia sed adhuc habere principiũ prius

Duæ sen. veterum reprehẽduntur. 1. sen. reprehendit duas sententias, altera est illorum, quos superius dixit ponere vnum sensibile corpus separatum, & distinctum ab elementis quatuor, ex quo ipsa fierent, quod corpus vocat infinitum. i. indeterminatum. quia ponebatur separatum, & distinctũ ab alijs, hos reprehendit, qui in hoc errabant, quòd principium elementorum faciebant corpus actu, & sensibile. Tale enim debet esse, aut calidũ, aut frigidum, aut aliud tale: & sic coincidit cum vno ex elementis, aliter nõ esset sensibile, oportebat aũt tale ponere vt non esset actu sensibile corpus, sed potentia, vt fecit Arist. & Plato.

Vt autem in Timæo scriptum est. Tex. 4.

Altera sententia. Altera sententia, quã reprehendit, est Platonis, qui materiã quidem posuit elementorum, & actu incorpoream: at in quatuor taxatur ab Arist. Primo, quod non ex plicuerit, an tale principium sit separabile ab elementis: an sit nec est sario coniunctum cum illis.

Quatuor errata sẽ cũdata. Secũdo, quia nõ vtitur hoc principio in suis disputationibus, sed dixit, materiam esse priorem ipsis elementis, ex ipsaque esse, sicut opera artificialia ex auro, quod

2.

prius

prius est operibus: tamen postea non amplius recurrit ad ipsam, ac si non esset.

3. Tertio etiam in hoc reprehenditur, quòd aurum prædicari veiissimè dicit de ipsis operibus, vt statua est aurum, ita etiam materia de elementis: at aurum nō hoc modo dicitur de statua, scilicet statua est aurū, sed aurea: subiectum enim alterationis prædicatur, vt corpus est album, vel albū est corpus: at quod generatur, non sumit à materia appellationem: rationē huius docet Arist. 7. Metaph. tex. 26. quia cum subiecti fit mutatio aliqua, tunc non absolutè prædicatur, sed denominativè, vt cū aurū fit statua, precedit quædā auri mutatio, excauantur enim partes aliquę, ob id statua aurea dicitur: simiiliter homo terreus, quia terra mutatur: materia etiam precedit priuationem, & alteram contrariā formam: non igitur tales propositiones concedi illo modo debent.

Sed elementis existentibus.

Tex. 5.

4. Reprehenditur quartò Plato, quia videtur, materiam facere superficiē quod est impossibile: & ratio est, quia elementa ipsa, quæ sunt solida corpora resoluit vltimo vsq; in superficies: at materia, id est, in quod vltimo corpus resolui, debet: videtur igitur posuisse materiam esse superficiem.

Reprehensio autem huc tendit, quòd cùm posuisset materiā primum principium elementorum, debuisset elementa in ipsam resoluere, & non in superficies: & sic non vtitur principio, quod posuit, vt superius expositum est.

Nos autem dicimus aliquam materiam. Tex. 6.

Suam modo sententiā explicat, de elementorum principio: dicit, quòd principium est materia ipsa & non corpus aliquod actu: at ista materia non est actu separata, vel separabilis ab omni forma, sed semper est cum contrarietate, id est, cum formis, & qualitatibus oppositis, de quo dixit, se alibi dixisse capit. 3 & 4. de cęlo, exactius, id est, latius. *Sententia Arist. de principijs elementorū non esse corpus actu sed materiā.*

Sed tamen quoniam & hoc modo sunt.

Cum dixisset, elementa habere principium, scilicet materiam inseparabilem à contrarietate, dicit, quòd de ipsis elementis sic oportet loqui, & tractare, vt non ipsa principia prima existimemus, ab ipsisque statim incipiamus, sed primum constituamus esse vnum primū principium ipsorum, actu inseparabile à qualitatibus, & formis contrarijs. *aliquod esse principiū elementorū inseparabile ab eorū formis, qualitatibus actiuis.*

Ostendit autem obiter quòd sit materia distincta à contrarijs, quia vnum contrarium non subijcitur alteri, vt calor frigiditati, vel è cōtra, sed vnū tertium opus est esse, quod vtrique subijciatur: vnde colligit quod materia est primum principium, cùm ipsis subijciatur contrarijs: & materiā vocat, quod ea prima est *Materia est distincta a contrarijs & eis subijcitur & est potentia sensibile corpus, elemento primum*

est in potentia sensibile corpus: post materiam secundum locum obtinent ipsa cõtraria, puta calor, frigiditas, & reliquę: post has sunt ipsa elementa.

Nota q̃ elementa sunt principia corporum.

Vide igitur, q̃ elementa sunt quidem principia aliorum corporum, sed tertio loco: nam materia, & cõtrarietas sunt principia priora. Et attende, quod loquitur de principijs nõ solùm essentialibus, sed etiam productiuis, quales sunt qualitates: vnde non mihi placet Philop. qui per qualitatẽs hic vult intelligi ipsas elementorum formas: non enim hoc est necessariũ, sed prorsus ipsa accidentia intelliguntur: quod si in secũdo loco ponuntur, id fit, quia sunt dispositiones antecedentes, & disponentes materiam ad elemẽta ipsa, & sunt etiam ipsorum elementorum productiuę, & causa.

Incipit agere de qualitatibus secũdo loco numeratis, relictâ materia, de qua antè dictũ est

Aduerte etiam, quod cum secũdo loco qualitates numerasset, ab ipsis incipit disputare, omissa materia, de qua dictum est iam: est enim ipsa omnibus communis.

Ideo autem docuit, elementa principia habere, vt à talibus inciperet principijs, & causis prijs ipsorum, quę formę, & ipsorum qualitates sunt, vt patebit sequentibus textibus.

Hæc enim transmutantur in se inuicem.

Qualitates secundo loco esse principia corporum.

Ostendit, vt exponit Philop. quòd secundo loco sunt principia qualitates, & non ipsa elementa: ratio autẽ potest ista esse; Quod minus trãsmutatur, magis est principium transmutationis: at minus transmutantur ipsæ contrariæ formę, quam elementa, non enim vnum contrarium transmutatur, & fit alterum, vnum autem elementum mutatur in alterum: ergo maiorem rationem principij obtinẽt qualitates, & formæ.

Reprehẽditur Emp.

Reprehendit Empedoclẽ, quia dixit, elementa nõ mutari inuicem, dicens, quòd nisi essent mutabilia inuicem elementa, non esset alteratio: alteratio enim in mutationem tendit.

Ordo & modus disputationis sequendus.

Colligit ex hoc ordinem, quod ab his incipere oportet, & determinare, quot, & qualia sint principia, vt corporis principia sunt, & hoc ratione ostendere: nõ sicut alij, qui dicunt, sed non probãt, quare hę qualitates sint principia, & nõ aliæ: quare tot, & non plures: nos verò ratione ostendemus.

Dubium.

Dubitabis, quare potius ignis dicitur trãsmutari in aquam, quam calor in frigiditatem.

Solutio.

Dico, quod nihil caloris fit frigiditas, aliquid tamen ignis, scilicet materia fit aqua, vt notum est.

CAPVT II.

Quoniam igitur quærimus sensibilis corporis. Tex. 7.

Discur. a quo incipiat qualitates.

EGregia methodo inquirit quę & quot sint qualitates, quæ principia sunt corporũ sensibiliũ: Primo. n. cõstituit, q̃ debet esse corpus hoc, cuius principia quęrimus, ponitq̃; ipsum esse tangibile: vnde cum dicitur, hic quæ

ri principia corporis sensibilis, intellige tangibile.

Dubium quale sit corpus cuius principia quæramus. Solutio. Cur quæ tãgibilia principia corpũ tangibilium

Sed dices, quare huius, & nõ alterius sensibilis est sermo?.

Dico, quia est vniuersalius reliquis omnibus, ipsaque cõprehendit: nam omne odorabile est tangibile, nõ autem contra: similiter omne visibile corruptibile, & omne gustabile, ac odorabile, non è contrà: & ratio est, quia aliorum sensuum obiecta sunt mixta tantùm, at tãgibilia sunt mixta, & elementa: ob hoc quærimus principia tãgibilis: quę enim fuerint huius principia, vniuersaliter erunt principia corporis sensibilis.

Quomodo dignoscamus principia corporis tangibilis quæ sint talia

Constituit secundo Arist. quomodo dignoscemus principia tangibilis corporis, vt tangibile est: docetque regulam esse sensum tactus, qualitates .n. quas tactus dignoscit, inerunt corpori, vt tãgibile est. Ex quo infert, quod aliorũ omnium sensuũ qualitates nõ faciũt principia, & formas sensibilis corporis, sed solum contraria tangibilia: excludenda ergo sunt ab hac ratione contraria aliorum sensuũ, vt albedo, nigredo, dulcedo, amaritudo, & aliæ huiusmodi.

Occurrit obiectioni.

Statim respondet obiectioni. Posset dicere quis, visus est prior tactu, ergo eius obiectũ prius est obiecto tactus, & sic sunt colores qualitates primæ. Respõ. quòd licet ita sit, quòd visus sit prior, & color, tamẽ non insunt colores corpori, vt est tangibile, tunc enim essent primę causæ, & principia, nil ergo prohibet alia ratione esse colores natura priores.

Nota quomodo visus sit prior.

Nota; q hic dicitur visus prior nobilitate, & obiectum prius vniuersalitate, quia videmus astra, quæ non possunt tangi: & ex hac parte vniuersalius, & prius est visibile, tamen sub ratione tangibilium minus est vniuersale, quia multa sunt tangibilia, quæ non sunt visibilia, vt elementa. Prętereà tactus inest omnibus animalibus, non autem visus, quia ille est necessarius, & hac ratione prior est etiam tactus: est enim vniuersalior.

Ipsorum autem tãgibilium diuidendũ.

Tex. 8.

Cum qualitates tangibiles principia esse sensibilis corporis dixisset, constituit tertio diuisionem omnium: nam quę absolutè inter has fuerint primę, erunt principia sensibilis corporis.

Septem contrarietates quas pertipit sensus tactus

Ponit ergo septem cõtrarietates circa tactum, ex quibus duas primas omnium probat, quia ad ipsas reliquę reducuntur, atque eas, vt principium sensibilium corporũ collocat: circa has igitur contrarietates tactus versatur, circa calidum, & frigidũ, siccum, & humidum, graue & leue, durum, & molle, lubricum & aridum, asperum & lene, crassum, & tenue.

Quæ qualitates sint reiiciendæ à numero primarũ tãgibilium

Ex his omnibus duas primas sumit, alias reijcit. Primo autẽ reijcit grauitatem & leuitatem, quia non sunt mutuò actiua, & passiua, nec alterant aliquid nec alterantur:

tur: at qualitates corporum sensibilium, oportet, vt sint actiuæ, vel passiuæ: & sermo est de alteratione: si enim non essent tales, non essent corporum principia: corpora enim per qualitates se mutuò alterare & miscere debent.

Calidum autem & frigidum & siccum.

4. Primæ qualitates sunt calidũ, frigidũ, humidũ & siccũ.

Ex ratione præcedente colligit hæc quatuor contraria, calidum, & frigidum, siccum & humidum, esse posse principia corpora, quia actiua, & passiua sunt, duo enim priora sunt actiua, duo verò posteriora passiua: quod ex definitionibus ipsorum probat.

Calidum enim est congregans homogenea, & similaria, vt patet in auro puro igni imposito: tunc enim partes auri coniunguntur ex parte vna, partes terræ ex altera parte.

Descriptiõ. 4. primæ qualitates.

Calor.

Notat autem, quòd si calor disgregat res diuersas, est, quia dum congregat res similares, separat illas à dissimilaribus, ob id disgregare dicitur heterogenea.

Frigus.

Frigidum autem est congregans dissimilaria, vt apparet in gelu, vbi lapides, paleæ, & alia simul coniungi accidit: sunt ergo ista actiua: nam congregare agere est.

Humidum autem quod interminabile est. Tex. 9.

Humidũ

Ex descriptionibus humidi similiter & sicci, ostendit ipsa esse passiua. Humidum enim est, quod suo termino interminabile est, facile, aũt alieno terminatur, vt patet in aqua, hęc enim spargitur statim, nec facile terminum ex se retinet, quẽ facile capit à cõtinente, adaptatur enim figuræ vasis.

Siccum.

Siccum autem è contra suo termino facile terminatur, alieno verò difficile, vt notum est: est igitur vtrumque passiuum: esse enim terminabile, vel interminabile, passionem notat.

Tenue autem, & crassum & lubricũ, &c. Tex. 10.

Cẽs qualitates primæ ad has omnes reducuntur.

Cum ostẽdisset, illa quatuor cõtraria esse actiua & passiua, nunc probat, quod omnia alia ad ipsa reducãtur: ex priori enim patet esse principia. ex posteriori autem probatur, illa sola esse principia, & nõ alias tangibiles qualitates: conatur ergo reducere illas alias ad has quatuor, reducitque primo tenue, & crassum ad siccum, & humidum. Primo quidem.

Tenue & crassum Nota.

Tenue ad humidum tali ratione: & nota, quod ratio est syllogismus, cùm prosyllogismo ponatur maiorem cum sua probatione, minorem rursus cum sua probatione, propter quod syllogismus videtur obscurꝰ, sed dilucidè iste est: Esse repletiuum est propriũ ipsius humidi, omne tenue repletiuum est, ergo est humidum: vel clarius, omne repletiuũ est humidum, tenue est repletiuum, ergo tenue humidum est.

Ratio.

Quid sit repletiũ

Maiorẽ probat: facile terminabile ab alio, & quod sequitur tãgẽs, id est, quod adaptat se, & vnit cum

tan-

tangente, est humidū: at illud est repletiuum, ergo hoc est humidū. Nota, q illud dicitur repletiuum: quod se imbibit cum altero, & velut cum altero se penetrat, sicut aqua terræ infusa, & oleum cum vestibus, & alia similia: probat minorem, q tenue sit repletiuum, quia est subtilium partium & minimarum: i. facilè in minutissimas diuidi potest particulas: & sic totum potest tangere totum. i. diffundere se per partes minimas alterius, & velut illas penetrare: reducitur ergo tenue ad humidum, vt particulare ad vniuersale. Quòd si hoc ad humidum, suum oppositum reducetur ad siccum: vt enim contrarium vnum cum vno, ita alterum cum altero.

Rursus autem lubricum quidem.

Text. 11. & 12.

Lubricū & aridum.

Reducit alia duo contraria, puta lubricum & aridum, ad humidum & siccum. Primò lubricum ad humidum, quia lubricum est quoddam humidum: est enim humidū aliquid passum. i. humidum commixtum cū subtili terreo, ex quo prouenit, q sit tenax, & vnctuosum, sicut oleum, & similia.

Eius autem oppositum, puta aridum ad siccum spectat eadem ratione: est enim quoddam siccū. i. valdè siccum, & quod tali humido vnctuoso est priuatū, q fit ex eo, quia calor extraneus resoluit humidū, & reliquas partes cōstringit frigiditas, & congelatum fit.

Amplius molle quiddā humidi. tex. 13

Molle & durum.

Alia etiam duo reducit, scilicet molle ad humidū, durum autē ad siccum: probat de molli, quia molle est quoddā humidum, quod in seipsum cedit, & non obsistit.

Nota duplex humidum. 1.

Aduerte ex 4. Metheor. cap. 4. esse duplex humidū, quorū vnum cedit alteri corpori, sed illud tale circunstat, vt aqua, si lignū mittas in eam, cedit, sed cedens ambit lignum, eiusque terminus se cōmensurat, & hoc non est molle.

2.

Alterum est, quod cedit quidem, sed suo se termino continet, nec circundat corpus, vt cera blanda, & alia, quę humidum habent aliquanto consistens, & hoc humidum molle dicitur.

Nota.

Hoc est igitur, quod hic dicitur cedere in seipsum, & non obsistere, & circundare: est igitur omne molle humidum, non autem omne humidum molle.

Reducitur ergo molle ad humidum: durum aūt est siccum quoddam: est enim congelatum, id est, tali humido priuatum: hoc enim vocabulum multiplex est, & varijs opponitur ex nominum propriorum defectu.

Dicuntur autem siccum, & humidum.

Text. 14.

Multimodi humidi & sicci.

Siccum, & humidum multipliciter dicuntur, nec in quacunque significatione sumuntur, cū dicuntur esse primæ qualitates, ob id Aristoteles ipsa distinguit, aliasq; significationes ad vnam primam reducit.

Humidū multi-

Aduerte autem, vt intelligas textum:

tum, quod tripliciter dicitur aliquid humidũ: vno modo non propria humiditate. i. ipsi inhęrente, sed humiditate alterius corporis ipsi cõiuncti: & hoc dupliciter cõtingit: vno modo, cũ sit in sola superficie exteriori, vt cum aqua superfunditur lapidi, & hoc dicitur
2. modo. vdũ, seu roratum: altero modo cũ talis coniunctio etiam fit in profundo, vt cum aqua imbibitur terræ, tuncterra dicitur hoc secundo modo humida, quod humidum di
3. modo. citur irrigatum. Tertio aliquid est verè humidum, quod propria, ac inhęrente sibi humiditate humidum est, vt aqua, & alia.

Siccũ tribus modis

Siccum etiam tot modis dicitur: nam cuique humido suum siccum opponitur per priuationem talis humiditatis: vult ergo Aristoteles, quòd humida duo ad tertium reducantur, quod vocat primum: & sicca etiam duo ad primum: & sic vnum est primum siccum, vnum primum humidum.

Omnia reducuntur ad vnum primũ humidũ, et primũ siccum.

Textus expositio.

In textu igitur probat, siccum, & humidum esse multiplicia tali ratione, quia sicco opponuntur humidum, & vdum, & humido opponuntur humidum, & congelatum: vtraque ergo sunt multiplicia, quia regula est topica, cui multa opponuntur, ipsum est multiplex. Statim tamen dicit, quòd hæc reducuntur ad primum humidum, & primum siccum: & facit rationem hanc: vdum, & irrigatum, quibus siccum opponitur, reducuntur ad primum humidũ, ergo etiam siccum illis oppositum ad primum siccum.

Et nota, q̃ est defectus vocabuli: nam duplex est siccum correspondens duplici humido. *Nota.*

Rursus autem humidum & congelatum. Tex. 15.

Ostendit hoc primum humidũ, & primum siccum, dicitq̃; humidũ primum habere propriã humiditatem in profundo: siccũ autem quod hac priuatur, dicitq̃ue siccum coagulatum, & hoc erit primum. *Quid sit 1. humidũ, & 1. siccum*

Quanuis est alia expositio, quę mihi magis placet, vt ponat aliud quartum humidum, & siccum ita, vt humidum hoc sit, quod mixtũ est, haberautem humidũ propriũ vt multa mixta humida, & hoc reducitur ad primum. i. ad simplex, quod est humidum primum: similiter siccum in mixto dicitur coagulatum, & hoc reducitur ad siccũ simplex, & elementare: sic igitur omnia tangibilia contraria reducuntur ad illa quatuor. *4. genus humidi, & siccitatis cundũ aliã expositionem*

Dices, quare nihil dicit de aspero, & leni? dico, q̃ notum est esse dura, & superaddere partium situ: asperum enim est durum habens partes prominentes, & inęquales: lene autem, durum habens partes ęqualiter prominentes. *Dubium. Solutio.*

Concludit quatuor esse primas qualitates, ad quas reliquę reducũtur, ipsę tamen nõ ad alias: non. n. reducitur calor ad humidum, nec ad siccum: nec similiter reducitur frigidũ ad illa duo, nec è contra. *Conclusio*

Quę-

QVAESTIO. I.

An quatuor qualitates sint elementorum formæ substantiales.

QVamuis elemẽtis singulis, vt dicetur inferius duæ insint qualitates primæ, tamen vna est, quæ prẽcipuè inest, & ei appropriatur, vt igni calor, aeri humiditas, aquæ frigiditas, terræ siccitas: & de his difficultas est: An quæque sit suo elemento substantialis forma.

1. Arg. Et videtur quòd sic. Primo ex Arist. tex. 7. vbi has principia, & formas corporum dicit esse: nõ ergo sunt accidentia: nam accidens non est principium substantiæ.

2. Secundò differentia est substãtia rei, cuius est differẽtia: at tales qualitates sunt elementorum differẽtiæ, ergo sunt ipsorum substãtiæ & formæ: cõsequentia est certa cum maiori: minor probatur ex Aristot. hoc libro. tex. 24. vbi differentias vocat has elementorum. Prẽterea ratione, quia per qualitates has mutuo differunt elemẽta.

3. Tertiò. Elementa secundum se sunt contraria: at non habent contrarietatem aliã, nisi in his qualitatibus, ergo istæ sunt ipsorum formæ, & per eas constituuntur: Maior est Arist. hoc lib. tex. 49. Minor, & consequentia per se patẽt.

4. Quartò, ea est forma, qua ablata, etiã res illa aufertur, at ablatis hisce qualitatibus, auferuntur elemẽta ipsa, etgo sunt ipsorũ formæ.

5. Tandem quinto: id quo aliquid producit, est forma: at elementa hisce qualitatibus producunt sibi similia, ergo sunt ipsorum formæ: si enim essent accidentia, cum per illas producant substantiam, imperfectum produceret perfectum, q̃ videtur fieri non posse.

In hac difficultate, est sententia, & opinio, quam sæpe Auerroes tribuit Alexandro: & videtur Alexander hoc sentire libro. de sent. cap. 4. de odore: etiam est cuiusdam Nicolai, vt citat Conciliator, differentia. 13. Hi asserunt qualitates has esse formas substantiales elementorum ita, vt non sit alia forma substantialis ignis, nisi calor, & reliquorum sua qualitas. Huius opinionis argumenta sunt facta in principio. Iandunus autẽ 4. Phys. q. 4. non credit Alexandrum fuisse huius sententiæ.

1. Sentẽ Alex.

1. cõclusio contra 1. sententiã.

Sed cuiuscũque sit, illa est absurda, & non est tenenda: & ponitur opposita conclusio. Qualitates hę non formæ substantiales elementorũ, sed virtutes, & passiones ipsorũ sunt superadditæ formis.

1. Ratio.

Probatur primo argumento, q̃ facit Auer. 8. Meta. com. 8. contra istã sententiam: quod vni est substantia, nulli potest accidens esse: at istæ qualitates sunt substantiæ elementorum: ergo nulli possunt esse accidentia: at constat esse accidentia in mixtis, & similiter in ipsismet elem. siccitas n. non est substãtia ignis cũ sit calor: ergo nõ possunt esse substantiæ: maior est Arist. 1. Phys. tex. 27.

Nota. Et aduerte, quòd loquimur de accidenti, quod diuiditur in prędicamenta nouem, quod aliqui vocant nominale: nam si sit sermo de accidenti verbali, ideſt, de prędicato, quod est extra rei naturam, potest aliquid esse accidens, & substantia: homo enim dicitur accidere animali, quia non est de essentia animalis, quòd sit homo at homo substantia est.

2. Ratio. Secundò substantia non est per se sensibilis, sed per accidens: sensus enim accidentium sunt primo perceptiui: at tales qualitates per se primo à tactu percipiuntur, ergo non sunt substantię.

3. Præterea tertiò. Formæ substantiales non suscipiunt magis, & minus: tales qualitates suscipiunt, vt notum est: non ergo sunt substantiæ.

4. Prętera quartò. Substantia non immediatè est operatiua, at tales qualitates immediatè operantur, non ergo sunt substantię: maior est Aristotelis. In prædicamento enim qualitatis constituit principia proxima operationum, vocatque potentias, vel impotentias. Præterea de sen. & sensibil. capit. 4. dicit, quòd ignis, & ista elementa non sunt actiua, & passiua, nisi vt contrarietatem habent: vbi ostendit, ipsum ignem, vel aquam non consistere in contrarietate: & nulli dubium est, esse talem sententiam contra Aristot. atque ideo abijciatur. Argumenta tamen soluamus.

Ad primum dico, quòd Aristoteles vocat istas qualitates principia nō essentialia, sed dispositiua, & productiua elementorum, vt in textu exposuimus. Ad.1.

Ad secundum respondet Auer Ad.2.
roes. 5. Physi. comm. 10. & Conciliator differē. 13. quòd sæpe differentię rerum occultę sunt, & accidentia illis maximè cōiuncta pro ipsis sumuntur, tāquam per ipsas formę indicentur, & hac ratione Aristoteles has vocat differentias elementorum: sed nō sunt primæ differentię, sed secundæ, & accidētales, primas tamen indicant.

Ad tertium dico, quòd elementa in sua substantia non sunt contraria sicut nec alię substantię inter se, sed ratione suarum qualitatum: & cōfirmo ex eodem textu, postquam Aristoteles dixit, elementa esse contraria, statim declarauit dicens, prout cōtingit substantiam substantię contrariam esse, ac si dixisset, illa contrarietas est in elementis, quę substantijs permissa est, scilicet secundum suas qualitates, & clarè hoc dixit hoc libro text. 22. vbi dicit, hęc esse contraria, quia passiones habēt contrarias. Ad.3.

Dices, causæ contrariorum con Obiectio.
trarię sunt: si igitur passiones contrarię sunt, & formę, quę sunt ipsarum causę. Dico, quòd illa maior, si in omni genere causę intelligatur, amplificari debet, vt sit sensus, causæ cōtrariorū aut sunt contrarię, aut diuersæ, vel causæ Solutio.

con-

contrariorum sunt contrariæ, vt patet re vera formaliter.

Ad 4. Ad quartũ respondet Auerroes. 8. Metaphy. comm. 5. quòd illud, quo primò ablato, aufertur res, est quidem forma, non tamen id, quo ablato non primò, aufertur res. Explico, abscisso, & ablato capite moritur homo, non tamen caput est forma, quia ipsius ablatio non aufert primò hominem, nisi anima, quam aufert capitis abscissio: ita ablato calore, aufertur ignis non primò, sed quia calor ablatus aufert ipsam formam: hoc idẽ dicitur de alijs elementorum qualitatibus, & primo in gradu remisso bene aufertur calor manẽte forma, & frigiditas, &c. in alijs elementis.

Ad 5. Nota qd sit agens princi. in actione. Ad quintum dico, quòd cum agit aliquid & est agens principale, puta suppositum, & instrumenta duo, vnum principale, & id est forma substantialis, & instrumentum secũdarium, scilicet qualitas & potẽtia, seu virtus, & est simile in nauta qui manu, & temone mouet.

Dico igitur, quòd non id, quo immediate agens agit, est forma substantialis, sed hoc est instrumẽtum principale, qualitas verò est instrumentum secundarium.

Nec inconueniens est, quòd imperfecti producat actione instrumentaria perfectum, si agit in virtute perfecti agentis, vt alibi dictum est, & hoc de præsenti quæsito sufficiat.

QVAESTIO. II.

An sint tantum quatuor primæ qualitates.

SEnsus quæstionis notus est, Aristo. enim quatuor tangibiles qualitates primas cõstituit, calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem. Difficultas igitur est duplex. An sit aliqua alia præter has, vel aliqua ex his superflue constituatur. Vtroque enim modo probabitur, non esse tantùm quatuor qualitates. Est igitur argum. primum. Motus est causa alterationis, & tamen motus non est qualitas reducibilis ad illas quatuor: ergo aliquod est aliud accidẽs principium primum operationis: consequentia videtur certa, loquor autẽ de motu locali: maior probatur primo ex. 2. cœli. text. 42. vbi dicitur, quod motus est aptus calefacere lapides, & ignire ferrum.

Duplex difficultas in hac quæstione.

1. Argu.

Præterea sect. 5. problem. q. 34. dicitur, quod flatus refrigerat feruentes ollas. & aer motus infrigidat: ob idque minus calefieri, qui ad solem deambulant, quàm qui stant: illi enim excitant spiritum, & ventum, qui infrigidat: ergo motus alteratiuus est, calefacit enim, & frigefacit.

Præterea secundo: lux est qualitas prima, imo prior illis quatuor, hæc enim cælestis est, at lux alterat corpora ista, calefacit nãque & aliquando generat ignẽ: sunt ergo aliæ præter illas qualitates.

3. Tertiò, sunt etiã virtutes in rebus

hisce alteratiuę, vt patet in herbis, lapidibus, & alijs, quæ non ex elementis posse prouenire videntur, sed ex cælis: sunt igitur aliæ primæ qualitates.

4. Quartò videtur diminutus Aristot. in probãdis his qualitatibus: non enim meminit rari, & densi, quæ quidem contraria sunt circa tactum.

5. Præterea quintò, ex alia parte videntur esse pauciores: nam calor, & frigiditas faciunt, quod alię duæ faciunt, ergo superfluunt siccitas, & humiditas: consequentia videtur bona: sed probatur antecedens ex Aristotel. 4. Methcor. in principio, vbi dicit, quod calor, & frigus exsiccant, & humectant, & indurant, atque mollificant, qui effectus sunt aliarum duarum qualitatum.

6. Præterea sextò, in vno genere vnum est primum, ergo in genere qualitatis vna tantùm erit prima, non igitur sunt quatuor.

Ex quibus pendeat tota difficultas.

Huius difficultatis elucidatio tota pendet ex intelligẽtia eorum, quæ Aristotel. dicit circa has qualitates: ob id hoc primum est explicandum.

1. fund. qualia principia inquirat Aristot.

Aduerte igitur, quòd Aristotel. inquirit principia, & qualitates, quæ sint primæ causæ cuiusque transmutationis sensibilis: tales autem qualitates deberent habere quatuor conditiones. Prima

4. conditiones. 1. qualitatum.

est, quod essent vniuersales, ideſt, quòd essent tales, vt essent causæ cuiusque sensibilis mutationis, & non huius esset, alterius non.

1. Secunda est, quòd essent simplices, ideſt, primæ, quæ non penderent ex alijs: iam enim non essent vniuersales causæ: si ex aliorum antecedentiũ mutatione dependerent.

3. Tertia, quòd essent actiua vera actione, scilicet alteratiua, & corruptiua: aliter enim non essent causę transmutationis substantię.

4. Quarta, quòd sint mutuò actiuę, & passiuę, ideſt, agant cũ contrarietate: sic enim poterunt mixti causa esse, nisi enim repassiuę essent, tunc corpora per illas qualitates in mixtionem venire nõ possent: & sic non essent causę mixtorum mutationis: debent ergo agere cum contrarietate.

2. fund. qua methodo vsus sit Ar. in inuestigãdis qualitatibus

Aristot. igitur ad indagandas tales qualitates optima vsus est methodo: obseruauit enim qualitates mutuò actiuas, & passiuas sensibiles, reducitque illas ad corpus tangibile, vt tãgibile est: nam quæ fuerint causa talis corporis, erunt vniuersales causæ transmutationis omnium sensibilium: nam reliqua omnia tangibilia sunt, non autem è contrà, vt explicuimus in textu.

Vlterius adhuc constitutis his tãgibilibus indagauit, quę inter has sint primę: nam hæ erunt absolutè primę, & sic reducit illas omnes contrarietates ad duas. Vnde notum fecit, hasce qualitates esse quatuor propositas.

Hinc fit, non esse mentem Arist.

negare

Nō negat Arist. esse alias qualitates actiuas.

negare absolutè esse alias qualitates actiuas, sunt nāque. Similiter nec negare esse qualitates alias alteratiuas: sunt enim, vt patet de lumine, q alterat: similiter de qualitatibus virtualibus, vt patet de calore virtuali vini, & alijs virtutibus alteratiuis: hę enim agunt, sed absque cōtrarietate, vt notum est: at sermo Aristot. de agentibus cū contrarietate, & primis qualitatibus procedit.

1. *cōclu.* Sit autem pro maiori huius dilucidatione prima conclusio. Aliquæ sunt qualitates actiuę, sed nō dicuntur primę, quia non agūt actione propriè alteratiua, & tendente in mutationem rei Hæc cō clusio patet: colores enim, odores, sapores & soni agunt in suos sensus, quorum obiecta sunt imprimuntque species, & sui similitudines, non tamen corruptiua actio est, nec est cum abiectione contrarij.

2. Secunda conclusio. Aliquæ sunt qualitates verè alteratiuæ alteratione corruptiua, tamē primæ non sunt, eò quòd tales virtutes ex mutatione illarum primarum processerunt, vt patet de virtute vini, aceti, & multorum aliorum mixtorum, quæ vsum medicamentorum prębent.

3. Tertia conclusio. Sunt etiam simplices qualitates verè alteratiuæ, & priores his quatuor: tamen non mutant harum numerū, quia non cum contrarietate agunt: patet de luce, & lumine, & cælorum motu, & aliorum etiam corporum, quæ verè alterant.

4. Quarta conclusio. Præter has qualitates alteratiuas, quæ in mixtis sunt, à primis elementaribus prouenientes, existimo esse alias ex virtute cælorum influxas, nec oppositum possum mihi persuadere. Sunt enim virtutes in his rebus adeò mirabiles, vt elementorum viribus tribui non possint, quis enim virtutem seminis formatiuam tribuet elementis, cùm animal longè excedat ipsa, similiter alię sunt virtutes rerum circa effectum mirabiles, quę profectò ex cælo dependent.

1. Ratio.

2. Ratio.

Prętera, quis sibi persuadet, corpus nobilissimū, quale est cælum, nihil agere in his inferioribus, nisi lumen, & per lumen calorem: cùm Aristot. 1 Metheor. dicat, omnia ista à cælo cum virtute gubernari, & ait quòd Sol & homo generant hominem. Vndè fit, quòd multi effectus ex varijs cælorum motibus, & astrorū aspectibus, in his inferioribus proueniāt, & cæli non solùm lumine, & motu, sed etiam alijs virtutibus occultis agant, quę influentię dicuntur, quod docet. S. Tho. 2. cæli, super textum. 42. & Albertus Magnus vbique, & Conciliator. differ 60. Marsil. Alb. quęst. prima, & Paulus Venetus. 1. Metheo. capite primo, & alij plurimi, prętera quosdā Modernos, qui id negant absque ratione vlla.

Nota de actione cæli, & influentijs.

Authores pro influentijs.

Argum. pro influentijs

Et quāuis hoc alibi sit tractandum,

dum, hoc vnico vtar argumento: cæli enim infrigidant inferiora ista, vt notũ est, & alias qualitates inducunt: has autem præstare non possunt lumine, & motu, ergo alia virtute operantur: maior est certa minor probatur, si enim lumine id facerent, maximè lumini lunæ id concederetur, vt ipsi dicũt: at hoc manifestè est falsum & contra Arist. 4. de partibus animalium. ca. 5. qui dicit noctibus æstiuis in plenilunio plus vigere calorem, quia maius lumẽ est: & dicit, quòd exanguia animalia tunc pinguescũt ob maiorem calorem, quãuis par alimentum sumant: vide clarè, tale lumen calefacere.

Excluditur solut. Auer. Nec valet, quod dicit Auerroes 2. cæli, comm. 42. quòd per accidens infrigidant, & humectant cæli, q̃ merito reprehendit S. Tho. illic: cæli enim causæ sunt vniuersales, & per se: & præterea, quia si illa per accidens fiunt à cælo, oportet dare causam, à qua per se fiant, quam non dabit quis: per se igitur operantur: & hoc etiam iuxta vt expositum est.

Not. effectum per accidens respectu vnius vnius causæ esse per se alterius. Aduerte autem, effectum per accidens respectu vnius causę esse per se alterius. vt si nauta non per se est causa submersionis, dãda est causa per se scilicet vẽti, & si quid infrigidat per accidens, dabitur infrigidans per se, quod igitur erit, nisi vel lumen, vel virtus cæli, cũ ipsum infrigidare dicatur?

Ad argumẽta igitur oportet respõdere

Ad. 1. Ad primum, quãuis admittere-mus, motum per se agere calorem, & frigiditatem, non id esset cõtra Arist. non enim ageret cum cõtrarietate, & repassione.

Dices tamen, vt melius intelligatur, quomodo motus agat: dico, quòd motus non per se, & immediatè calorem facit, sed quia inducit dispositionem, ad quam sequitur calor: quod docet Albe. Mag. 12. Meta. cap. 8. motus enim confricat, & cõterit partes, inducitque quandam raritatem, ad quam sequitur calor. *Nota quomodo motus causet calorem.*

Nec est inconueniens, vt dicit Paul. 1. Metheor. cap. 1. quòd raritas, quę solet sequi calorem, sit dispositio aliquando antecedens ipsum calorem: at quia motus illam raritatẽ per se inducit, dicitur per se causa aliquo modo caloris.

Quãuis in viuentibus motus sit causa caloris alia ratione, quia excitat spiritus animalis calidos, ad alias que trahit partes: spiritus tamen ipsos illa via calefacit.

Non sic tamen motus est causa frigiditatis, sed per accidens, quia applicat aliud frigidum, quod docet Arist. Sect. 26. Problem. q. 56. vbi quęrit, quare flatus cum sit calidus, infrigidat: & respondet primò, quòd non quicunque flatus id facit, sed qui emittitur, cõpresso ore: qui enim emissus est, expãso ore, calefacit: dicit autẽ, quòd ille, qui est emissus ore compresso per accidens infrigidat, quia mouet aerem frigidũ versus rẽ infrigidandam: & dat signum, quòd si *Nota quare motus aliquãdo flatus, cũ sit calidus frigefacit.*

corpus

corpus sit propriè, & approximatum ori, tunc calefacit quicunque flatus: vide ergo motum infrigidare, quia per motum applicatur infrigidans.

Caus. duæ. Nota ergo, quod sunt duæ causę, quare spiritꝰ, vel flatus infrigidat res calidas. Altera est, quia mutat aerem contiguum rei calidæ, qui ob vicinitatem calidus erat, inducitq́; semper aerem frigidiorem.

2. Altera causa est, quia motus condensat aeris partes, vt magis infrigident rem: condensata enim fortius agunt, & ob hanc causam vera quę manus immissa aquę magis infrigidatur, si digitis motum aquæ faciat.

Ad. 2. Ad secundum dico similiter: ꝙ lumen nō agit cum repassione: & sic nihil est contra Arist.

Quomodo lumē calefacit Dices tamen, quomodo lumē calefacit, respondet Alb. Mag. 2. cæli, tract. 3. ca. 3. quòd non essentialiter, sed quia mouet partes, & conterit, sicut motus: sed hoc nō mihi placet, quia calefieri experimur res absque tali cōtritione, nec motu partium: præsertim, quia nō est certum, an lumen recipiatur in ipsis corporibus opacis, an in solo aere: quòd si non recipitur in illis, nō poterit conterere.

1. Modꝰ reijcitur

2. Modꝰ verus. Dico igitur, quòd immediatè, & seipso inducit calorē, sicut calor ipse nec est causa, quare id nō ita fit.

Ad. 3. Ad tertium dico iã, ꝙ non negamus tales qualitates, sed nihil contra Arist. vt explicatum est.

Ad. 4. Ad quartum Alexand. dicere videtur, ꝙ rarum reducitur ad leue, densum ad graue. Contra hoc replicat Auerroes: nam vinum rarū est, non tamen leue, & nubes densa est aliquando, non tamē grauis.

Ideò dicit ipse, quòd non numerantur ista duo, quia nō sunt actiua: & hoc forsan fuit, quod intēdit Alexan. dicēs, reduci ad graue, & leue, idest, non esse actiua, & passiua, sicut nec graue, & leue, & eadem causa excludi à ratione primarum qualitatum.

1. Solutio rejicitur.

2. Solu.

Ad. 5. Ad quintum dico, quòd calor, ac frigiditas, & infrigidant, & calefaciunt per se, sed nō sic exsiccāt, vel humectant, sed per accidens: exsiccat enim calor, quatenus resoluit humidum, & relinquit partes siccas. v. g. exsicat terram madidam, quia partes humidas resoluit, & separat in vapores: relinquit autem siccas: similiter frigiditas humectat, quia partes humectantes exsiccat, vel applicat & vnit: non tamen per se producunt siccitatem vel humiditatem, sicut humiditas, & frigiditas: de hoc tamē dicemus 4. Metheor.

Ad. 6. Ad sextum dico, ꝙ istę non dicūtur qualitates primę in essentia, et substātia generis, sic enim vna est in quoq; genere perfectissima: sed dicuntur primæ, comparatione facta ad alias qualitates in causalitate: & quia omnes hæ quatuor non pendent inuicem in causando, primæ dicuntur, quamuis si in perfectione absoluta fiat collatio, vna sit prima. Hęc satis.

QVAESTIO. III.

An inter has qualitates, duæ sint actiuæ, duæ passiuæ.

Quæstionis occasio.

DIfficultas hæc proposita est propter Arist. qui tex. 8. duas harum tantum, dicit esse actiuas, scilicet calorem, & frigiditatem, duas verò passiuas, siccitatẽ & humiditarem, quod idem docuit. 4. Metheo. in principio: cõmunis tamen sententia est, has omnes esse actiuas.

Sensus quæstionis.

Ob cuius maiorem explicationem est titulus explicandus: dupliciter enim aliquid potest dici actiuum vel passiuũ: vno modo, vt subiectum, & totum, quod agit, vel patitur: & sic notum est, qualitates non dici, agere vel pati: altero modo, vt principium, quo fit actio, vel passio, quod alij dicunt pati terminatiuè: & sic qualitas dicitur actiua, quę est principiũ, quo res agit, & passiua, quia est principium, quo subiectum patitur.

2. concl. omnes hę quatuor qualitates sunt primo actiuæ.

Sit igitur prima conclusio. Omnes hę quatuor qualitates sunt primo actiuæ: explico, voco actiuas has, quia similes sibi in specie producunt, quod alijs non est concessum: non enim albedo albedinem facit, nec dulcedo dulcedinem: dico etiam, esse primo actiuas, quia seipsis operantur: reliqua enim operantur, & alterant, sed per has.

Qualitates sunt in triplici gradu.

Vnde sunt qualitates in triplici gradu, vt notat Conciliator differ. 60. istę primę, quę seipsis sibi similes faciũt: alię secundæ, quę ex his consequuntur, sed non proueniunt ex primarum omnium mixtione, vt raritas, densitas, leuitas, grauitas, quæ sequuntur alias quatuor sed non omnes simul: sunt aliæ tertiæ, que ex primarum omnium mixtione proueniunt, vt colores, odores, & sapores, & aliæ similes. Hę autem tam secũdæ quã tertiæ per primas operantur.

probatur cõclusio.

Probatur igitur cõclusio scilicet illas quatuor esse actiuas: & probatio erit de siccitate, & humiditate: de his enim extat dubium. Est primum argumentum: siccitas, & humiditas sunt propria, & prima cõtraria, vt notum est, ergo sunt nata mutuò se expellere ab eodẽ subiecto: hæc enim est contrariorum natura, quod si perse se expellũt mutuò, actiua necesse est esse.

1. Ratio

2. Ratio

Præterea secundo: symbola elementa se mutuò possunt transmutare, vt dicit Aristot. 2. gene. text. 25. puta aqua, & terra, ergo necesse est, quod agant secũdum humiditatem, & siccitatem, nam frigiditas communis est eis, similiter de aere, & igne, sunt igitur actiuę hæ qualitates.

3. Ratio

Præterea tertiò, experientia patet, res enim positę in loco humido putrescunt, quod non fit, nisi quia humiditas agit, & rei calorẽ extinguit.

4. Ratio

Patet etiam hoc ex medicamentis, applicantur enim humida siccis, & sicca humidis, sunt igitur actiua hæc.

Secunda

2. Conc. inter 4 qualitates calor est maximè actiuus.

Secunda conclusio. Inter has qualitates, calor est maximè actiuus. Hoc duplici ratione constat: altera est, quia resoluit mixta fortia, vt lapides, metalla, & alia quę alię qualitates non ita resoluere possunt: altera est ex sphęra maiori, nã sumpto calido, & frigido, ad maiorem distantiam se diffundit calidum, quàm frigidum, quod arguit actiuitatem eius maiorem.

1. Ratio

2. Ratio

3. Conc. inter se differunt he qualitates quatuor nec ad se inuicem reducũtur.

Tertia cõclusio: qualitates istæ quatuor inter se differunt: nec inuicẽ sunt reducibiles: duplici via hęc cõclusio potest comprobari, qua Philosophi vtuntur sæpe ad distinguendas res, & accidentia inter se. Altera via est, separatio subiectorũ: experimur enim, siccum aliquando esse cum frigido, & sic non esse calidum, puta in lapide & terra: aliquando etiam experimur, siccum esse cum calido in igne, & sic non esse frigidũ: similiter humidum esse cum frigido in aqua, & sic non esse calidum: aliquando esse cum calido, vt in aqua calefacta, & sic non esse frigidum: duo enim contraria simul esse nequeunt.

1. Via qua probat cõcl.

2. Via.

Altera via est ex actione, quia nõ potest calori tribui exsiccare, quia humectat ceram, nec minus possum⁹ tribuere humectare, quia exsiccat lutum, similiter nec frigiditati possunt ista tribui: oportet ergo alijs hęc concedere qualitatibus: idem oportet dicere de calore & frigiditate: calefacere enim non potest tribui humiditati, nec siccitati: similiter & frigefacere. Hinc constat esse quatuor qualitates primò actiuas.

Ad loca Aristo. dicit Marsil. & Albert: quod ob hoc vocantur siccitas, & humiditas passiuę, quia minus agunt: sed profectò hoc dici non potest, nam Aristo. non probasset ex ipsarum definitionibus passiuas esse.

Ad loca Arist. opposita.

1. Solutio reijcitur

Dico igitur, quòd non dicuntur passiuę, eò quod mutuò nõ agant: certum enim est agere, sed quòd in mixti substantia passiuè se habeant, quod est dicere: cum cõueniunt, sicca, & humida ad mixtũ, calor est, qui siccas partes cum humidis copulat coquẽdo, & digerẽdo, frigiditas autem coagulat, & consistentiam præbet illis partib⁹, & illa duo passiua sunt: sed de hoc alibi dicetur.

2. Solutio verior

CAPVT TERTIVM.

Quoniam autẽ quatuor elementa sunt.

Tex. 16.

Prima qualitates applicãtur elementis.

NVmero qualitatũ primarũ constituto ipsas elementis applicat: ac optime correspõdere ipsis probat: dicit igitur, quod ex quatuor illis qualitatibus sex possunt combinationes fieri, quarum duę consistere non possunt, reliquę igitur erunt quatuor: constat ergo quòd cum tot elementa sint, correspõdet qualitatũ ratio numero elementorũ, & elementorũ etiã numerus constat secundum rationem harum qualitatum.

Cõbinationes sunt istę, calidũ, cũ frigido, humidum cum sicco, & hæ duę esse non possunt: nõ enim contraria simul sunt: erunt ergo aliæ, scilicet calidum siccum in igne, calidum humidum in aere, frigidum humidum in aqua, frigidũ siccum in terra, non enim ista pugnant, sed simul se patiuntur.

Nota. Et nota, quòd non prę cipuè demonstrat elementorum numerũ, sed supponit illum notum, ac ipsi applicat qualitates, quamuis etiã posset per ipsas probari, vt dicemus.

Omnes enim qui simplicia corpora.

Tex. 17.

Quid senserint veteres de numero elemen. Quid Antiqui circa numerum elementorũ senserint, explicat, ac ipsos primo in quatuor diuisos sentẽtias dicit, quidam enim vnũ, quidam duo, quidã tria, quidam quatuor posuerunt, nec numerus iste auctus est, nisi ab his, qui infinita principia fecerũt: has autem sententias singulas explicat. In omnibus enim hoc est commune, vt sint contraria aliquot prima. Qui vnum ponunt elementum, ipsum, vt subiectum ponunt: & duo formalia constituunt, id est, rarum & densum, seu calidum & frigidum, quę raritatem vel densitatem faciunt: & per talia duo principia ex vno fieri omnia dicunt.

Qui autem mox duo faciunt.

Tex. 18.

Sententia Parme. Explicat sententiam Parmenidis, qui duo ponebat principia, scilicet ignem & terram, reliqua verò duo dicebat, ex his esse mixta, scilicet aerem, & aquam: vnde aliquo modo quatuor elementa posuit, similiter & contrarietatẽ. *Nota.* Nota, quod diximus. 1. Physic. quod Parmeni. habuit opiniones duas, alteram vulgarem, vt vulgo condescenderet, & talis fuit ista sententia: alteram propriam, quam sapientibus manifestabat, talis fuit, quod erat vnum principium immobile, vt dictum est.

Similiter autem & qui tria dicunt.

Tex. 19.

Sententia Platon. Explicat sententiam Platonis, qui in libro inscripto de diuisionibus posuit tria esse elementa, & principia. vnum autem horum dicit esse ex mixtione extremorũ: vnde conuenit cum Parmenide, qui posuit duo principia, in hoc, quod vterque posuit medium cõstare ex extremis: at Plato vnum posuit tale medium, Parmenides verò duo, scilicet aerem, & aquã. Circa declarationem Platonis lege Philoponum.

Statim ponit sententiã Emped. *Sententia Emped.* qui posuit quatuor elementa. Iste enim sic posuit quatuor, vt vnã solam contrarietatem in ipsis constitueret: dixit enim, aerẽ, aquã, terram igni opponi, & ignẽ solũ his omnibus simul, propter magnam ignis ipsius actiuitatem.

Non est autem ignis & aer & vnum quodque. *Tex.* 20.

Quatuor theoremata de elemẽtis Quatuor theoremata circa ista elementa cõstituit: primũ est, ista ele-

Primum hæc nostra elementa nō sunt pura.

elementa esse mixta, & non esse simplicia: non enim iste ignis est simplex ignis, sed similis simplici, potius est substantia ignea: similiter de alijs elementis.

Nota. Nota quod vocat elementa esse mixta, non quòd sint mixta, sicut lapis vel ligniū, sed impura, id est, coniuncta cum qualitatibus aliorum elementorum: hoc enim modo frequenter se habent elemēta, vt dicitur. 1. Metheor. cap. 4.

Nota. 2. Nec ob id intendit negare, quòd sit possibile esse purū elementum vel quòd nullibi reperiatur purū, sed solum docet, quod impura cō tingit esse elementa.

Ignis autem est superabundantia.

Tex. 21.

Qualia sint elementa pura. Declarat qualia sint elementa pura, & hoc in duobus manifestat: ignis enim habet calorem in summo, aqua autem, quam vocat glaciem, frigiditatem in summo: & hoc patet: nam ignis est quædam exarsio, & aqua quędā congelatio, quę absque summo calore & frigiditate non sunt: vocabula enim ista duo summū exprimunt gradum: intellige etiam de alijs idem. *Nota.* Vnde infert, quod ex vno puro elemēto nō fit aliquid, quia mixtum non habet summum gradum in qualitatibus, sed eas refractas postulat. Hos duos textus alij non commodè exponunt.

Existentibus autē quatuor simplicib9

Tex. 22.

2. theor. Secundum Theorema constituit: ex quatuor simplicibus corporib9, seu elementis duo obtinēt vnum locorum, altera duo locorū alterum: quod est dicere, duo sunt loca naturalia in communi, scilicet sursum, & deorsum: duo elementa, scilicet ignis, & aer locum habent sursum, alia duo deorsum, sed differenter: nam media, scilicet aer, & aqua non sunt sincera, sed mixta. i. non obtinent sursum vel deorsum simpliciter, sed secūdum quid: ignis verò & terra absolutè loca ista habent.

Tertium Theorema est: duo elementa duobus contraria sunt, vt ignis aquæ, aer verò terrę. Explicat autem, contraria hæc dici in passionibus, & qualitatibus. 3.

Sed tamen simpliciter quatuor existentia. Tex. 23.

Quartum Theorema est, quod vnum quodq; horum elementorū vnam sibi maximè qualitatē vendicat, ac intensiorē habet, vt ignis calidior est, quā sit siccus: aer autem est humidior, quam sit calidus: aqua autem magis frigida, quam humida: terra vero magis est sicca, quàm frigida. Atque ita qualitates duę inæqualiter insunt elementis: vnde fit, vt elementum magis denominetur à qualitate sibi magis inhærente. 4. Theor.

QVAESTIO. III.

An tantum quatuor sint elementa.

POst qualitatum numerum, elementorum multitudo examinanda est. Aristototeles enim textu. 16. quatuor sumit esse elementa

mentā corporum: videtur autem, quòd talis numerus sit insufficiēs:
1. Argu. primo numerus corporum simplicium est numerus elementorum, sed numerus corporū simplicium non est quaternarius, ergo nec elementorum: consequentia est nota cum maiori: minor probatur, numerus simplicium corporum est secundum numerum simplicium motuum, at motus simplices sunt tres, vt docet Aristo. 2. cæli. tex. 6. ergo etiam numerus elementorū, motus aūt simplices hi solūmodò, à medio, ad mediū, circa medium.

2. Secundò, numerus corporum simplicium etiam sumi debet per motiua principia: sed hęc sunt duo, scilicet grauitas & leuitas, ergo duo erunt motus simplices: & duo corpora simplicia, & sic duo elementa.

3. Tertiò. Numerus corporum simplicium etiā penes loca simplicia sumi debet: at solum sunt duo loca simplicia, scilicet sursum & deorsum, ergo etiam duo corpora naturalia, duoque elementa.

4. Quartò videtur etiā, quod præter ista elementa quatuor, quę binas habent qualitates, sint ponenda alia quatuor, quæ singulas tantum habeant: nā simplicior est vnitas dualitate, ergo tā erit corpus simplicius, quod tantum est calidum, quàm quod est calidum & siccum, idemque de alijs elementis: erunt igitur octo elementa, vel si quatuor sunt, non erunt ista ab Aristot. posita.

5. Quintò, si quatuor elementa essent, maximè vnū esset aqua, sed videtur ista non esse elementum: Nullum enim elementum saporem habet: at aqua sapida est: dulcis enim, amara, & salsa est: nō est igitur elementum.

6. Sextò, idem fit argumentum de igne: non enim videtur esse tale elementum: si enim esset, vtique luciditate sua conspicuus esset: at nihil tale supra aerē apparet. Præterea, quia animalia aliqua in se reciperet, sicut & aer, aqua, & terra, at illud non est, maximè enim destrueret ipsa, vorax enim est valdè, & corporum cōsumptiuus.

Circa huius determinationem aduerte primo, tres conditiones debere inesse elemento. Prima, vt ex eo aliquid fiat, quam obcausam efficiens, & finis non sunt elementa effectuum, non enim ex efficiente, & fine res fiunt, sed ab efficiente propter finem: secunda, vt insit in re, quæ fit, vnde priuatio & contrarium, ex quibus res dicitur fieri, nō sunt ipsius elementa: dicitur enim ignis ex non igne, & ex aqua fieri, sed non ignis, & ipsa aqua non sunt materia ipsius ignis, nō enim manent in ipso igne, elementū autem debet manere. Tertia conditio est, quòd sit primū, ex quo fit res, & vltimū, in quod diuiditur: vnde fit, vt manus, caput, pes, & reliquæ huiusmodi partes dissimilares non sint elemēta totius, adhuc enim ipsæ ex alijs cōponūtur, & in alias diuiduntur

1. Pūcta. 3. conditiones elementi.
1.
2.
3.

uiduntur, vt autem essent elementa, deberent esse simplices, & incompositę.

Nota. 1. quis resol. repugnet elemẽto simplici & quare.

Aduerte autem, quod debet esse elementum simplex, id est, non resolubile in partes differentes specie. non enim repugnat elemento diuidi in partes quantitatis, vt literæ elementa sunt dictionum, at partes habent literæ ipsæ. Hæc igitur debent inesse proprio elemento. Attende tamen, quod non ista insunt his corporibus, quę elemẽta dicuntur, ob id non absolutè elementa dicuntur.

Nota. 2. q. elemenon sint simplicia, vt elemẽta, sed corporũ elemẽta.

1. Prob. Primo enim ipsa adhuc resolubilia sunt, habent enim materiam & formam, non igitur simpliciter dicuntur elementa, sed cum addito, scilicet elementa corporum, quatenus sunt prima corpora, nec in alia corpora resoluuntur, sed in ipsa alia resoluuntur, sunt ergo elementa non simpliciter, sed in genere corporum.

2. Secundo etiam deficiunt à ratione vera elementi: elementum enim formaliter, & actu debet manere in elementato, at talia corpora non manent actu, sed potentia in mixto. Ob id Arist. 3. cæli. t. 31. definit tale elementum, dicens: elementa sunt, in quæ corpora resoluuntur, & manent, vel potentia, vel actu. i. potentia corpora, in quę alia corpora vltimo resoluuntur, manentque potentia in ipsis, quæ in talia resoluuntur.

3. Fund. quibus supposi

Aduerte secundo, quòd esse elementa duplici via comperiri potest, altera est resolutio corporum: experimur enim, corpora aliqua in plura alia dissolui, qualia illa, quę mixta vocamus, alia non resolui in alia, sed in vnum conuerti: patet igitur, quod quæ resoluuntur, componuntur ex illis, in quæ resoluuntur, cumque in resolutionibus non sit processus infinitus, oportet fateri, esse corpora non resolubilia in alia corpora: talia igitur erunt elementa. mus cognoscere. elemẽta 1. Ex resolutione.

Altera via est compositio: multa enim corpora fieri aliorum cõmixtione experimur, non autem talia, qualia hæc, quę elementa dicuntur, ergo re vera, sunt corpora simplicia, quę non ex aliorum cõmixtione fiunt: hoc autem magis patebit in probationibus conclusionum. 2. Ex cõpositione.

1. concl. elementa sunt plura vnó.

His suppositis, sit prima conclusio. Elementa sunt plura, quàm vnum: Hæc cõclusio triplici ratione probatur, prima est Arist. 3. cæli. text. 51. si vnum esset elementũ, vnicum haberent omnia corpora motum naturalem, nã mixta mouentur motu elementi prædominantis, at plures esse corporum naturales motus constat, ergo plura etiam elementa.

2. Secunda ratio est Auicenn. 1. p. cãti. tract. 1. textu. 9. & ibi etiam Auerro. in mixtis contraria experimur innata, cum ab intrinseco destrui possint, vt apparet in viuentibus, quę caloris interim defectu moriuntur, & alia huiusmodi, ergo sunt elementa plura, aliter

cum

enim non essent contraria in mixto, non enim ab vno elemento posset illa accipere.

3. Tertia ratio est eiusdem in eodem loco text. 17 si enim vnum esset elementū, vna tunc esset eiusdē rationis materia, & sic vna forma, nec esset vlla pluralitas substātiarū, nec esset vera actio & passio, quę absq; pluralitate nō sunt, hæc autem omnia falsa sunt: ergo elementum non est tantùm vnum.

2. Conc. Secunda conclusio: elemēta sunt plura, quàm duo. Hæc conclusio, quātūs magis probanda est in conclusione quarta, tamē interim hac vtitur ratione probatur, qua vtitur Aristot. libr. 4. de cælo. Principia prima motuū simplicium sunt plura quam duo: ergo & ipsi motus, & corpora simplicia: & cōsequenter elementa sunt plura, quā duo: consequentiæ istæ sunt notæ, sed antecedens probatur.

Nota. Et nota, quòd probatio fit de grauitate aquæ, secundū quam descendit: & probatur, quòd sit simplex principium motus talis, non compositum ex extremis: nam de grauitate terræ, & leuitate ignis nō dubium est, esse simplicia principia, & sic ipsas formas, ac corpora simplicia esse: sed de intermedijs est difficultas: at ostenditur, quod etiam sunt simplicia.

Supponitur igitur experientia nota, q aqua semper descendit sub aere: tunc si grauitas, quę est huius principium, non est simplex, sed mixta ex extremis, si descendit sub aere, est ex eo, vel quia talis grauitas habet plus terræ, pluſque ex ea participat, vel quia habet minus de ignis leuitate quā illa, quę est aeris, vel quia quod est terrę in aqua excedit plus id, qđ est ignis in ipsa aqua, habetque se in maiori proportione, quam in aere sed nulla ex his causa sufficit.

Probo de prima, quia tunc multum aeris esset grauius, quàm parua aqua, inferiusque descenderet, quod est falsum, & patet: nam in multo aere plus erit de terra, quam in parua aqua. Probo etiam de secunda: quia tunc multa aqua esset supra parum aeris, quia in multa aqua plus erit de leuitate ignis: quod est impossibile nō enim aer inferius esse potest. 1. Pars rejicitur. 2. Pars rejicitur.

Probo de tertia, quia si propter talem proportionem descenditaqua, cum in multa aqua, & parua seruetur eadē proportio, quia quātum crescit id, quod est terræ in aqua multa supra paruam, etiam tā tū crescit de igne seruaturque eadem proportio: tunc ita velociter per idem medium descenderet aqua parua, sicut magna, quod impossibile est. 3. Pars rejicitur.

Cùm igitur aqua nō moueatur ex participatione extremorū, sequitur ipsam esse simplex corpus, & non mixtum, & principium erit simplex motiuum differens specie ab alijs: erunt que plura, quam duo elementa: & est ratio notanda. Conclauditur 1a. 3. concl. elemēta sunt plura tribus

Tertia conclusio. Plura sunt, quàm tria elementa: breuiter probatur

batur: quia vel est vna contrarietas, & tunc sufficiunt duo extrema, aliter duo extrema vnius rationis essent contra vnum, ipsumque destruerent, vel esset duplex contrarietas: & tunc oportebat esse quatuor extrema: non igitur possunt esse tria elementa.

Conclusio. quatuor sunt, & nō plura elementa. Explicatur conclusio.

Quarta cōclusio. Quatuor sunt elementa, & non plura. Explico hic non assero, quod sunt quatuor elementa locis, modo, & sphæris extra mixta separata: alterius loci est hoc ostendere: sed affirmo, quòd talia corpora sunt vere in natura, & in mixto continentur, & per se possunt separata esse, quātum est ex natura sua.

Cōsensus omnium post Arist.

Hæc conclusio omnium consensu recepta est post Arist. quāuis ante Arist. vt ipse docet, Antiqui circa numerum variauerint.

1. Via ex ratione mōtus: quare quatuor sunt principia simplicia motum.

Probatur igitur conclusio via Arist. quam superius in conclusione secunda incepimus proponere: sed nunc vniuersalius id dicemus: Et probatur, quatuor esse principia motū simplicia, inde enim colligemus, esse quatuor motus simplices, quatuor loca naturalia simplicia, quatuor corpora, & inde quatuor elementa.

De tribus figuris est de quarto scilicet aere est ipse probandum.

Et quidem de duobus extremis, scilicet grauitate simpliciter, & leuitate id notum est: de inter media leuitate, & grauitate difficultas erat: & de grauitate aquæ fuit probatum in conclusione secūda. Superest modo de leuitate secundum quid, cuius simplicitas colligitur ex motu aeris super aquam eodem modo sicut prius.

Probatur similis modo tripartita supposito vt antea

Nam vel sit ex eo quòd magis participat de igne, & tunc multæ aquæ essent supra paruū aerem, quod experientia ostendit falsum in bullis ascendentibus in superius aquæ, cùm lapis infunditur, & suo impetu aerem ferens intra aquā, quo impetu cessante, aer vel minimus ascendit per aquam: vel sit, quia habet minus de terra, & tūc sequitur, quod gutta aquæ possit sustentari supra aerē, quod sensu conuincitur esse falsum, vel esset, quia est maior proportio ignis supra terram in aere, quàm in aqua, & tunc multus aer, ita citò ascēderet supra aquā, quam paruus ob æqualem proportionem, quod falsum ostenditur experiētia: bullę enim maiores citius ascendunt, vt in vase ex vitro apparet: ergo, re vera, simplex est talis leuitas, & ipsum corpus: sunt igitur elementa quatuor.

2. Via ex cōparatione qualitatum.

Secunda via est ex parte combinationis qualitatum, cū enim sint quatuor, oportet profectò esse quatuor corpora in rerum natura, & non plura, quorum sint passiones, & ex quorum natura fluant.

3. Ex resolutione mixtorū.

Tertia via est, qua vtitur Auicen. p. 1. tract. 1. cantico. tex. 8. & Concilia. differ. 4. ex resolutione mixtorum. Experimur enim in mixti resolutione, quatuor corpora remanere correspondentia ipsis elementis. igitur quatuor sunt elementa quę illic inerant potentia

actu

aliter enim vnum agens non posset quatuor ex vno facere.

4. via ex similitudine. Vltimo probatur ex similitudine, quia sunt quatuor animalium humores, pituita, bilis atra, bilis flaua, & sanguis: sunt similiter quatuor p̃cipuæ cõplexiones secundũ humores, ergo quatuor elemẽta: singulorũ enim excessu singuli fiunt humores, & cõplexiones.

Ad. 1. Ad argumenta igitur respondere oportet. Ad primũ dico, quòd numerus motuum simplicium facit numerum elementorum, si motus in specie sumantur: vnde sunt quinque motus in specie, scilicet, motus ad medium simpliciter, vt terræ, & motus ad medium secundum quid, vt aquę: alij duo similiter motus simplices à medio, omnes enim differunt, simplicesq; sunt, vt diximus, & quintus est circularis, & sic quinque sunt elemẽta: Primum est cælum, quod elementum vocat Arist. 1. Metheor: sed est elementum mundi, & cõpositionis solũ: supersunt reliqua quatuor, quę solum sunt elementa mundi, & generationis, ac mixtorum; & de his est sermo. Eadẽ est

Ad. 2. & 3. resolutio ad secũdum, & tertium: loca enim, & principia, si in specie sumantur, quatuor sunt: & sic corpora simplicia ista quatuor sunt: & notabis hanc doctrinam.

Ad. 4. Ad quartum dico primo, quod non quia elementa habent binas qualitates, idcircò perdunt suam simplicitatem, vnam enim præcipuam habent.

Dico etiam, quòd oportuit, vt haberent geminas qualitates, vt posset mixtio fieri: quia vt misceãtur quatuor, omnia inuicem debent esse mutuò actiua, & passiua quod non esset, si vnicam singula haberent qualitatem: tunc enim contrarium vnum cum altero pugnaret: at modo cùm duas singula habent qualitates, cum omnibus pugnant singula, vt ignis siccus, & calidus pugnat cum aere, quia siccus ignis est, cum aqua ratione vtriusque, cum terra ratione caloris, & hæc tria contra ipsum: idem de alijs: & sic omniũ simul fit perfecta mixtio.

Ad. 5. Ad quintum, dubium esse solet. An detur purum elementum. Aliqui enim volunt non esse purum elementum possibile extra mixtum: quia si esset, haberet qualitatem in suo gradu summo, gradus aũt summus est infinitus, quia qualitas est infinitè intensibilis: esset igitur elementum infinitè quale, q̃ est impossibile. Præterea quia ista omnia elementa, quæ iudicantur elemẽta, mixta sunt cũ habeant saporem, qui mixtis solum inest.

Dubium an detur elementũ purum.

1. Ratio. Quod non detur purum.

2.

Respondeo igitur, quòd elementum dici potest purũ dupliciter, aut in qualitate, aut in substantia: in qualitate cum habeat eas solum qualitates, quas, & quales petit talis elementi natura: in substantia autem, cùm non est commixtum cum alia substantia: & hoc dupliciter, vel quia est extra mixtũ, suã q̃ habet solã formã, vel cum nõ

Respons. Quot modis dicatur esse elementũ purum.

est

est etiam cum alterius corporis partibus copulatum, quæ copulatio impropriè est mixtio: vt cum grana frumenti cum milio copulantur.

Quot modis impurum.

Totidem modis impurum esse contingit, aut in qualitate, aut in substantia, quia in mixto est, aut qa cũ alieno corpore cõfunditur.

1. Concl. De elemẽtaram via puritate Quo ad substantiã.

Dico igitur primò, quòd elementa inueniuntur pure, id est, extra mixtum suam habentia formam substantialem. Hæc conclusio patet ex mixtis, quæ de nouo fiũt in regione aeris, quę ex elemẽtis fieri docet Aristot. Patet etiam ex aere, & aqua, quę si mixta essent, aliquod animal nutrirẽt, quod falsum est, indigent enim cibo animalia in aquis, & aere degentia, &c.

Præterea cum talia sint in mixto virtualiter, & sint substantiæ, vanum est dicere, non posse per se subsistere.

2. Concl.

Dico secundò. Mihi est valde probabile, duo elementa, scilicet aerem, & aquã esse impura quoad suas qualitates, & quoad cum alienа substãtia copulationẽ. Quoad qualitates, quia & cæli influxu, & mutua actione aliorum qualitates integras non habent, secundum vllam sui partem, quia sunt elementa mobilia multum, nec pars vllo loco multum quiescit. Et sic non probo, quod aliquid dicunt, in medio mari esse puram aquam quia mare suo motu omnes confundit partes, sursum deorsum

De puritate elementorũ quoad qualitates.

An aer & aqua sint pura

An in medio mari sit pura aqua.

que vertit. In substãtia verò, quia continuis vaporibus, & exhalationibus terræ confunduntur: non quòd mixtio fiat, sed confusio, sicut grana frumenti cum granis alterius confunduntur, tamen substantia grani integra manet. Sic dico de istis duobus elementis: particulę tamen ipsorum integræ manent, & aliquando minores aliquando maiores prout maior, vel minor confusio sit, quę non omni tempore eadem est.

An sit terra pura.

Hoc idem dico de terra, quoad partes superiores: existimo enim propter ipsius immobilitatem, manere posse aliquas partes internas puras. De igne autem certum est: cum enim sit actiuissimus, non patitur alieni corporis commixtionem.

An ignis sit purus.

Ad arg. in oppositum.

Nec argumentum quicquam concludit, nam qualitates habent certum intensionis terminum, nec possunt in infinitum intendi, & ille sapor aquæ ex mixtione exhalationum, ac vaporum prouenit: partes enim terrę sunt semper ibi commixtæ, quod apparet, quia omnis aqua sedata feces ad inferiores dimittit partes.

Ad 6. principale dari elementũ ignis

Ad sextum de igne dico, vanum esse negare, ignem esse, cùm sit omnium philosophorum consensus, & rationes in oppositum nullius sunt momenti. Aliqui existimabant, aerem se diffundere vsque ad cælum: quos reprehendit Aristot. 1. Metheor.

Et pfectò, si reliquis qualitatib⁹

respondet vnum simplex corpus, debet etiam calori respõdere: erit ergo tale corpus ignis. Habebit ergo suum locum, & motũ proprium: ergo ille locus, qui non est alius, nisi supremus, aut caret suo corpore naturali, aerq; ibi violẽtus est, aut oportet fateri, illic esse ignẽ.

3. Ratio. Præterea quia datur leuitas supra aeris leuitatem, vt in exhalatione, quę superius ascendit: igitur est sphæra propria talis leuitatis. Indicat etiam hoc motus flãmę sursum, & cometæ, quæ illic fiunt: & exarsiones, quæ vix ab alio, quam ab igne fieri possunt.

Ad argumenta oppos. Nec argumenta opposita valẽt: primo, quia non est opus, quòd in quocunque elemento degant animalia, quia cum omnia pascantur in terra, ignisq; sit longè distans, non oportuit illuc animalia tendere: sicut nec ad mediam aeris regionem tendunt. 1.

Præterea non lucet ignis ob nimiam raritatẽ: vt enim docet Auerr. 4. cæli tex. 32. nõ lucet ignis, nisi opacetur subtili terreo. 2.

Argumentum etiam illud dicẽtium, futura elementa infinitè intensa, si pura essent in substantia, nullum est: quia qualitas, vt diximus, ex natura sua certum sibi petit intentionis gradum in materia, quam naturaliter non potest transcẽdere: & sic manet huius quæstionis dilucidatio, ex qua patent ista, & an sit elementum, & quid sit, & quot, & an sint elementa pura, & quomodo.

QVAESTIO. V.

An terra sit maximè ficca, aqua maximè frigida, aer maximè humidus, &c.

QVæstio ista est supra textũ 23. vbi Arist. siccitatem primo terrę tribuit, aquę frigiditatem, aeri humiditatem, igni autem calorem. dubitatur ergo, an ista distributio sit bona: & videtur primò, quòd terra potius sit frigidissima, quod maximè distat à cælo, est frigidissimũ: at terra maximè distat à cælo, ergo est frigidissima: consequentia, & minor nota sunt: maior probatur, quia cęlum suo lumine, & motu est pareus caloris vniuersi. 1. Argumentũ.

Secundò terra, & ignis sunt elementa maximè opposita, & distãtia secundum locum, sed ignis est calidissimus, vt notum est, ergo terra habebit alterum contrariũ, vt sit frigidissima. 2.

Tertiò, frigiditas est effectiua grauitatis, & densitatis, sed terra est densissima & grauissima, ergo frigidissima: est enim argumentũ ab effectibus. 3.

Præterea quartò, videtur, quod terra non sit siccissima: si enim sic se haberet, tunc nullam haberet humiditatem: quod si hoc detur, esset discontinua, nam humidũ continuat corpora, vt apparet: ipso enim resoluto, manent particulę discontinuæ, vt videre est in cinere, & puluere & luto exsiccato, qꝑ in puluere resoluitur: at hoc de terra dicere videtur falsum: 4.

ergo

ergo non est in extremo sicca.

5. Præterea quintò de aqua, si esset ex se frigidissima, sequeretur q̃ ex se esset congelata, nimia enim frigiditas congelat: si esset autẽ cõgelata, iã esset glacies, & nõ aqua.

6. Præterea sextò, si aqua esset magis frigida, quàm humida, sequeretur, quod facilius exsiccaretur quàm calesieret, quia min⁹ habet resistentię in humiditate: at oppositum videmus: facillimè enim calefit aqua.

7. Septimò de aere, qui non videtur humidissimus, quia exsiccat corpora, exsiccat .n. terrã madidã & pannos: at humidi nõ est exsiccare, sed potius humectare.

8. Præterea octauo, quia magis humectat aqua, quàm aer, cùm illa madefaciat, & non aer, non ergo est humidissimus: sic enim humidior esset, quàm ipsa aqua.

9. Præterea nonò: aer versus partẽ. qua igni est attiguus, est calidus, & siccus, versus partem, qua cum terra, & aqua coniungitur, multas patitur mutationes, & inconstantias, videtur ergo quod in media regione magis seruet suam naturam: at illic est frigidissimus, quia fiunt grandines illic, & petræ ob nimiam frigiditatem, non ergo videtur humidus, & calidus.

10. Tandem decimò: aer citò frigefit, non ergo calidus videtur: aliter enim vtique resisteret, & non de facili mutaretur. Hęc sunt argumenta circa hanc rem facientia difficultatem.

Fuerunt autem tres sententiæ. Prima est Auicen. libro suo de cęlo. cap, 16. qui terram frigidissimã existimat, quem sequitur Alber. Mag. in præsenti tracta. 1. cap. 12. & notat, quòd Aristoteles dum dixit, terrã esse magis siccam, aquam magis frigidam, non fecit comparationem vnius elementi ad alia, vt esset sensus, aqua est frigida super alia elementa, & aer humidus super alia, sed fecit comparationẽ duarum qualitatũ ad suum elementum, vt sit sensus, aquę naturæ magis proxima est frigiditas, quàm humiditas, & terræ siccitas: cum hoc tamen stat, quod frigiditas terręvincat frigiditatem aquæ. 1. sent. Auicen.

Altera sententia est Senecæ. lib. 2. quæst. natura. cap. 10. qui aerem frigidũ esse existimat, & obscurũ. 2. sent. Senecæ.

Tertia sententia videtur Galeni, qui aquam humidissimam fatetur, nõ aerem: dicit enim in lib. 1. Pharmacorũ: Aliud primum humidum præter aquam fateri, videtur valde vanum: & lib. 1. de complexionibus, summum humidum dicit aquam. 3. tribuitur Gal.

Vt autem, quid in hoc sit sentiendum, notum fiat, sit prima cõclusio. Terra est omnium elementorum maximè sicca. Explicatur: terra, si secundum se cõsideretur, & secundum qualitates, quas natura ipsius postulat, illa est in fine sic citatis: non enim loquimur de elementis, nisi vt secundum naturam considerantur, in rebus enim valdè impura inueniuntur. 1. Concl. terra est maximè sicca.

Hæc conclusio cõmunis est philosophorum, & medicorũ: & probatur primo à Conciliatore differen. 12. vbi ipse à priori, vt existimat, multas rationes adducit, sed illæ ad hanc vnam reduci possunt, quę ex debita elementorum dispositione sumitur. Cùm enim igni datus sit calor, qui est prima actiuarum qualitatum, debuit in secundo ordine sumi prima passiuarum, scilicet humiditas in aere, tertio loco altera actiuarum scilicet frigiditas in aqua, & quarto siccitas: est igitur terra sicca. Tenet autem ista dispositio ex perfectione numeri ternarij: actiuę enim, & passiuæ sibi mutuò respondent tertio loco.

Hæc conclusio est cõmunis.

2. Probatur secundo: qualitas formalior, & actiuior debetur elemento formaliori, & actiuiori, scilicet calor igni, ergo elemento materialiori debetur qualitas materialior, & minus actiua: sed terra, vt constat, est elementũ materialius, & siccitas inter qualitates minimè actiua, est igitur terræ danda siccitas.

3. Tertium argumentũ sumitur ex fine, & est bonũ. Terra facta fuit in vsum animalium: debuit ergo esse accommodata ipsorum naturæ: sed frigiditas est aduersissima vitæ animalium: tum quia vita in calore consistit: tum etiam quia nimia frigiditas est parens multorum venenorum, vt appareat in opio, & mandragora, quæ sunt nociua valdè venena, terris frigidissimis producta: ergo terra profectò ex se non est frigidissima.

Dices, hoc argumento, nec aqua esset frigidissima propter pisces in ea degentes. Respondeo (estque notatu dignum) quod qualitates actiuæ habent maiorem actiuitatem, cum iunguntur cum siccitate, quàm cum humiditate: vt calor magis agit cum siccitate coniunctus: similiter frigiditas: vndè siccitas lima dicitur qualitatum actiuarum quasi exaquens ipsarum actiuitates, vt bene dicit Concil. differ. 12. & Caietanus Thien. tract. de reactione, & Marsil. 1. gene.

Obiectio

Solutio 1a.

Siccitas est lima caloris.

Et hoc ipsa experientia ostendit: humiditas enim actiuitates retundit, quamuis aliqui calculatores hoc negent, non potentes intelligere, quomodo id fiat, tamen id certum est, quamuis alibi modus explicabitur.

Experientia.

Dico igitur, quod frigiditas in aqua ratione humiditatis coniunctæ retunditur, vt quamuis sit summa, non ita operetur, ob id aptior est animalibus, quam si esset in terra, quæ sicca est, & tunc maximè acueretur: & hoc est argumentum etiam, quòd terra non sit frigidissima.

4. Quarto probatur ex effectibus: animalia enim terrestria sunt calidiora multò aquatilibus: illa enim sanguinem habent, hæc ipso carent, ergo terra non est frigidissima.

Pro-

Præterea quinto experientia, qualis potest haberi, fauet terræ: enim minus infrigidat, quã aqua, cum ob suam densitatem multò magis deberet frigefacere, sicut & calefactã videmus plus calefacere.

Accedat his, quòd in scriptura sancta legitur in Geñ. quòd vocauit Deus terrã aridam: vbi D. Basili. 1. Exameron explicat, terræ esse siccitatem.

2. Concl. Aer maxime est humidus.

Secunda conclusio. Aer est humidissimum omnium elemẽtum. Explicatur primo: aduertendum, quòd sicut calidius dupliciter dicitur aliquid, vt colligitur ex Aristot. 2. de partibus. cap. 2. vno modo, quia intensiorem habet calorem, sicut flamma calidior est ferro, nondum facto igne: altero modo, calidius ab actione, quia magis calefacit. & comburit, potestque esse (vt ibi dicitur) quòd minus calidum modò priori sit calidius, modò posteriori, vt notum est in flamma, & ferro candenti. Ita etiã humidius dupliciter dicitur: vno modo, quia intensiorem habet in se humiditatem inhærentem: alio modo, quod magis humectat, quãuis minus sit intensum.

Nota 1.

Esse humidius altero intelligitur dupliciter sicut & calidius.

Nota 2.

Quomodo sit intelligenda concl.

Conclusio igitur sic est intelligenda, quòd aer est humidissimus intensiuè, non tamen in humectãdo, sic enim aqua est humidior: nõ enim vt diximus in lib. 1. actiuitas maior sequitur semper intensionem. Hanc declarationem tetigit Auerr. 1 p. cant. tract. 1. com. 15. vbi dicit, aerem humidiorem aqua: & 2. colliget. capi. 2. tamen subdidit, quòd aqua potentior est in humectando.

Et per hanc doctrinam solui possunt omnes apparentiæ probãtes aquam esse humidiorem: imò gloriari Galenus: attendit enim humidum in humectando, & iuxta actionem suam nam medici, vt dicit Auerroes. 2. animę, com. 105. mensurant iuxta sensum, & actiones accidentia, & sic aqua est humidior, quia ipsius humidum est grossum, & densum, at aeris humidum tenue, & subtile est: ita igitur intelligi debet conclusio.

Nota 3 Exhac cõclusionis intelligẽtia solui possunt argumenta oppositæ, & contrariæ opinioni.

1.

Probatur primò argumẽto Concil. differ. 12. Quodque elementum debet habere qualitatem in summo aliquam, igitur & aer, ista non erit calor nec frigiditas, nec siccitas, erit ergo humiditas. Probatur, quòd non calor, quia iste est ignis. Non etiam frigiditas, quia iam duo contraria summa intẽsissima, & maximè actiua simul essent, quod non debuit: aut enim se mutuò destruerent, aut non possent esse, nisi mixta. Non etiam siccitas, quia cùm hęc sit lima caloris, exacueretur calor ita, vt temperies auferretur abvniuerso. Debuit ergo esse humiditas, quę humiditas vim caloris hebetaret.

2.

Secũdo probatur ex effectibus, quę enim sunt humida dominio aeris, sunt humidiora aqua, vt patet de oleo, & alijs vnctuosis, igitur aer ex se humidior est.

3.

Tertio ex definitione Aristot.

Humidum est, quod facile terminatur alieno termino: at aer multò facilius, quàm aqua terminatur: ergo est humidior.

4. Præterea quarto, quia aer debet esse maximè receptiuus: est enim medium sensuũ, est medium actionum, & passionũ, debet ergo esse humidissimum: hanc enim facilem receptionem facit humor, tale aũt humidum debet esse calidũ non enim coniungitur cum frigido, quia iam esset aqua fere.

3. concl. *Ignis est calidus in summo, & aqua frigida in summo.* *Probatur.*

Tertia conclusio. Ignis est summè calidus, aquã autẽ frigida: Intellige semper intensiuè.

Hoc clarè sequitur ex dictis. Ignis enim debet esse vel summè calidus, vel summè frigidus, quia alias duas iam vsurparunt alia elementa, sed experientia docet non esse frigidam: erit ergo summè calidus. Supereſt sola frigiditas, & hæc est aquæ, & sic constat, bonã esse Aristot. distribuitionem qualitatum in elementa, quã sequuntur philosophi, & medici, vt habet Concilia. differ. 13. Supereſt ad argumenta respondere.

Ad 1. 1. solutio.

Ad primum respondet Aegidius supra textũ. 23. quòd duplex est frigiditas, sicut & calor: est enim calor elementaris, qui destructiuus est, ab ipsoq; prouenit elemẽto, est calor cæli viuificus, qui in his inferioribus à cælo prouenit, ita est duplex frigiditas, & elementaris, & cælestis, dicit, quòd terra frigiditate cælesti est frigidissima: & hoc probat argumentum, frigiditate verò elementari ipsa aqua est frigidissima.

Hic diſſ. aliqui te ſciunt.

Hanc distinctionem non recipiunt aliqui, inter quos est Conciliator differ. 12. & si intelligatur, vt sonat, non est recipienda: videtur enim dicere, quod frigiditas cælestis est qualitas producta ab ipso cælo in terra: at verò falsum iam esset, quod sit maior in terra, quia maximè distat, imo ob id debet esse minor, quia agentia minus agunt in remotiora.

Defenditur aliquo modo illa ſolutio.

Sed profectò si rectius consideretur Aegidius, aliud intendit dicere: vocat enim frigiditatem cælestem, non quòd producta sit à cælo, sed quod relicta sit à cælo nõ tantum calefaciente propter maiorem distantiam: vt terrã esse frigidissimã hoc modo, non sit aliud, quàm terram non ita calefieri à cælo ob distantiam: exemplum enim ipsius de calore fuit in causa, vt non intelligeretur ipsius mens, quam esse hanc ipsius verba indicant, sit legas attente.

2. Solutio Nota de qualitatibus virtualibus.

Aliter tamen soluit argumentũ Alber. Saxo. q. 4. Notat has qualitates quatuor esse in duplici differentia: quasdam actuales, quasdã virtuales: itaque est duplex calor, actualis, & virtualis: duplex frigiditas, similiter & aliæ. Vocat actuales, quas tactu percipimus, & quas communiter qualitates vocamus. Vocat virtuales, quæ tactu non percipiuntur, tamen productiuæ sunt aliarũ, potestq; esse calor virtualis cũ frigiditate actuali

vt

vt patet in vino, & pipere, & alijs.

Dicit igitur quòd vtræque in sunt elementis, sed magis virtuales, quę non separantur ab ipsis; & de his dicit Arist. locutum esse, cũ singulas tribueret singulis elementis, & sic soluit argumẽtum, quòd terra est quidem frigidissima frigiditate actuali, aqua verò frigiditate virtuali.

Rejcitur ista solu. Istæ qualitates virtuales, quamuis in mixtis verè sint, vt alibi diximus, tamen multiplicare ipsas in elementis videtur valde superfluum: nam per has qualitates virtuales vel intelligit formas substãtiales, & hoc omnes confitentur esse in elementis substantiales formas præter qualitates: vel intelligit alias qualitates distinctas, & iam hæ superfluæ sunt, cum per actuales fiat quodcũq; per has fit: & manifestè est hoc contra Arist. nam si de virtualibus loqueretur, non sumeret numerum earum penes tactum, cũ virtuales tactu nequeant dignosci.

3. Solutio ad argumen. Dico igitur ad argumentum: quod solum probat, terram minus calefieri à solè, non tamẽ quòd sit frigidissima. Debes enim scire, quod istæ qualitates non sunt in elementis à cælo impressę, sed proprias formas, & naturas cõsequuntur, ob id terra est siccissima, quia siccitas naturam propriam ipsius sequitur, sicut frigiditas aquam: quod aduertens Auicenna 9. Metaphysicorum capit. 5. mutauit suam sententiam.

Ad secundum dico, quòd potius *Ad. 2.* facit pro nostra sententia; nã cum ignis, & terra maximè distent, debuerunt sortiri qualitates maximè distantes, hę sunt calor, & siccitas. calor enim est prima actiuarum, siccitas verò vltima passiuarum: & hoc factum est, quia terra, & ignis distant & medium habent, ob id habent qualitates, inter quas aliæ mediæ sumi possint, scilicet humiditas, & frigiditas: & hoc nota.

Ad tertium aduerte, quòd hæ *Ad. 3.* qualitates primæ non faciunt in elementis, quę faciunt in mixtis. Vnde calor & siccitas in mixtis discontinuant, quia humidum absorbent, at in elemento non: ignis enim continuitatem habet. Similiter dici potest, quòd frigiditas grauitatis est causa in mixtis, sed non in elemento.

1. Solutio Notẽ qua litates primas non facere in elementis q̃ faciunt in mixtis

Dico tamen, quòd quamuis ad- *2. Solutio.* mittã frigiditatẽ esse causam densitatis, & grauitatis terrę, non tamen est totalis causa, sed simul cũ forma substantiali terrę, cui natiua est illa densitas, & grauitas: non enim est sicut in mixtis, quibus non est secũdum naturam formæ: id circo quamuis frigiditas non sit maxima, densitas, & grauitas possunt esse maximę.

Ad quartum ex nunc dictis pa- *Ad. 4.* tet solutio: non enim siccitas discontinuitatis est causa, nisi in mixtis, quorum partes humore continuabantur, quo resoluto manet discontinuitas.

Ad. 5. Ad quintum dico, quod aqua, si esset pura, quamuis frigidissima existeret, non esset cõgelata, quia frigiditas congelat non aquam puram, nisi mixtam cum subtili exalatione terrea, quod dicit Auer. 4. cæli. com. 32. Dicit enim quòd ignis nõ lucet nisi mixtus cũ subtili terreo, sicut nec aqua congelatur, nisi mixta cum terreo. Cuius signum est, quod aqua calefacta citius congelatur, quam frigida, quia calor excitauit terreas exhalationes: similiter aquę dulces ob hoc congelantur, ob mixtionem, quam habent cum subtili terreo.

Nota. aquam puram non posse esse congelatam.

Ad. 6. Ad sextum respondeo, quòd aqua licet citò calefiat, tamen non amittit omnem frigiditatem, nisi simul cum forma, quòd si maneret cum humiditate sola absque frigiditate, tunc probaretur intentum; sed non ita fit.

Quòd si dicas, quare citius calefit? Respõ. quòd id prouenit ex maiori actiuitate caloris ad calefaciẽdũ, quã siccitatis ad exsiccãdũ.

Ad. 7. Ad septimũ dico, q aer exsiccat frigiditate, quã accidentaliter habet, nõ. n. pse exsiccat, vt notũ est.

Ad. 8. Ad octauum patet solutio ex secunda cõclusione: non enim negamus, aquã potẽtiorẽ esse in humectando, id tamen non arguit ipsius humiditatem esse intentiopem.

Ad. 9. Ad nonum dico, quòd media regio aeris est valdè frigida pernocidens: causa autem huius frigiditatis sunt vapores frigidi & humidi, & exhalationes frigidæ & siccę, quæ vi caloris ascendunt.

Concurrit autem antiperistasis ratione reflexionis radiorũ Solis, qui calefaciunt infimam regionẽ: reflexio enim calefacit multum, vt apparet in his, qui ad Solem sedent propè murum, qui multum calefiunt: similiter in vallibus mõtium, ob hoc viget calor magis, quàm in summitate: tali igitur reflexione fit antiperistasis ad partes superiores medias aeris: nam ex altera parte ignis etiam est, fitque illa regio frigidissima.

Nota. 1. de media regione aeris.

Et cum magis viget reflexio, scilicet æstate, tũc magis est frigida, (quod indicat petre, & grandines, quę æstate fiunt, ob nimiũ, & magnum frigus) quàm hyeme.

Nota. 2.

Frigiditas tamen hęc accidentalis est: & forsan id voluit Seneca, dum dixit aerem esse frigidum.

Nota. 3.

Ad. 10. Ad decimum patet solutio: aer enim ob tenuitatem, ac raritatem facile passibilis est ab alijs extrinsecis, id tamen non impedit illum secundum naturam suam tales habere qualitates proprias. Satis de quæstione ista.

QVAESTIO. VI.

An elementa habeant vtramque qualitatem in summo.

SIngula elementa in sua naturali dispositione constituta binas habere qualitates, certum est: an verò vtrãque in summo gradu & æquè intensam habeant, dubium est: videlicet, an ignis sit tam siccus, quàm calidus, & aer tã calidus, quam humidus: & sic de reliquis

reliquis elemẽtis: nõ enim in hoc omnes philosophi conueniũt, sed in tres diuisi sunt sententias.

1. Sent. Est enim quędam sentẽtia quorundam Neotericorum inter quos sunt Achillinus lib. 3. de elementis, & Niphus in præsenti, qui affirmant elementa habere vtramque qualitatem in summo gradu sequentes Auerroem 3. cœli commen. 67. vbi dicit, ignem esse calidum, & siccum in summo. Ratio autem horum potissima est: quia si in elemento vna qualitas maneret extra summum, esset remissa: at non potest esse remissa nisi admixtione suę contrariæ: tres igitur qualitates inessent vni elemẽto, vt igni calor, siccitas remissa, & humiditas remittens. hoc aũt videtur cõtra elementi puri naturam.

Ratio prima sentẽtiæ.

2. Sentẽtia. Altera sententia est aliorũ, & cõmunis, ꝙ in elemẽto vna sit remissa qualitas, idest, nõ in summo gradu tamen isti diuisi sunt: quidam enim dicunt manere remissam absque mixtione cõtrarij: & hoc sequitur Alber. Saxon. q. 2. & alij: fuitque Alex. 1. Meteor. Com. 13.

Rat. 2. sentẽtię. Persuadẽt sibi hoc ex vna parte, quia Aris. tex. 23. vnã qualitatẽ tribuit cuique elemẽto magis, quàm alteram: ex altera verò parte, quia vnum elementum tantum duas habet qualitates non ergo illa mixtionem habet cum contraria.

Tertia sẽtentia. Tertia sententia est Marsilij q. 6. & 4. & Iacobi Forliui. tract. de intensione, parte. 2. & Buridani, ac Nominalium cõmunis, quòd elementa habent in sua dispositione naturali vnam qualitatem in summo, alteram extra summum, tamẽ est mixta cum contraria, a qua remittitur, itaque qualitas minus intensa tantum habet de contraria, quantum deest illi vsque ad suum summum gradum: vt si siccitas in igne est vt quinque, habet humiditatem vt tria: supposito, ꝙ summa latitudo siccitatis sit vt octo.

Dicunt tamen, quòd talis qualitas remissa semper est plus intensa; quàm medietas, vt ignis habet de siccitate plus medietate. Nota. 1.

Ex quo colligitur secũdũ hãc opinionẽ, ꝙ cuiq; elemẽto tres insunt qualitates: vna summè intẽsa, altera minus intensa, altera remissa remittensque minus intensa. Nota. 2. Secundã sententiam cuique elemento insunt tres qualitates.

Rationes huius opinionis ab ipsis non aliæ adducuntur quam hę: Contrarium nõ remittitur, nisi ex mixtione contrarij, sed in elementis sunt cõtraria remissa, ergo sunt etiam contraria remittentia: maior potest probari ex Aristotel. 5. Physicor. text. 19. & 2. cæli. text. 37. vbi id docet. 1. Ratio

Sit secundum argumentum, quo probo, quòd si vna est minus intẽsa, quòd ibi sit contraria: Aliter enim sequeretur, quòd alteratio esset in instanti, quod est impossibile, ſe in alterationibus secundum primas qualitates: sequela probatur: sit ignis siccus, vt sex, applicetur ei siccũ vt octo, tũc ignis poterit exsiccari ab illo, cũ sit minus siccus: probo aũt ꝙ alteretur in insti- 2. Ratio

ibi nulla est resistentia in igne, vt exsiccetur, ergo exsiccabitur in instanti: Consequentia videtur nota: vbi enim nulla resistentia est, ibi motus in instanti est, vt patet in productione luminis: Antecedens probatur, quia nulla est ibi contraria humiditas resistens, resistentia autem est à contrario.

3. Ratio. Tertium argumentum est. Sequeretur, quòd maneret elementū cū vna sola qualitate ex his, quas ex se habet, vel quòd introduceretur forma elemēti absque summo gradu suæ propriæ qualitatis, quorum vtrumque est impossibile. Sequela ostēditur: sit ignis calidus in summo, & siccus vt sex, cui applicetur fortior aer, qui secundū suā naturam est humidus vt octo agat que in ignem: constat, cum aer introduxerit sex gradus suæ humiditatis, quòd nulla erit siccitas in igne: peto tunc, in illo instanti, vel est forma ignis, vel nō: si primum, ergo iam manet ignis absque sua prorsus siccitate: si verò non, erit forma aeris, & nō cum summa humiditate, quod fieri non potest.

4. Est quartum argumentum: sequeretur, quòd qualitas summa vnius elementi maneret in illo, qd est impossibile: & sequela probatur: sit aer conuertēs ignem in se, tūc per solam humiditatem aget, non enim per calorem, quia remissior est: nec per frigiditatem, quia supponitur nō habere: si ergo per solam humiditatem agit, ergo per solam destructionem siccitatis ignis conuertetur in aerem, manebit ergo calor in summo, quia non est causa remittens illum, humiditas enim non agit in calorem. Hęc sunt argumenta pro hac sententia.

Pro huius dilucidatione pono aliquot conclusiones. Aduerte autem, quòd est sermo de elementis in sua natura consideratis, & de qualitatibus, quas singula secundum propriam naturam postulant: nam modò non dubium est, plures qualitates vel alias inesse elementis, quàm postulet ipsorum natura. Nota.

Prima conclusio. Vna est qualitas, quę primò, & immediatè fluit à quolibet elemento. Explico: singulis elementis multas inesse qualitates non dubium est, vt igni calor, siccitas, raritas, leuitas insunt; at vna est, quę immediatè profluit ab ipsa elementi forma: similiter in alijs. 1. concl. Vna est qualitas quę primo & immediate fluit à quolibet elemento.

Hæc conclusio est omnium cōmunis, & probatur vnica ratione. Ab vnica natura simplici nō fluūt multæ passiones immediatè, & primò, sed vna per aliam: at huiusmodi qualitates sunt passiones elementorum, ergo vna fuit ab vno immediatè. Ratio autem maioris est, quia ab vno, vt vno, non procedūt immediatè & primariò plura: hoc tamen multo magis constabit in Metaphysicis. Ratio.

Secunda cōclusio. Multo probabilius est, in elementis manere vnam ex duabus qualitatem minus intēsam. Hęc sententia est Auer. 4. 2. concl. probabilius est nō vtrāque qualitatē esse in summo. 1 Ratio

Me-

Metheor. commen 10. vbi hoc dicit, existimatque esse mentem Aristotel. illic, sed non est. Probat Auerr. quia aliter non posset esse mixtio: si. n. oēs essent in summo, vtique equè agerent cōtraria, nulla que esset ibi actio, vbi nec minimus datur excessus. Prętera est sentēcia Arist. pręsenti tex. 23. vbi vnam qualitatem magis, quam alteram dicit ineſſe elemento.

2. ratio. Prętera quia aer esset calidissimus & sic non esset ex se temperatum medium animalibus: nec ad respirationem aptum. Quod si dicas, quòd humidum refrāgeret, nō videtur valere, quia aer est dēsior igne: & sic multum adhuc calefaceret ex parte densitatis.

3. concl. Qualitas remissa in elemēto nō est per admixtionē contrarij

Tertia conclusio. Qualitas remissa in elemento non habet mixtionē cōtrariæ qualitatis. Hāc reputo multo probabiliorē, quæ quidē est expressa Alex. 1. Metheor. cōmen. 13. vbi id docet discurrēs per omnia quatuor elemēta: & est locus notandus. Est etiam sententia Fernelij lib. 2. Physiol. cap. 4.

1. ratio. Et prima ratio est Alexandri: si elementa haberēt qualitates tres, non essent simplicia, & pura corpora ex natura sua, hoc autem falsum est: sequela probatur: quia habent singula mixtionē contrariarū qualitatum: scilicet siccitatem cū humiditate habet ignis, reliqua que huiusmodi, hoc autem manifestam impuritatem, & mixtionem dicit: habere enim duas non contrarias qualitates, nulla est impuritas, nulla est mixtio: at contrarias simul habere, mixtio est, ac oporteret, alia elementa simplicio ra constituere, nempe quæ contrarias simul qualitates non haberent.

2. ratio. Secunda ratio est nostra. Sumo illam humiditatem in igne coniunctam cum siccitate: peto, vel est secundum naturam ignis, vel non: si non est, iam accidentalis, & sic nō ineſt igni secundum naturam: si verò secundum naturam: ergo vni formæ simplicissimę ignis duo contraria insunt, scilicet siccitas, & humiditas per se, quod est absonum, & impossibile: quomodo enim vna simplex forma per se habet duo cōtraria, & ex natura sua? Fateor hoc argumentum mihi facere multam vim, vt existimem mīnus probabilem sententiā Marsilij: & illam aliam quoque quę vtrasque ponit in summo. At nos media incessimus via cum Alexandro.

3. ratio. Tertia ratio est. Quia omnia elementa essent symbola, quod apertè est contra Aristote. sequela patet: si enim in igne est humiditas, quamuis non tanta, quanta siccitas, iam in humiditate symbolū habebit cum aqua, in calore cum aere, in siccitate cum terrā: idēq; erit de alijs elementis.

4. ratio. Quarta ratio: quia iam non per combinationes qualitatum colligeretur numerus elementorum, cum insint singulis: nec per qualitates, imo non posset probari,

quatuor

quatuor esse elementa. Nam si dicas summum calorem multum sicci, parum humidi facere ignem: dicam, quod summum calorem multum humidi, & parum sicci, facere oportet alterum elementum, quod non est vnum ex alijs: & sic faciam multas possibiles combinationes, per quas numerus elementorum incertus præstabitur. Sed hæc quarta ratio parũ conuincit: nam etiam idem sequetur si non habeat ad mixtam contrariam: nam oportet assignare vnum elementum calidum in summo & humidũ multum quod non est, & ita in alijs combinationibus. imo hęc ratio videtur non parua contra hanc opinionem, sed respõdendum esset vni soli elemẽto in summo vnam qualitatem tribuendam & non vnam in summo multis elementis: cum autem constet eam esse calorẽ in igne (nil enim est igne calidius) ideo nõ erit summa in altero, & sic de cæteris dicẽdum. Oportebit igitur argumentis pro ipsa factis respondere.

Ad. 1. solut. Ad primum dico primo, quod nõ omnis qualitas suscipit magis, & minus admixtione cõtrarij: lumen enim, & habitus animæ suscipiunt magis vel minus, & nõ mixtione contrarij: & hęc ostendit suscipere magis, & minus non consistere in mixtione contrarij: cum absque tali mixtione detur magis, & minus.

2. solut. Non om- Dico ex hoc secundo, quòd nõ omnis qualitas habens cõtrarium est minus intensa ex mixtione cum contrario. Ideo aduertendum, quod qualitates hæ aliter ad mixta, aliter ad elementa comparantur: In elementis quidem sunt, vt in subiectis, & vt in principijs: in subiectis, quia illis insunt; in principijs, quia ab illis fluunt, & secundum ipsorum naturas sunt: At in mixtis sunt, vt in subiectis.

remissio est per admixtionem contrarij & si habeat cõtrariũ. Nota vide.

Qualitas ergo in elemento suscipit magis & minus dupliciter: vno modo vt in eo est, vt in subiecto, & hoc fit per mixtionem contrarij: vt cum remittitur calor ignis ab extrinseco: altero modo vt à principio: & sic non intenditur per contrarium: nam ab vno elemento non fluunt contraria, sed est remissa secũdum naturam formæ, vnde fluit. V.g. sicut lumen remissum est secundum luminosi vim & naturam vt lucernæ, ignis, astrorum, & solis, ita siccitas in igne talis est, & tanta, quia ab hac forma prouenit, sic in alijs. At in mixtis id fit per contrarium, quia non fluunt à forma mixti: nec contra hoc est textus Arist. Solum enim dicit, quod suscipere magis vel minus est per contrarium: loquitur autem de ipso motu & qualitate, quę per motum suscipit magis vel minus: at qualitates hæ citra motũ sunt remissæ in elementis iuxta ipsorum naturas, & hæc solutio est valde notanda.

Qualitas in elemẽto suscipit dupliciter magis & minus. 1. 2.

Restitutio obiect. Ex text. 114.

Ad. 2. Ad secundum negatur, motum seu alterationem futuram in instãti: est enim resistentia intrinseca,

ex

ex se enim tota latitudo qualitatis induci nō potest, etiā nullo existēte cōtrario, vt alibi diximus & ipse Marsilius in præsenti concedit.

Ad.3. Ad tertium dico, quod nō manebit in aere summus calor, sed remittetur ab ipso humido, nō per se, sed per accidens & consequenter ex eo, quod destruit totam ignis siccitatē, à qua summus calor dependet: corrumpetur igitur tantum caloris, quantum cū humido esse nō potest sub forma aeris, nō tamē vlla ibi per se erit frigiditas.

Ad.4. Ad quartum dico, quod non prius expelletur tota siccitas ignis, quin simul tota humiditas introducatur: nec est verum, quod sex gradus siccitatis expellentur à sex humiditatis: Oportet enim plus humiditatis introducere, quā expellatur siccitatis.

Nota. Scias enim quòd non quicunq; gradus formæ est incompossibilis cum quocunq; gradu, nam calor vt septem potest esse cum frigiditate, vt vno: vnde cum illa siccitate ignis, vel cum saltē quinq; gradibus illius possunt esse duo vel tres humiditatis: & sic non statim primus gradus humiditatis expellet vnum siccitatis: sed multò minus, donec sit tanta siccitas, quanta humiditas, scilicet vtraq; in medietate: & tūc vnus gradus alterum expellet, vt bene dicit Albert. Sax. q. 5. & sic in fine erit humiditas vt octo, & aeris forma. Omnia probabiliter tantum dicta sint. Non enim carent probabilitate illę alię opiniones superiꝰ positæ, quę vel vtraque qualitates, in summo, vel admixto contrario, in qualitate altera prope summū in elementis concedunt.

QVAESTIO. VII.

An qualitates elementorum Symbolæ sint eiusdem speciei.

QValitates symbolas vocamus eas, in quibus duo elementa inter se conueniunt, vt calor igni, & aeri: frigiditas aquæ, & terræ symbola sunt: similiter siccitas terræ, & igni, humiditas aquę, & aeri. Dubium igitur est, an tales differant specie, nempe an calor ignis, & aeris sint eiusdē speciei, nec ne: similiter humiditas aeris, & aquæ, & reliquæ. *Sensus quæstionis.*

Videtur autem, quòd hæ species differant. Primò, calor ignis non compatitur secum summam humiditatem: at calor aeris compatitur, ergo hi duo calores specie differūt. Consequētia probatur, quia vnus calor opponitur illi humiditati, & non alter, quòd si vnius essent speciei, eidem opponerentur. *1. Arg.*

Secundò, humiditas aeris fouet ignem, vt apparet in oleo, in quo aer dominatur: at humiditas aquæ extinguit, vt notum est, ergo differunt specie, aliàs profectò nō haberent effectum tam diuersum. *2.*

Nec valet dicere, quòd humiditas aquæ extinguit propter frigi-

giditatem, quæ cum aqua eſt coniuncta: nam aqua vehementer calefacta ignem extinguit, & nõ aer frigefactus.

3. Tertiò, ſiccitas terræ eſt cum frigiditate, grauitate ſumma, ac denſitate: at in igne eſt cum ſummo calore, raritate, & leuitate: ergo ſpecie differunt: aliter enim quomodo qualitates vnius ſpeciei tantam patiuntur diuerſitatem?

4. Quartò grauitates aquæ, & terræ, leuitates ignis, & aeris ſpecie differunt, vt ſupra diximus: ergo & frigiditates terræ, & aquæ, atq; calores ignis, & aeris. Nam ex his procedunt reliquæ qualitates.

5. Quintò, ſi humiditas aquę eſt eiuſdem ſpeciei cum humiditate aeris, ſuperfluit vna ex his: ſimiliter calor ignis, vel aeris, & ſat erũt duo elementa contraria, in quibus qualitates quatuor inueniri poſſunt: non ergo neceſſaria ſunt quatuor elementa ad mixtum.

6. Sextò, quoties ſubiecta differũt ſpecie, paſsiones etiã ſpecie differunt, at calor aeris, & calor ignis ſunt ipſorum paſsiones, ergo differunt ſpecie, ſicut ipſa: idem dico de alijs duabus.

7. Septimò, in mixtis calores ſpecie differunt, ergo in elemẽtis etiam. Antecedens patet de calore naturali, & febrili, qui ſpecie differunt: cũ calor naturalis nutriat, augeat, conſeruet ſubiectum: oppoſita verò faciat calor alter. Hęc ſunt præcipua argumenta in hac parte: circa quam tres exiſtũt philoſophorum ſententię.

Prima Alber. Saxo q. 5. qui diſtinguit in elementis, vt ſuperius diximus, duplices qualitates, virtuales, & actuales: virtuales ſpecie differre exiſtimat, vt calor ignis virtualis, & calor aeris ſimiliter virtualis ſpecie differũt: at actuales eiuſdẽ ſpeciei eſſe exiſtimat. 1. Sentẽ.

Alia eſt quorundam opinio, q ſpecie differant ipſę actuales, nec oporteat ponere virtuales. 2.

Tertia eſt Marſilij. q. 4. quòd ſint actuales in elementis ſolũ, & ſymbolæ ſint eiuſdem ſpeciei ſolo numero differentes. 3.

Pro determinatione huius difficultatis ſit prima concluſio. Præter actuales qualitates in elementis non oportet alias virtuales ponere ad eoſdem effectus producendos, dico in elementis, quia in mixtis non negamus, huiuſmodi eſſe qualitates. 1. Concl.

Hanc concluſionem vnica hac ratione probo: quia præter formas ſubſtantiales elemẽtorum, & qualitates actuales ſuperfluæ ſunt illæ virtuales: quod enim calor virtualis ignis poteſt facere, poteſt etiam forma ignis per calorem actualem: & idem in alijs: non ergo oportet abſque neceſsitate multiplicare tot qualitates. Ratio vnica.

Secunda concluſio. Qualitates elementorum ſymbolæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Hanc concluſionem reputo veriſsimam. 2. Conc.

Probatur primò, quia ſi ſpecie 1. Ratio

dif-

differunt, ergo sunt octo qualitates primæ, quod absurdum videtur, sicut vlterius in mixto octo qualitates, quòd est superfluum: non poterit etiam constare elemẽtorum numerus, quod est in Philosophia absonum.

Ex triplici incommodo.

2. Præterea secũdò sequitur, quòd nullum esset elementum symbolum, quod est expressè contra Arist. Sequela nota est: nam ignis & aer cum calores specie differentes habeant, nõ cõmunicabunt magis in calore, quam in siccitate: præsertim cũ calor vnus destruat alterum, vt elementa mutentur in inuicem.

3. Præterea tertio sequitur, quod vni qualitatis speciei duę species differentes cõtrariantur, quòd falsum est. Nam vnum tantum vni opponi est commune Ppilosophorum dictum. Sequela patet: fumo aerem, & aquam, hęc mutuò se destruũt, ergo calor aeris contrariatur frigiditati aquæ: vlterius fumo ignem, & eandem aquam, cum mutuò se corrumpant, calor ignis contrariabitur frigiditati aquæ: ergo duo calores specie differentes vni speciei frigiditati cõtrarij sunt: quod falsum est.

4. Præterea quartò sequitur, quòd ex aqua, non posset ignis facere aerem, quod est contra Arist. tex. 27. & contra sensum probatur sequela: ignis agẽs in aquam, vel reseruat humidum aquæ, vel corrũpit: si idem in aere manet, ergo iã humiditas aeris est eiusdem speciei cum aqua: si verò non, sed aliud humidum specie distinctum inducitur: à quo producitur hoc? non enim ab igne cum sit calidus, & siccus: non ab aqua: cum nõ sit, & quamuis esset nõ haberet, quo illud produceret: cùm igitur non sit causa producens, manebit idẽ. Et hoc argumentum concludit contra istam opinionem. Idem potest fieri argumentum de terra, & aere ad producendam aquam.

5. Præterea quinto, quia frigiditas terræ intendit aquæ frigiditatem, & è contra, vt apparet in manu parum frigefacta à terra, & postea immissa in aquam: manus enim frigiditas intenditur, ergo illæ sunt eiusdem speciei cum producant effectum vnius speciei.

Ad. 1. 1. Solu.

Ad primum igitur argumentum respondetur, negando consequentiam: non enim calor ignis differt specie à calore aeris, quamuis nõ possit esse cum summo humido. Id enim est propter intensionem maiorem, vel minorem, non tamen ob differentiam specificam, sicut calor, vt sex nõ potest esse cum frigiditate vt quinq;, at calor vt tria potest: non tamen ob id colligitur, calorem vt quinque, & calorem vt tria specie differre.

2. Deinde respondeo, q̃ summus calor esse potest cum humiditate in aere non naturaliter, sed tamen violenter, imò secundum illam aliam opinionem, quæ ponit vtrasq;

quin

què in ſummo in elementis, etiam naturaliter eſſe poteſt cum aeris humiditate.

Ad 2. Ad ſecundum dico, quòd ignis apud nos exiſtens non eſt elementum purum, ſed mixtas habet qualitates: fit enim ex terrea exhalatione cum aere commixto, extinguitur autem per ſuffocationẽ: ſic enim fit flamma, extrahitur autem ad partes exteriores à cơrpore tales exhalatio vaporoſa, & accenditur: cum autem occludun tur viæ, per quas extrahitur, flamma extinguitur, & ſic flatus vehemens extinguit ignem, quia diuertit. & reprimit talem vaporem, quo ablato, flamma aufertur: at moderatus accendit, quia excitat illum: dico igitur, quòd aqua extinguit hoc modo per ſuffocationẽ, & per ablationẽ materię ignis: & hoc habet nõ propter humiditatem, ſed ob groſsitiem, nam terra etiam extinguit, & olei copia: at aer non, ob tenuitatem ipſius, non accedente motu: ſic enim exſtinguit, vt diximus.

Ad. 3. Ad tertium dico, quòd non ſequitur, qualitates eſſe ſpecie diuerſas, quia inueniuntur coniunctę cũ differentibus ſpecie: non enim diuerſę albedines ſpecie differunt, quamuis vna cum dulcedine altera cum amaritudine inueniatur: ita dico de ſiccitate, quę cũ grauitate in terra, cũ leuitate in igne coniuncta eſt: non tamen ob id ſiccitates differunt ſpecie; & ratio eſt, quia ſiccitas non eſt illarum principium; non enim grauitas terrę ex ſiccitate prouenit, ſed ex forma ſubſtantiali terrę ſimul cũ frigiditate, & ſiccitate: idem dico de igne, & alijs: ſunt enim qualitates hę in elementis ab ipſorum formis procedentes.

Ad quartum aliqui grauitatem aquę, & terræ ſpecie non differre putant, ſed ſolo numero. At profectò, vt ſuperius diximus, manifeſte eſt contra Ariſtot. Per haſce enim grauitates, & leuitates colligit loca quatuor diuerſa, & corpora ſimplicia, & elementa quatuor. Dicendum eſt ergo ſpecie differre, nec eſſe parem rationem de alijs, ſunt enim iſtæ non alteratiuæ, nec ſequuntur vnam qualitatem, ſed vtranque: puta grauitas aquæ non ex humiditate per ſe, nec ex frigiditate per ſe, ſed ſimul ex vtroque eſt: & hoc ſufficit, vt ſpecie differat à terræ grauitate. Idẽ dicitur de leuitate. Ad 4.

Ad quintum dico, quòd non ſuperfluit humiditas aeris, quamuis ſit eiuſdem ſpeciei cum humiditate aquę. Nam ratione ſibi coniunctę qualitatis, & vt à tali forma eſt, habet aliquos effectus in mixto, quos non habet alia: & idem dico de alijs, quamuis, vt ſuprà diximus, non negemus, ſat eſſe admixta aliqua duo elementa formaliter conuenire. Ad 5.

Ad ſextum dico, quòd abſolutè calor non eſt paſsio ignis, ſed talis calor puta ſicco coniunctus: & hoc totum differt ſpecie à calo

re cum humido, non ratione caloris absolutè, sed ratione modi & coniunctæ qualitatis, similiter de alijs. Non enim sunt cõparandæ per se singulę qualitates, quæ binæ simul in singulis elemẽtis sunt accipiendæ. Secundo respondeo, quod si diligentius consideremus calor ipsæ non est propria passio, sed esse calefactiuum: quare ignis propria passio, erit esse calefactiuum in summo gradu, & ita in cæteris elementis: in aere vero esse calefactiuum non in summo: hæ autem passiones, & naturales aptitudines differunt specie.

a. Solutio

Ad. 7. Ad septimum dico, quòd calor naturalis, & febrilis, vt sunt passiones, non differunt specie: sunt autem passiones, si comparentur ad tactum, ponũturque in tertia specie qualitatis.

Dubium. Quod si petas quomodo calor naturalis facit hos effectus, & nõ calor febris?

Solutio. Dico, q̃ in effectu essentiali scilicet calefacere vterq́; conuenit: at in non essentialibus differunt, vt argumentũ ostendit: quia calor naturalis, est instrumentũ animæ, nõ autem alter, accidens autem varios effectus operatur secundarios, vt à varijs mouetur formis.

Epilogus Habes igitur de elementis resoluta ista: An sit elementum, quid sit, & quot: & an pura, quę illis propriè insint qualitates, & an in summo, an differant specie qualitates symbolæ: an sint virtuales qualitates in elementis; & an ipsorum grauitates, & leuitates specie differant. Ad textum igitur exponendum redeamus.

CAPVT QVARTVM.

Quoniam autem determinatum est. Tex. 24.

De mutua generatione elementorũ.

QVot elementa, & qualia sint hucusque explicauit Arist. nunc de ipsorum mutua generatione differit. Proponit autem primo intentionem, quæ talis est. Cum iã in lib. 3. cæli dictũ sit, ipsa elementa mutari inuicem, duo supererant examinanda, & quo modo sit ista mutua mutatio, & an singula ex alijs omnibus possint generari vel non sic, sed aliqua ex quibusdam, sed non ex alijs generentur. Atque ista duo in præsenti traduntur.

Dicit autem, quòd in lib. cæli dictum est, elementa inuicem mutari, & hoc præterquam, quòd dictum est, etiam sensui est manifestum, quia alteratio, sine qua generatio elementi non est (alteratio inquam secundum tangibiles qualitates) nota est sensui, & ista indicat, generationem esse mutuã elementorum: est enim alteratio hæc mutua.

Quod igitur omnia nata sint adinuicem.

Aliquot Ari. theoremata. 1. theorema, quodlibet elementum in quodlibet trãsmutatur.

Aliquot theorem. circa hoc constituit, quorum primũ est. Quodlibet elementũ in quodlibet transmutatur, vt ignis in alia tria perse, & aliorum vnumquodque.

1. Ratio. Hoc tali ratione probat. 1. Generatio est inter contraria, & à contrarijs, i. omnia contraria se mutuo transmutant, at omnia elementa inuicem contraria sunt, ergo omnia inuicē se transmutant.

Minorem declarat, & probat: quia elementa, aut sunt symbola, & in vna conueniunt qualitate: aut dissymbola, id est, in neutra conueniunt: si sunt symbola, tunc contraria sunt in vnica qualitate, vt ignis, & aer vterque calidus, sed alter humidus, alter siccus: similiter ignis, & terra: si verò dissymbola, tunc cōtraria in vtraq; sunt, vt notum est: erunt igitur semper contraria, atque se mutuo poterunt transmutare.

Vnde concluditur theorema propositū, & ita dicit Arist. quod ex hac ratione facilè est cognoscere, quodlibet elementum ex quolibet fieri, & mutari posse.

Differt autem ipso citius, & tardius. Tex. 25.

2. Theorema. nō omnis mutatio est æquè facilis, sed symbola facilius dissymbola difficilius mutā tur.

Secundum theorema est: nam quamuis omnia mutuò sint trāsmutabilia, tamen non omnis mutatio est æque facilis, & velox, ob id theorema est: quæ cognationē habent, & symbola sunt scilicet, in vna qualitate conuenientia, talia facilius inter se mutantur, quæ verò talem cognationem non habent, difficilius inuicem mutantur.

1. ratio probatur. Ratio huius hęc est, facilior est mutatio vbi pauciora destruuntur: at in mutatione symboli pauciora destruūtur, quā in dissymbolo, ergo illa est facilior mutatio, & velocior. Minorem probat, quia in symbolis vna mutatur qualitas, vt aer fit ignis sola humiditatis separatione, in non symbolis verò vtraque, vt cum aqua fit ignis: mutatur enim aquæ humiditas, & frigiditas in siccitatem, & calorē, vt fiat ignis.

2. Exem. Multis exemplis hoc declarat Aristotel. quæ sunt satis in textu manifesta.

Nota. 1. Circulatio & mutua est in elemētis mutatio. Vnde concludit, quòd est circularis, id est, mutua omnium elemētorum mutatio: & quòd quædam facilius, quædam difficilius in aliqua mutantur.

Vocat elemēta consequētia, quorum vnum est alteri contiguū, vt ignis, & aer: nā ista symbola sunt.

Ex igne quoque aquam, & ex aere.

Tex. 26.

Exempla dissymbolorū quæ difficilius mutātur. Nihil in hoc textu continetur, nisi exempla eorū, quę difficilius mutātur, qualia sunt dissymbola: vt ignis cū aqua, aer cum terra, vel ignis & aer simul, cum aqua & terra: nihil enim refert, illa singula, vel bina sumere: hæc autem difficilius transmutantur mutuò, quia plura destruūtur, vt diximus, quā in symbolis, vt in textu patet.

Si autem vnius seu inusque alterum.

Tex. 27.

3. Theo. Ex duob. elemētis fit vnū 3. Tertium theorema est. Cū duo elementa conueniunt, & ex singulis vna qualitas corrūpitur, tunc facilis etiam erit mutatio, sed non fit vnum elemētum ex illis duo-

bus, sed tertium ex illis symbolum.

1. probatur exēplis. V.g. ignis, & aqua pugnant ita, vt ex igne perdatur siccitas, sed maneat calor: ex aqua frigiditas, sed maneat humiditas, tūc fiet tertius aer ex vtroque facilius, quàm si vtrūque destrueretur.

Idem dicitur de aere, & terra, vt fiat aqua, & etiam vt fiat ignis: si enim ex terra aufertur frigiditas, & manet siccitas, & ex aere, ablata humiditate, calor manet, tūc fit ignis: si verò non sic, sed ex terra aufertur siccitas, manēte frigiditate, & ex aere aufertur calor manet que humiditas, fit aqua.

Confessa autem & sensui. Tex. 28.

2. Experientia. Quod dixerat scilicet ex terra, & aere fieri ignem, nunc experiē tia comprobat, nam flāma est maximè ignis ex his, quæ apud nos sunt: & tamen flamma ex terra, & aere fit: est enim fumus, at fumus est terrestris exhalatio aeri cōmixta, per exarsionem autem fit ignis: destruitur enim terrę frigidū, & aeris humidum, manetq; materia sicca, & calida.

Iis autem, quæ consequenter sunt. Tex. 29.

4. theorema exclementis symbolis non fit aliud. Quartum theorema ex duobus elementis symbolis non fit tertiū aliud, vt ex igne, & aere nullum aliorum fit.

Ratio huius est, quia in symbolis est vna qualitas communis, & duæ contrariæ: quæro ergo, vel destruitur symbola, & tunc manebunt duę contrarię, quę nō faciūt elementum, vel destruuntur contrariæ, & tūc manet symbola, quæ cum vna sit, non facit elementum. V.g. sit ignis & aer, vterque calidus, alter tamen humidus, alter siccus: si calor destruitur, manet siccum & humidum, quę nō faciunt elementū: si hæc destruuntur, manet solus calor, qui non satis est ad elementum: hoc autem est, quia in omnibus symbolis est vna qualitas eadem in vtroque, altera aūt cōtraria. Ex his cōcludit differentiam esse, cum vnum elementū ex vno altero fit, & cū ex duobus fit, tertium: nam cum ex vno fit, ex vno potest esse cū qualitatis vnius corruptione, vt in symbolis fit: at cum ex duobus tertiū, debent duę destrui, vna vnius, altera alterius, quia non fit ex duobus symbolis, sed ex duobus contrarijs.

Quod ergo omnia ex omni. Tex. 30. Epilogus. Epilogum facit duorū, quæ dicta sunt: alterū, quod omnia elementa ex singulis omnium contingit generari: alterum, quomodo iste transitus fit, nempe in quibusdā, vnius qualitatis mutatione, in quibusdam verò vtriusque qualitatis, siue ex vno fiat alterum, siue ex duobus tertiū, atq; in alijs facilior in alijs difficilior mutatio fiat, secūdum qualitatum mutationem.

QVAESTIO. VIII.

An quodlibet elementum ex qualibet immediatè generari possit.

Difficultas hæc est circa text. 24. sensus aūt notus est, puta, an vnum elementū possit Sensus quæstionis.

ex quolibet aliorum trium ita generari vt non prius in alterum mutetur illud .v.g. an aqua possit in ignem conuerti, vt non prius conuertatur in aerem.

1. Ar. pro parte negatiua.

Sunt autem argumenta, quibus probatur, id fieri nō posse: primū, extremum non potest transire in extremum, nisi prius transeat per medium, quod est inter extrema vt docet Aristo. 5. Physic. tex. 22 at ignis & aqua extrema sunt, inter quę est aer, ergo non fit transitus ab aqua in ignē nisi per aerē.

2. Secundò. Aqua nō potest fieri ignis, nisi prius disponatur, scilicet exsiccetur, & calefiat, sed non potest disponi, quin prius fiat aer, ergo aqua non immediatè transit in ignem. Consequentia est nota cū maiori. Minor probatur: calor ignis est multo actiuior, quàm sua siccitas, ergo aqua citius, ac prius calefit, quā exsiccetur: ergo prius aqua erit calida & humida, vt notum est, quàm calida & sicca, erit ergo aer prius, quàm ignis.

3. Tertiò sequitur, si ex aqua immediatè fit ignis, quòd manet aqua sub maiori raritate, leuitate, calore, quàm sint in aere, quod impossibile videtur: sequela pbatur, demus raritatē, leuitatē, calorem ignis, esse vt octo singula: aeris verò, cum sint necessariò tales qualitates remissiores, sint vt sex, tunc si aqua debet peruenire ad illas, vt octo, vt fiat ignis, necessariò transibit per sex. Peto ergo in illo instanti vel est forma aeris, vel nō: si aeris habetur intentum, si non, ergo vel est ignis forma vel aquę, non ignis, quia nondū est sua integra dispositio, ergo aquæ. Tunc vlterius, cum illud nō sit vltimū esse aquę, nō enim sic desinere potest substantia, immediatè post illud etiam erit aqua, erit ergo immediatè post illud maior raritas, leuitas & calor: ergo aqua nūc est sub maiorib. his qualitatib. quā sit aer,

4. Quartò. Si ex aqua fit ignis, debet aqua non solum calefieri, sed exsiccari: sed hoc est impossibile, ergo non potest esse talis trānsitus: probatur minor, quia quamuis ignis vincat aquam in calore, tamen aqua vincit in humiditate, quæ actiuior est siccitate, & sic non poterit exsiccari: potius enim destruet siccitatem ipsius ignis.

5. Quintò. Si immediatę esset trānsitus omnium, posset ex igne terra fieri, sed hoc esse non potest, ergo non est talis transitus: sequela est nota: minor probatur, suppositō, quòd terra ob suam densitatē sub eadem quantitate plus multo materiæ continet, quàm ignis ob suā leuitatem seu raritatem: sumo ergo minimū ignis, & probo, quòd non conuertatur in terram: nam vel cōuertitur in minimum terrę, vel in minus minimo: nam in maius notum est non posse: Non in minimum terrę, quia hoc plus materię continet non in minus, quia esse non potest, ergo nō posset cōuerti, ergo nec vlla alia pars, quia maioris & minoris, cùm vtriusq;

na

vna sit natura vna videtur ratio.

Sextò probatur, quod nec ex aere fiat aqua, quia humiditas aeris deberet remitti, quia minor est in aqua: at non videtur à quo remitti possit, nō enim à frigiditate, vel humiditate aquæ, vt notum est: altera enim est similis, altera non est contraria.

1. Sentē. In hac difficultate sunt tres sententiæ Philosophorum: quidam dicunt, elementa mediata non habere immediatum transitum, sed prius mutari in alia, vt aqua non prius in ignem conuertitur, quam conuertatur in aerem: & aer non prius in terram, quam in aquam. Rationes autem propositæ fauent huic opinioni.

2. Sentē. Altera est aliorum, qui putant non esse immediatum transitum inter mediata semper, sed nō quia conuersio sit in elementum medium, sed quia cōuersio sit in mixtum quoddam, vt aqua non prius in ignem mutatur, quam in vaporem, qui mixtum quoddam est distinctum ab elementis: nec terra in ignem, nisi prius in exhalationem quæ pariter mixtū est. Huic opinioni præter rationes etiam factas, sensus videtur fauere.

Nota. Vtraque tamen opinio conatur se ab Arist. expedire: dicit enim, quòd Arist. solùm dixit, quodlibet fieri ex quolibet, sed nō declarauit, an immediatè id fiat: vnde illud fit mediatè vel immediatè.

3. Sentē. Tertia sententia est communis Græcorum & Latinorū, & Auer. quod sit immediatus omniū transitus, & quod ex aqua immediatè possit ignis fieri.

At pro huius dilucidatione aduerte primo, quod non est disputatio de mutatione secundum accidentia & qualitates, quę alteratio est: sic enim quodlibet potest alterari à quolibet, & alterare quodlibet elementum: sed de mutua generatione, quę secundum substantiam est: sic enim dubium est, an quodlibet secundum substantiam in quodlibet immediatè possit mutari. 1. Fūdamentum.

Aduerte secundo, quod non est disputatio de toto elemento, nec de notabili parte ipsius: hoc enim non potest vnica mutatione in aliud mutari, non enim totus ignis in aquam vna mutatione potest mutari, nec è contrario. 2. Fun.

Ratio autem est, quia si elementa superiora puta ignis, & aer in inferiora mutarentur, tunc oporteret dari vacuū: nam ob densitatem, multo minorē locum occuparent cōuersa in inferiora: si verò inferiora mutarentur in superiora, tunc non esset locus, nec spacium hoc elementare talia corpora pateretur, aut caperet: nam terra & aqua, si in aerem conuerterentur, multo ampliori loco indigerent. Ratio fūdamē. 3.

Sermo autē est de partibus quæ seruata hac rerum dispositione in vicem vnica mutatione possunt mutari: dico autem vnica mutatione, nam pluribus elementum totum mutari potest, modo secun De qua re sit sermo.

dum vnum, postea secundū aliam particulam, non tamen vt perueniat ad hoc, quod totum simul sit corruptum: hoc enim fieri nō potest, vt dictum est.

2. fund. Aduerte tertiò, quod vnum elementū potest aliud distinctū producere. v. g. ignis aerem, aer aquā. Scias enim, quòd quatuor qualitates sunt velut semina elementorū: vt enim virtus seminis inducit animantis formam, sic & istæ qualitates producunt elementorum formas. Vnde fit, vt quodcunq; qualitates inducat elementi, etiā inducat formam. Ob hoc motus, & lumen ignem faciunt, quia qualitates, scilicet, calorē, & siccitatem inducunt: potest igitur vnum elementum inducere qualitates alterius, & sic ipsum producit, non vi sua, sed vi qualitatis admotæ. v. g. ignis facit aerem, quia in aqua inducit calorē, qui cū humiditate inducit aeris formam: similiter terra ex aere facit aquam, quia inducit frigiditatē in aerem, & frigiditas cum humiditate aquam: & hoc nota pro multis, quæ occurrent.

1. Concl. contra sententiam philosophorum antiq. Sit igitur prima conclusio. Elementa substantialiter mutantur. i. sensus huius est, q. elementa inuicem secūdū formas suas substātiales mutantur. Hæc est cōtra Antiquos, quorū meminit Arist. qui elemēta omnia vnicā substātiam putabāt, solumq; differre per accidentia, & qualitates, quia. n. erat rara, erat ignis, quia talis vel talis, dicebatur aliud. l. aliud elementū.

Hęc sententia est reijciendа: nā elemēta tunc non differrent essentialiter, quod falsum est, & vnica ratione probatur: cū talis substantia, est sub raritate, & dēsitate, vel stat naturaliter vel violenter: si naturaliter, ergo est diuersa forma substantiæ, quæ cōseruat talem raritatem partium, quo minus condensentur, & condensationē, quo minus rarefiāt, quod ab vna forma prouenire non potest, si violenter hoc dici non potest, nō. n. permanerent, sed densitas rediret ad raritatem, raritas ad condensationē: verè ergo diuersas formas habēt: Multa alia possunt esse argumēta, sed quia notū est, prętermittūtur. Ratio cō tra anti quos.

2. Concl. Secunda conclusio. Probabilior videtur sententia, dicens, aquam prius transire in quoddam mixtū, vt fiat ignis, quā quę dicit, quòd debet trāsire in aerem. Et ratio est ista, quia aqua non prius transibit in aerem, quàm calefiat satis ab igne, sed non potest esse, quin dum calefit, simul exsiccetur: ergo erit iam simul siccitas, & humiditas, calor, & etiam frigiditas: hęc autem non est dispositio aeris, quia summam humiditatē petit, sed mixti potius, ergo probabilius est, quòd transeat per quoddā mixtum: idē vt ex terra fiat aer, trāsibit per exhalationem mixtam.

3. Concl. Tertia conclusio. Vt ex aqua fiat ignis, vel vt ex terra aer, non est opus, quòd fiat trāsitus per mixtum aliquod essentiale, bene tamen per accidentale.

Pro

Nota duplex mixtũ esse essentiale, & accidentale.

Pro explicatione nota duplex esse mixtũ, & substãtiale, & accidentale. Voco substantiale, quod præter qualitates elementorũ habet formã substantialẽ distinctam à quatuor elementorũ formis, vt lapis, metallum, & reliqua: Accidentale verò quod solam elementi formam habet, tamen qualitates habet refractas, quod dicitur elementũ impurum, vt aer, qui humiditatem, & calorem habet simul cũ alijs qualitatibus confusa. Dico igitur, vt aqua fiat ignis, trãsit quidem per hoc, quòd sit aqua impura, habẽs qualitates refractas: at nõ ob id prius sit mixtum substantiale, vt illi putabant.

Vapor & exhalatio nõ esse mixtũ substantiale probatur.

Huius probatio pendet ex hoc, quod vapor non sit mixtum substantiale, sed habens solum formã aquæ, vt exhalatio terræ: & quamuis hoc non sit modò ex professo probandum, tamen ob conclusionem probatur primo. Nisi enim vapor aqua, & exhalatio terra esset, non possent aliter elementa naturaliter ad mixtionem conuenire: patet: vt enim supra diximus, aqua per vaporem, terra per exhalationem ad aeris locum conueniunt, vbi mixtum fit.

1. Ratio

2. Præterea, quia vapor est frigidus, & humidus sicut aqua, exhalatio frigida, & sicca sicut terra, quamuis per accidens vtrũque sit calidum: si igitur eadem habent passiones erunt essentialiter idem cum elemento.

3. Præterea, quia euaporatio argenti viui in vase occlusi conuertitur in argentum viuum, quod non esset, nisi substantialiter esset argentum viuum, ergo ita etiam fiet in elemẽtis non enim ob id, quòd vapor rarus est, ob id formam aquæ non habebit, & exhalatio terræ, re enim vera sunt aqua, & terra impura ob mixtionẽ aliarum qualitatum,

4. Præterea, quia si vapor non est aqua, & exhalatio terra, erũt aer: nã ignis non erunt, cum nõ sint caloris intensi, quẽ si haberent, vtiq; comburerent magis quàm ignis, quia densiores sunt. Probatur aũt, quòd non sint aer: tunc enim vapor, & exhalatio essent eiusdẽ speciei, quod est impossibile, vt ex variis ipsorum effectib⁹ cõstare potest, manet ergo probata cõclusio.

4. concl.

Quarta conclusio. Probabilior, & tenẽda magis est sententia, qd ex aqua possit immediatè fieri ignis, & ex mediato mediatum absque transitu per immediatum.

1. Ratio

Hęc probatur primo: quia est sententia Arist. & communis, nec est in contrarium vlla ratio cõuincens: & hoc est validum argumentum pro conclusione.

2. Secundò probatur. Si aqua non posset immediatè fieri ignis, esset: quia humiditas non tam citò potest expelli, sicut frigiditas, sed hæc ratio nihil obstat: pono enim casum possibilẽ, quod aqua sit ab aliquo sicco, & frigido exsiccata, ita vt nõ multum humiditatis maneat cum illa sua frigiditate, tũc si

applicetur ignis, quid prohibet quo minus dum expellit frigiditatem, etiam citò expellat humiditatem paucam, eritq; ignis immediate, præsertim cum non sit sufficiens humiditas aeri generando. Hoc argumentum validum est, vt id sit possibile, & fiat.

3. Ratio bipartita. Præterea tertio. Si illa ratio opposita esset bona, sequerentur duo absurda: alterum est, quod aer non posset ex terra facere aquã, quin prius faceret ignem, quòd absonũ videtur. Probatur sequela: nã aer citius calefaciet, quàm humectabit terram, & sic terra prius erit sicca, & calida, & fiet ignis, quam humida, & frigida, quia humidũ tardè agit.

1.

2. Alterum est, quod aqua non faciet ignem aquam, quin prius efficiat illum terram, quod apertè est contra sensum: patet sequela, quia aqua prius frigefaciet ignem, quã humectabit: ergo fiet citiꝰ siccus, & frigidꝰ, & erit terra, nõ ergo vires habet argumentũ cõtra Arist.

4. Probatur. 4. ex ostensis in. 3. cõclusione: nam cum ex aqua fiat vapor, ex vapore ignis, & vapor essentialiter sit aqua, iam sequitur ex aqua substantialiter fieri ignẽ.

Manet igitur firma sententia, & ratio Aristotelis. Cùm enim ignis & aqua immediatè contraria sint, vtique immediate se mutabunt. Idem dicitur de aere & terra.

Ad. 1. Ad argumenta igitur respondetur. Ad primũ dico, quod illa maior veritatẽ habet in motu locali, quòd non est transitus de aqua ad ignẽ, nisi per aerem: aer enim est medium secundum locũ, non autem est medium secundũ mutationem: tũc enim per ipsum deberet esse transitus, sed non ita est.

Ad secundum respondet Achil. ad. 2. prima solutio. linus lib. 3. de elementis dub. 9. & Marsilius. q. 9. quòd est duplex actio ignis, vna tarda, & remissa seu lenta, & secundũ hanc cõcedunt, quòd aqua prius fiet aer, quàm ignis, altera fortis, secundum quam ignis vndique circunstat aquam, quia ignis multus est, vt cum aquę gutta injicitur fornaci, & tũc propter vehemens siccum, aquæ humidum citò absumitur.

Hæc distinctio mihi displicet: quia etiam in illa vehementi actione ignis, adhuc citius calefit; nam si crescit siccum cõtra humidum, etiam crescit calidum contra frigidum, manetq; eadem proportio in debili actione, & forti non ergo tã cito exsiccabitur, sicut calefiet. Dico igitur aliter, præter casum, quem posui in quarta cõclusione, per quem probata fuit. Respõdeo ad argumentum in forma, quod verum est citius expelli frigiditatem, quam humiditatem, cum vtraque æqualis est, at cum humiditas minor est, nihil prohibet totam frigiditatem, & humiditatem simul expelli. Quid enim prohibet, tã cito expelli quatuor gradus humiditatis, sicut octo frigiditatis? cũ igitur aqua sit multô minus humida, quã frigida, poterit vtraque

Reijcitur hæc soln.

2. Solutio.

que qualitas simul expelli, & sic fieri ignis immediatè ex aqua.

Ad. 3. 1. Soln. Ad tertium respondet benè Marsil. quęst. 9. quod aqua potest peruenire ad leuitatem ignis, etiam si non transeat per leuitatem aeris: quia leuitas aeris non differt à leuitate ignis secũdum magis & minus, sed specie, vt dictum est: & sic non est opus per illam transire, sicut fit in calore à minimo ad summum per medium: at de raritate, & calore alia est ratio: hæc enim sunt eiusdem speciei, & differunt in remissione: sed præterea, si quis eiusdem speciei etiam illas putaret, dicere consimiliter posset, sicut de calore vtriusque communi dicebamus. *2. Soln.* Respond. etiam benè, imò optime omnium Albert. q. 7. quòd non est inconueniens, quòd aqua, dum est in via corruptionis, sit sub maiori calore, & raritate, quam sit aeris calor, & raritas: non enim repugnat, quòd fit dispositio naturalis aeris minor dispositione violenta ipsius aquę, præsertim cũ tendit ad id, quod calidius est, & rarius ipso aere, scilicet ignis.

Ad. 4. Ad quartum dico, cũ dicimus elementum mutare aliud, oportet intelligere, quod sit pars tantę proportionis, vt possit alterum mutare in se. Vnde quamuis pars vna vincat alteram in qualitatis alicuius intensione: potest tamen esse tanta alia elementi pars, vt vincat multitudine, & extensione, quod non faceret intensione.

Ad. 5. Ad quintum dico, quod minimum ignis conuertetur in minus minimo terræ, sed non existens per se, sed continuum cum ipsa terra: nec hoc est inconueniẽs, vt alibi diximus: quod si distat minimũ ignis, tunc conuertetur in elementum immediatum, nec hoc est cõtra nos, sat enim est, quod aliquid ignis conuertatur in terram, vt sit verum ex igne terram posse fieri, quod si ex minimo non fit, est ob defectum quantitatis, non tamen ob naturam rei.

Ad. 6. Ad sextum dico, cum ignis fit aer, remittitur calor ignis ab humiditate aeris per accidens: dũ enim ista corrumpit siccitatem ignis remittit calorem summum, qui non potest esse absque tali siccitate. Nec mihi displicet solutio Marsi. qui dicit, aeris formam induci cũ summo calore, & quod ipsa postea destruit calorem reducitque se ad calorem suum: hoc inquam nõ displicet, quia substantialis forma, quamuis non sit immediatè operatiua, & actiua qualitatũ in aliud extra se, tamen operatione immanente in se ipsam agere nil vetat.

QVAESTIO. IX.

An symbola facilius mutentur.

SEnsus quæstionis notus est sũt enim symbola quę in vna qualitate conueniunt, in alia contraria sunt, dissymbola verò in vtraque sunt contraria. hæc autem dicit Arist. o. text. 25. quod difficilius mutantur inuicẽ. Videtur aũt quod non. Primò si id esset ita,

1. arg. in parte negantâ

maximè propter rationem Arist. quia facilius est vincere vnũ, quã duo, in symbolo autem vna qualitas expellitur, in dissymbolo verò duæ. Sed ratio ista non valet: nam si in symbolo vna qualitas expellitur vna etiam expellit, si autem in dissymbolo duę expellentur, duæ etiam expellunt: cum ergo si tanta proportio vnius ad vnum, quanta duorum ad duo, non videtur, quod facilius illa, quã hęc transmutentur. Prętera secundo est experientia: gutta aquæ citius absumitur à magno igne, quã terrę particula, at terra est symbola cum igne, non autem aqua. Prętera tertio. Actio innititur contrarietati, ergo vbi maior contrarietas, ibi facilior actio: dissymbola autem sunt maximè contraria, cũ in vtraque qualitate opponantur, ergo inter ipsa facilior erit transmutatio.

2. 3.

ã. opinio

In hac difficultate est duplex opinio philosophorum: prior eorũ, qui dicunt citius, & velocius, breuioriq; tempore mutari elementum in symbolum suum, quàm in dissymbolum: tamen hi in causa huius velocitatis assignanda sunt diuisi in tres sententias: Prima est Niphi, qui ob id symbolum facilius mutari dicit, quia non reagit, aer enim dum exiccatur ab igne, non reagit: quia per calorem non potest reagere, quia est similis, nec per humiditatem, quia secundum hanc patitur, nec est reactio secundum eandem contrarietatem.

1. via seu ratio quæ explicatur hac opinio.

Hęc sententia iã superius libro primo reiecta est, vbi aperte ostẽdimus, reactionem esse secundum eandem contrarietatem.

Reijcitur prima via.

Altera est Aegidij tex. 25. quod symbolum ob id facilius mutatur, quia vna eius qualitas tantum corrumpitur à contrario, altera verò scilicet symbola per accidens, ad corruptionẽ subiecti: facilius autem corrumpitur per accidẽs, quia tota simul corrũpitur, quàm à contrario, à quo paulatim corrumpitur.

2. via.

Hæc doctrina non mihi placet in hoc, quod symbolam qualitatẽ dicit corrumpi, cum secũdum Aristotelem maneat eadem, & nos in lib. primo id satis ostendimus.

Reijcitur secunda via.

Tertia est S. Thom. etiam tex. 25. qui dicit symbolũ facilius corrumpi, quia minus resistit: nam resistere per vnum contrarium, minus est, quàm per duo.

3. via.

Obiectio circa tertiã viam

Contra hanc est arg. primum: tamen à nobis postea declarabitur Hæc prior sententia.

2. opinio

Posterior opinio est Marsil. q. 10. & Albert. q. 8. & Niphi palinodiam cantantis, qui dicunt, quod facilius mutari duplicem facit sensum: alter est, quod velocius, breuioriq; tempore mutẽtur, & sic fatentur facilius dissymbola mutari, quam symbola: alter est, facilius mutari, id est, pauciora in mutatione deperdi, & sic symbola facilius mutantur: fatẽtur tamen, quòd est improprius loquendi modus, dicuntq; hunc esse sensum Arist

Facilius mutari duplicẽ facit sensum.

Quæ

Reijcitur hæc secunda opin.

Quę sententia profecto est intollerabilis, & apertè contra Arist. cum ipsemet vtatur verbis his, citius, tardius.

1. Et præterea si ille esset sensus Aristot. tũc vana esset ipsius ratio: pro
2. bat enim facilius mutari, quia pauciora mutantur, tunc si per facilius mutari, intelligeret pauciora mutari, esset probatio eiusdẽ per idem.

Præterea non solum est contra Arist. sententia ista, sed est falsa, vt ex his, quæ sequentur, apparebit.

1. Conc. Suppositio exẽpli.

Sit igitur prima conclusio. Symbola citius velociusq; mutantur, quàm dissymbola. Vtamur exemplo vno, quod quę de hoc dico, de alijs dici potest: facilię & citię aer mutatur in ignem, quam aqua in ignem, aer enim symbolus est igni, non autẽ aqua, intelligo cæteris paribus, & seruata eadem proportione aeris, & aquæ ad ignem.

Ratio.

Probatur. Aqua non potest in ignem conuerti, nisi absumatur humidũ ipsius, similiter aer, sed multò facilius aeris humidũ absumitur ab igne, ergo citius aer mutatur: minor probatur, quia humidũ aeris minus resistit ob raritatem & actiuitatem: nam aqueum actiuius est, & magis potens resistere ratione adiunctæ frigiditatis, quàm cum est in aere cum calore respectu ignis.

2. Concl.

Secunda conclusio. Inter symbola facilius mutantur symbola in passiuis, quam symbola in actiuis qualitatibus.

Explicatur conclusio.

Aduerte, quòd duplicia sunt symbola: quædam, quæ habent qualitatem passiuam communem, actiuam verò contrariam: voco autem passiuas, siccitatem & humiditatem; actiuas verò reliquas duas: talia igitur symbola dicuntur, in passiuis symbola vt aer, & aqua, terra, & ignis: quædam sunt è contrario symbola in actiuis, cõtraria in passiuis, vt ignis, & aer, terra, & aqua: dico igitur, quod symbola in passiuis citius mutantur, seruata eadẽ proportione.

Ratio.

Ratio in promptu est, quia ista se mutant, & agunt secundum actiuas qualitates, quarum actio maior est, & velocior: cęlqua ergo se mutant secundum qualitates tardas: vnde facilius aer mutatur in aquam, quàm ignis in aerem, & è contrario.

3 Conc.

Tertia conclusio. Inter symbola in actiuis, illa est mutatio velocior, quæ est ex parte qualitatis actiuioris, hoc idem inter passiua symbola, cęteris paribus explico aer citius mutatur in aquam, quã aqua in aerem ab ipso, quia frigiditas aquę est actiuior, quam caliditas aeris, similiter aer citius mutat in se ignẽ, quia magis agit humiditas ipsius aeris, quã siccitas ignis. Et ratio est nota, quia velocitas cõsurgit ex vehementi contrario.

4. Conc.

Quarta conclusio. Inter dissymbola illa citius mutãtur, in quibus magis vigẽt actiuæ qualitates: vnde citius aqua in ignem, & è cõtrario, quàm terra, & aer, hæc enim

non habent qualitates ita fortes: similiter oportet cõsiderare in vtraque extremum fortius, hoc enim citius mutabit. Per has conclusiones facilè dignosci poterit quęcũque combinatio elementorũ circa facilitatem mutationis, est tamen paritas proportionis obseruanda, nam magna copia aeris, citius mutabit terram, quam parum ignis aquã: in omnibus enim est paritas seruanda, vt ita vnum excedat alterũ, sicut alterum excedit alterũ.

Ad. 1. Ad primum argumentũ respõdetur, quòd vnum cõtra vnum, & duo cõtra duo æqualiter pugnant, si omnia alia sint paria, non autem aliter: at in præsenti, non est paritas, quia qualitas cum symbolo minus resistit, quam coniuncta cũ contrario, v.g. humidum cũ calore minus resistit igni, quàm humidum cum frigiditate in aqua, vt diximus in prima conclusione: ob id multò magis resistunt duo, quã vnum, quia augetur ex cõiunctione resistẽtia, & hoc voluit S. Tho. superius dicere, & benè dixit.

Ad. 2. Ad secundum dico, quod in gutta aquæ & terræ particula illa, nõ est eadẽ proportio, est enim multũ materię sub terra, ob quod maior est resistentia, quæ non prouenit ex natura qualitatum terræ, quę si sumeretur sub raritate exhalationis, vel saltẽ æquali aquæ, tunc citius mutaretur.

Nota. Nota autem, quod non ita cito aquæ gutta mutata est in ignem, si cui apparet: nã fit prius vapor, qui ob subtilitatem occultatur.

Ad. 3. Ad tertium dico, quòd non valet consequentia, nam licet actio sit in contrarietate, nõ sequitur, q vbi plura sunt contraria, sit actio velocior, sed sint actiones plures, ex pluralitate enim agentium, & patiẽtium, non colligitur velocior actio, nisi cum sunt plura agentia, & vnum passum resistens, secundũ vnũ, vel pautiora, quam sint agẽtia. *4.* Ex his abundè satisfactum est difficultati.

QVAESTIO. X.

An ex duobus elementis fiat tertium.

DIfficultas hæc insurgit circa tex. 29. vbi. Arist. docet ex duobus elementis corruptis inuicem vnum tertium fieri, verbi gratia, ex aqua, & igne inuicẽ corruptis fit aer: videtur autẽ, q non ita sit.

Primò, vbi nullũ est efficiẽs, nullus sequitur effectus, sed cũ ex igne & aqua fit aer, efficiens nullum est, non ergo fiet aer. Consequentia est certa cum maiori. Minor probatur, quia maximè essent ignis, & aqua, sed hæc non possunt esse, tum quia specie differunt, & simile à simili producitur, tũ etiã, quia corrumpuntur, & cum aer producitur, non sunt, sed desinunt esse, quod autem non est, non producit. *1. Arg. ad partẽ negatiuam.*

Præterea secundo, vt tertiũ producatur, debent illa duo corrumpi, sed non possunt corrumpi, ergo nec põt tertiũ produci. Minor *2.*

probatur

probatur: quia si corrũperetur vtrumque, vnum corrumperet alterum, hoc aũt fieri non potest, quia demus, quod ignis corrũpat aquã, aqua corrupta nõ poterit corrumpere ignem.

3. Præterea tertiò, cũ ignis, & aqua se corrumpunt mutuò, qualitates omnes manent refractæ: non ergo poterit induci forma aeris, qua deest sufficiens dispositio.

1 fund. Dupliciter potest intelligi fieri ex duob. elemẽtis. 3

Aduerte circa declarationem, q̃ ex duobus fieri tertium elemẽtum, potest dupliciter intelligi.

Quod primus modus sit possibilis.

Vno modo, vt vnum faciat ex altero aliud tertium, non quod vtrũque corrumpatur, sed vnum agat, alterũ destruatur & hoc potest esse: vnum enim elementum potest conuertere aliud in tertium, vt ignis ex aqua facit aerem, & terra ex aere facit quam, vt docet. 1. Metheor. summa. 4. ca. 1. vbi dicitur, particulas aeris inclusas poris terræ, conuerti in guttas aquę, guttasque simul iunctas riuũ facere, & riuus cũ riuo facit aquæ copiã, hoc aũt modo fiunt fontes, & flumina. Cõstat aũt, quod ista aeris cõuersio in aquam fit à terra frigida.

2. modo bipartitum: quod 1. modus sit possibilis.

Potest altero modo intelligi ex duobus fieri vnum, ex duobus sicut licet corruptis, tertium fieri: & hoc adhuc dupliciter: vno modo per actionem tertij agẽtis, vt ex aere, & aqua potest fieri ignis ab aliquo igne destruente illa duo: & hoc potest optimè fieri, imò fit, ex vapore enim, & exhalatione, fit flãma, quę ignis est: siue ista sint symbola, siue dissymbola, vt ex aere, & aqua simul: vel ex aere, & terra per actionem ignis potest fieri ignis.

2. modo de quo est precipua quæstio. Quod hic quoque sit possibilis modus.

Altero modo ex duobus corruptis fieri vnum, potest intelligi sine actione alterius, & de hoc est quæstio, & respondetur secũdum Arist. id fieri posse quo autẽ modo id fiat, explicat S. Thom.

Debent enim elemẽta sic se habere, vt vnum excedat alterum in vna qualitate, & excedatur in altera ab altero. v. g. sit ignis cuius calor multum excedat frigiditatem aquæ, & humiditas aquæ excedat siccitatem ignis, tunc talia poterũt se mutuò destruere: humiditas enim aquæ destruet siccitatẽ ignis, huius vero calor frigiditatẽ aquę: vtraque forma recedet, manebitq; vna materia calida, & humida, quã sequitur forma aeris.

Nota.

Ex quo fit, vt hoc non possit fieri, nisi inter dissymbola elementa, vt in textu exposuimus, non autẽ inter symbola: non enim tunc manerent qualitates pro vllo elemento tertio. v. g. sit aer & ignis, si destruitur vtriusque calor, contraria manebunt, quæ non faciunt elemẽtum, si verò humiditas vnius & siccitas alterius destruantur, manebit tantum calor, quo solo non est elementum. Per hoc igitur patet quæstionis elucidatio.

Ad 1.

Ad primum, nego deesse causam efficiẽtem, sunt enim ibi qualitates primæ, quę sunt dispositiones, & virtutes velut seminales elementorum, producitur ergo aer,

immediatè ab illa dispositione, scilicet caloris, & humiditatis, derelicta ab igne, & aqua, quæ quidem agit in virtute aeris agentis: facit enim, quod aer faceret, si adesset, nec oportet necessariò recurrere ad causam vniuersalem cũ Marsil. Deus enim nullam formam substantialem producit, nisi cũ causis particularibus præter animã rationalem: quanquã de cælo & sole aliquando posset haberi probabilitatem, esse illius tunc causas vniuersales, quæ cũ deest proxima, eius actionem suppleant.

Ad. 2. Ad secundam dico, quod mutuò corrũpunt illa duo elementa per qualitates suas derelictas in materia, vnde ignis destruit aquã, & aqua ignem, per qualitates, quæ semper superstites sunt: illæ enim inducentes aliam formam, corrumpunt simul precedentes

Ad. 3. Nota. 1. Ad tertiũ respõdeo (quod diligenter aduerte) quod, vt inducatur forma elementi, non est opus quod qualitates semper sint in summa dispositione: nam sicut cõseruari possunt extra naturalẽ dispositionem, ita & produci, quãuis non nego, maiorem dispositionẽ esse necessariam ad introductionem, quàm ad conseruationem.

Nota. 2. Dico tamen, quod non est necessaria tota latitudo, sat erit maior pars, & profecto experientia hoc indicat: nam tempore hyemis intra tertã viget calor, & fiunt aquæ calidæ, quas cõstat esse factas absque summo gradu frigiditatis: & aliæ multæ passim occurrunt huius rei experientiæ.

Et sic dico ad argumẽtum, quòd non est necessaria tota, & summa dispositio ad formarum harum introductionẽ, & mihi placet, quod Marsil. dicit, quod forma introducta postea reducit se per se ipsam ad suam dispositionem: quia alteratio hæc immanẽs & perfectiua esse potest ab intrinseco principio actiuo, vt alibi diximus.

CAPVT. V.

Sed tamẽ adhuc & sic considerabimus.

Text. 31.

Quatuor elemẽta esse principia aliorũ corporum & nullum aliud eorum esse materiã seu principium.

DE mutua generatione elementorum hactenus disseruit, nunc volens ipsa prima corpora, aliorumq; generationis principia esse ostendere; inquirit, an sit aliquod corpus ante ipsa simplicius, quod sit eorum materia; probatque, tale esse nõ posse: Antiqui enim id affirmabãt, facit igitur argumentum.

Si huiusmodi elemẽta haberem corpus aliud, quod ipsorum esset materia, tunc vel esset vnum ipsorum, aliorum materia, ita vt aqua vel aer esset aliorum principium, vel si nõ vnũ, saltem duo, vel si nõ esset vnum horum principiũ aliorum, esset aliud corpus distinctũ ab his quatuor, ex quo ista fierẽt, sed nihil horum fieri potest.

Inuerbac elemẽta nullũ est principiũ aliorũ.

Probat primã partẽ, q vnũ horum non sit aliorum principiũ, sit illud. v. g. aer: tunc vel permanet, vel non, si permanet, & nõ corrũ-

pitur, cum ex eo fiunt reliqua, sequitur, quòd generatio esset alteratio. Probatur, quia cum aer mutatur in alia elementa, vt ex igne in aquã mutatur inter contraria, & est subiectũ actu perfecto existẽs, tale autẽ multari est alterari.

Nota. Alterũ membrũ. s. si mutatur tale corp⁹ & nõ manet, relĩquit in t. 35.

Simul autem neque ita videtur.

2. p. trs. Inter elemẽta duo non sunt principia aliorum duorum. Impugnat secundam partem, puta, q illorũ quatuor duo sint principia aliorum duorum, vt aer sit principium ignis, & aqua terrę.

Argumentũ est: si ex aere, vt ex principio fit ignis, ergo erit aliqua differentia & contrarietas, cuiusvnam partem habebit ignis, ita vt aer per calorem, fiat ignis, sitq; ignis aer calidus, aliter enim non differret ab aere ipso.

1. Ratio. At id fieri non posse, probatur primò, quia talis alteratio erit, & non generatio cum fit ex aere ignis, vt dictum est.

2. Prętera secũdo, quia id nõ videtur, sed est cõtra sensum: ignis enim nõ apparet, quod sit aer, nec videtur permanere aer, cũ fit ignis nec aer calidus, ignis esse videtur.

3. Prętera tertio sequitur duo cõtraria simul esse, patet, si ignis est aer calidus, ergo cum ignis mutatur in aerem, necessario sequitur, q aer sit frigidus, mutatio enim ex contrario est in contrarium: ergo aer de se frigidus est: ergo si aer, manens aer fit ignis per calorem, erit simul frigidus, & calidus, alias non maneret aer.

Colligit, quod non potest esse, quod vnum horum sensibilium corporum aliorum sit subiectum, sed aliqua materia omnibus communis, cui de se nullum insit contrarium: quòd autem de vno probatur, potest etiam eodem argumento de singulis, aliorum respectu probari.

Sed neque aliud aliquid prætor hæc.

Tex. 32.

3. pars. nullũ est corp⁹ prę ter hæc quatuor, quod aliorũ sit principiũ. Probat tertiam argumenti partem, quòd non sit aliud corpus prę ter hæc quatuor quod ipsorum sit principiũ, quale aliqui ponebãt: alij .s. dicentes esse corpus medium, inter ignem, & aerem, quod esset crassius igne, aere subtilius: alij medium inter terram, & aquam, aqua crassius, subtilius terra: sed neutrum potest esse elementorum principium.

Ratio. Et argumentũ est, quod si tale esset corpus medium inter ignem & aerem, fieret aer, & ignis addendo qualitates cõtrarias, vt. v. g. per calorem ignis, per frigiditatem aer, ita vt aer, & ignis nõ essent aliud, quàm tale corpus existens cum diuersa qualitate contraria.

Reiicitur obiectio. At quia posset quis dicere, quod non fit aer per qualitatem contrariam, sed per priuationem qualitatis ignis: dicit, quod parum refert hoc dicere. Nam priuatio dici potest etiam contraria, & ita ignis, & aer sunt corpus existens sub alia, & alia contrarietatis parte.

Nota. 2. Sed hoc esse nõ potest, nã sequitur, quod tale corpus nõ esset separa-

rabile

rabile ab vtroque contrario, nec per se esset sensibile, cũnõ sentiatur, nisi per contrarias qualitates, quas nõ habet in se: Hoc autẽ est cõtra ponentes tale corpus, quòd infinitum, idest, indifferẽs vocat, & alia sub se continens.

Nota. 2. Vbi nota, quòd Arist. concludere vult, non esse aliud corpus primum sensibile præter hæc: Nam si aliquod esset cõmune his, secundũ se, non haberet qualitates, nisi contractum ad hęc corpora: & sic prẽter ista non est sensibile: si autem illud corpus esset, vtiq; sensibile esset. Concludit, quod aut quodcunque corpus ponẽdũ est principium, scilicet medium inter aquam, & terram, & medium, inter ignem, & aerem, aut nullum: sed cum probatum sit iam vnum esse non posse, neutrum erit.

Si igitur nullũ est sensibile prius his.

Tex. 33.

Cõcludit Arist. Nullum corpus sensibile esse prio 4. elemẽ. Concludit, quòd cum nullum corpus sensibile sit prius his, ista erunt omnia, prima sensibilia, & nullum aliud erit primum.

Statim aggreditur aliam rationẽ, quæ talis est. Omnia mutantur inuicem, ergo nullum est reliquorũ principium.

Ante tamen dubium proponit, an huiusmodi corpora sint immutabilia, an mutabilia; & si mutabilia, an omnia, an aliqua sint, aliqua nõ, vt docuit Plato; dixit enim terrã non mutari. Ad hoc respondet in sequenti textu.

Quòd igitur trãsmutari inuicẽ. tex. 34

Respõdet ad dubiũ propositũ. Repetuntur supra dicta. Ad dubium respondet, resumẽdo ea, quę superius dixit, quorum primum est, omnia inuicem mutari, necessarium esse, cũ sint inuicem contraria.

1. Alterum quod licet omnia inuicem mutentur, tamen quędam, celerius, quędam tardius mutantur, facilius enim symbola, difficilius dissymbola mutantur inuicem.

2. Tertium est, quatuor esse elemẽta, quod, ex duplici contrarietate colligitur: si enim esset vnica contrarietas, tunc duo essent elementa, prẽter materiam, hæc enim non separatur ab ipsis formis, & omnibus communis est, nec computatur inter elementa. At cũ sint plures contrarietates, saltẽ erũt duæ, pauciores enim esse non possunt, si plures esse debent: si autem duę contrarietates sunt, erunt necessario elementa quatuor: nam sex cõbinationes fiunt. Hæc igitur sunt, quę dicta sunt, per quæ habetur, elementa omnia mutabilia esse.

Quòd autem quoniam transmutantur.

Tex. 35.

4. *pars arg. initio facti.* Nunc rationem, ex his, quę sumpsit, componit: omnia sunt inuicem mutabilia: ergo nullũ est aliorum principium, cum nõ sit maior ratio huius, quã illius: & hoc est aliud mẽbrũ argumẽti superius propositi: probauit enim, quòd nullũ sit aliorum principium manẽs immutabile: nunc verò si mutabile est, posset aliquis dicere, quod nõ omnia sunt inuicem mutabilia, quamuis mutabilia sint: nã media

Ex his fit ratio, q nullum elementũ sit aliorũ principium.

in extrema mutantur, & extrema in media, sed non extrema inter se; ob id media, aut extrema poterunt esse principia, vt aer mutatur in ignem, & aquam, aqua in aerē, & terram, sed non terra, & ignis inter se.

sēpius Arist.

mutabūtur inter se.

Hoc Arist. reiecit probatq; extrema non posse esse principia: quia si extrema nō mutantur, omnia erūt ignis & terra manerēt.n. actu, aut saltē omnia essent ex igne, & terra facta; q falsum est, cōstāt enim ex quatuor corporibus.

Extrema elemēta non esse principiū aliorum medium.

Quòd si dicas, medium corpus erit principium, quod in extrema mutatur, & extrema iam non inter se, & sic medium videtur habere rationem principij: hoc etiam excludit, probatque necessario si mediū in extrema mutatur, quod extrema necessario mutabuntur inter se, & sic omnia erunt inuicē mutabilia, nullumque erit reliquorum principium.

Suppositio.

Ad hoc autem supponit vnum, quòd non sit processus in infinitū ex parte vtriusque extremi elemēti, sed sistatur in duobus finitis extremis: si enim esset processus in infinitum, tunc sequitur, quod in vno essent infinitę contrarietates, quod impossibile est: hoc autem in tex. 36. probabitur.

Si.n. terrā in quo T. Lympha ī quo L.

Simedia elemen. non mutentur in extrema, nec extrema

Demonstrat nūc si medium in extrema mutatur, quòd necessario mutabuntur inter se extrema, & ratio ad textū venia mus, hæc est. Sit aer medius, qui mutatur in ignem, & aquam: si aer mutatur in ignem, ergo per aliquā contrarietatem differre debent, a se. liter non mutarentur, sit, verbi gratia, albedo, & nigredo, aer enim sit albus, ignis verò niger.

Vlterius, aer mutatur in aquam, ergo pari ratione per aliquā differūt cōtrarietatem, non eandē cum igne, aliter enim ignis, & aqua essent idem, erit ergo alia contrarietas, sit. v.g. siccum, & humidū, aer enim siccus, aqua humida: ex hoc sequitur, quòd aer sit albus & siccus, & ita per albedinem igni, per siccitatem aquę opponitur.

1 Ratio.

Vlterius proceditur: aer est siccus, & albus, ergo cum mutatur in aquam, manebit albedo, quia per hāc non opponitur aquæ, sed igni & aquæ per siccitatem, & hęc cōuerteretur in contrariā, & sic aqua manebit alba, & humida.

Præterea aer siccus & albus mutatur in ignem, ergo in igne manebit siccitas, quia per hanc non opponitur illi, sed per albedinem, & sic ignis erit siccus & niger.

Concluditur ergo, quod necessariò mutabitur cum aqua, quę est illi contraria, humida scilicet & alba. Vide igitur quo pacto si medium mutatur in extrema, cadunt in vtraq; qualitate contrarietatem habentia.

Vlterius aqua est alba, & humida, aer albus, & siccus: ignis niger, & siccus, ergo in terra erit nigrum & humidum: nam hæc duo restabant: nam quia nigrū cū

ſicco eſt in igne, oportet, vt nigrum cum humido coniungatur, ſicut album reperitur coniūctum & cum humido, & cum ſicco: ſi igitur terra eſt humida, & nigra, mutabitur cum extremo ſuo aere ſicco, & albo. Vide igitur elegantem probationem, & neceſſariam quòd extrema debeant inuicem mutari, ſi medium mutatur in ipſa, ſuppoſito hoc, quod contraria inuicem mutantur.

Explicatur Ariſt. hic. Ex his litera textus facile poteſt intelligi, pro qua nota, q; iſtæ qualitates, quę tribuuntur elementis, ſunt tātū loco exēpli: Nam etiam elemēta iſta pro exēplo ponūtur: ratio enim procedit in communi de quibuſcunque elementis.

Nota. Nota etiam quòd litera quæcū que ſignificat elemētū illud in cuius nominis principio ipſa ponitur, vt I. notat ignē, A, aerem, L, aquam, quæ modo dicitur lympha, S, ſiccitatē, H, humiditatem, atq; ideo Boetius nō ſumpſit eaſdem literas Græcas, quia iſtæ non conſonabant nominibus Latinis.

Dicit igitur, quòd ſi A. mutatur in I. & in L. puta in ignē, & aquā debet eſſe aliqua cōtrarietas, ſecundum quā mutatur in I. aer puta ignem, ſit hęc albedo & nigredo, vt aer albus, ignis ſit niger.

Vlterius ſi A. mutatur in L, erit alia contrarietas, quia L. & I. nō ſunt idē: ſit ſiccitas, & humiditas, aer ſiccus aqua humida, tūc cum aer mutatur in aquā, vel manet albedo, vel non: ſi manet, erit alba, & humida aqua, ſi nō manet, erit nigra quia mutatio eſt in contrariū: nō enim aliter eſſe poteſt, niſi vt ſit alba vel nigra: at non eſt nigra, id.n. eſt ignis, erit igitur alba.

Vlterius, ſi aer ſiccus mutatur in ignem ob eandem rationem manebit ſiccitas in eo, & ita euadent cōtraria ignis, & aqua puta extrema & inuicem mutabuntur.

Vlterius, terra erit nigra, & humida, quia iſta combinatio reſtabat, & ſic conuertetur in aerem, quia opponitur ei, & ſic extrema videlicet aer, & terra, quæ ſunt inter aquā, mutabūtur pariter. Nota expoſitionem hanc.

Quod autem in infinitum. Tex. 36.

Probat ſupra poſita ſuppoſitio. Quod ſuppoſuerat, puta nō eſſe proceſſum in infinitū in extremis, neq; verſus ſurſum, neq; verſus deorſum, nūc oſtendit, & deducit ad hoc abſurdū q; in vno eſſent infinitæ contrarietates. Quo autem pacto hoc ſequatur videndū prius quam ad textum veniamus.

Non eſt proceſſus in infinitum in extremis. Detur, vt ſupra dicebamus, quod ex aere fiat ignis, tūc in igne manebit ſiccitas, ſecundum quam opponebatur aer aquæ.

Tunc ſi iterum ex igne fit aliud rurſum ſit A. ergo per aliquā contrarietatem differt ignis ab A. ſecundū quam in ipſum mutatur, erit ergo ignis ſiccus & niger, vt ante, & modo habebit tertiam aliam ſecundum quam opponitur A. cū ergo ex igne fit aer, manebit iſta qualitas in aere, quia non ſecundum illam opponitur ignis ipſi.

Vlte

Vlterius, si iterum ex A. fit aliud puta B. ergo erit alia contrarietas inter ipsa: & hæc manebit in A. cũ ex B, fit A, qa nõ ei opponitur: similiter manebit in igne, & ex igne in aere, erũtq; iã quatuor in aere.

Bunda. ist ut ra nokis. Vlterius, si ex B, fit aliud, puta C, erit alia cõtrarietas, quæ manebit eadem ratione in antecedentibus vsq; ad aerem: semper.n. qualitates, p quas elemẽta differũt, & mutantur in superiora sunt symbolæ inferioribus, manentq́ue in ipsis.

Cum aũt infinita elementa ponãtur, oportet multiplicare infinita contraria, p quę mutentur semper inferiora in superiora, & hęc omnia erunt symbola inferioribus, aeri scilicet & igni, & alijs & sic vni infinitæ qualitates contrarię inerunt. Inititur.n hęc ratio huic, q̃ qualitas, secundũ quã vnũ elementum non opponitur alteri, manet, cum in ipsum mutatur.

Dubium circa ra tionem Arist. Aduersus hanc rationem insurgo, quia non videtur concludere intẽtum: nam nõ oportet multiplicare noua cõtraria secundũ noua elementa, sed facere nouas coniugationes cõtrariorum eorũdem: et ita dicam, quod ignis differt ab A, non per nouam contrarietatem, sed quia ignis est siccus, & niger, & dulcis, A. verò siccus, niger, amarus: postea verò A, & B, differunt, quia A, est siccus, niger, amarus, sed B, siccus alb⁹, & amarus, & sic nouas postea carũ qualitatũ faciã combinationes, sicut & Arist. facit nam siccum modo cõiungit cum frigido, modo cum calido,

Respondeo, quod hoc nihil valet: nam illæ qualitates vel sunt finitę, vel infinitę: si finitę, nõ fient combinationes infinitæ, pro elementis infinitis, vt supponitur: si autem infinitæ habetur intentum. ob id Arist. semper nouam contrarietatem sumit cum nouo elemento, quod non fit in elementis positis ab Arist. quæ cõbinationibus qualitatum constituuntur. *Solutio.*

Quod dictũ est de igne sursum, etiam dicitur de aere deorsum versus aquam, & terram: pari namq; ratione non est processus in infinitum, sed ex vtraq; parte ad aliqua opus est stare extrema.

Ad literę explicationem modo veniamus: dicit, quod si ignis mutatur in aliud sursum, & non in extremum, scilicet aquã, fit. v.g. id, in quod mutatur sursum. Ps. oportebit ergo aliã cõtrarietatem præter dictas constituere inter ignem, & Ps. quia hoc distinctũ esse supponitur ab oĩbus alijs quatuor dictis puta, igne, aqua, aere, terra: sit igitur talis contrarietas inter ignem, & Ps, B, & M, vt igni insit B, & ipsi Ps. insit M, sequitur, quôd B, inerit alijs inferiorib⁹. scilicet aeri, aquæ, & terræ, quia Ps, in ignem, & ignis in aerẽ, & aer in aquã, & hæc in terram mutari possent, & B, est illis symbolum, quia per tale ignis non opponitur illis. *Expositio textus.*

Quod si rursus Ps, in aliud mutatur, erit alia cõtrarietas quę inerit inferioribus, cum igitur sit in infi-

nitum processus, oportebit infinita multiplicare, quæ vni inerunt. At Aristot. incipit impugnare hoc, q̃ insint vni illę cõtrarietates, facitq; primũ argumentũ: quia talis qualitas nõ apparet in aere prẽter duas, quas habet, neq; ostẽsum est quæ sit, illud tamen certum esse inquit, quod inessent infinitæ, si procederet numerus elementorum in infinitum versus extrema.

Si autẽ hoc nõ erit neq; terminatũ esse.

Inconuenientia quæ sequuntur si in vno elemẽto sint infinita qualitates.

Prosequitur inconuenientia deducere, quæ sequuntur, si in vno multiplicãtur infinitę qualitates. Et secũdũ incõueniẽs est, q̃nõ poterunt elementa definiri, definitio n. explicat naturã, & rei proprietates, at infinitę exprimi nõ possũt.

2. Tertium, quòd nullũ erit generabile, quia ad generationẽ oportebit expectare transitũ infinitorũ cõtrariorum: ex omnibus enim his debet compositum generari.

3.

4. Quartũ. Erit aliquod elementum ingenerabile: si. n. sunt iufinita elementa, ergo infinita media, ergo quæ vltra sunt, ingenerabilia sunt, quia oportet prius media infinita transire quod fieri non potest.

5. Quintum est, quod ex aere non fieret ignis. Philop. explicat, q̃ ex medio non fieret extremum, quia distat in infinitum, tamen, dici potest, quòd ex aere non fiet ignis, quia vt prius fiat aer, debent deorsum transiri infinita, & sic non perueniretur ad ipsum aerem, ex quo fieret ignis.

6. Tandem infert, quod omnia vnũ essent elementum, quia omnes cõtrarietates vni inessent, nam superiores sursum venirent ad aerem, similiter inferiores deorsum.

Nota. Aduerte, quòd non intendit Aristot. ere quod omnes aliorum qualitates vni inessent, hoc enim non sequitur: nam non omnes qualitates superiorum veniunt ad aerem, nec ad inferiora.

V. g. ex igne regreditur ad aere siccũ & illa qualitas, secundũ quã differt à superiori: tamen qualitas superioris, per quam differt ab igne, non redit ad ignem & sic nec ad aerem, sed illa per quã differt ab alio superiori.

Idem fit in inferioribus,

Sensus Arist. Sensus ergo est, quod ex omni cõtrarietate vnum extremum redit ad aerem, & tunc vnus aer opponitur omnibus, tam superioribus, quam inferioribus: frustra ergo multiplicãtur reliqua, puta, ignis, & superiora, quia aer illi opponitur, cui quodcunq; aliud, & sic ad vnum par contrariorum elementorum omnia reducenda essent, non ad infinita, ita mihi videtur locus iste exponendus: nam quę dicunt Alexand. & Philop. nullam apparentiam habent.

CAPVT. VI.

Admirabitur aũt aliquis dicẽtes. te. 37 *Reprehẽsio. Emp. qui posuit elementa in transmutabilia.*

CVm de mutua elementorum mutatione locutus fuisset, nunc contra Empedoclem sermonem texit, ipsumq; e multipliciter redarguit, quia elementa intransmutabilia posuit.

1. argu. cõtra Empedoc.

Ac primò reprehendit quia ipsius dicta, repugnantia sunt: dixit enim ex vna parte elementa esse immutabilia, ex alia parte esse cõparabilia æqualia, dicebat enim, esse æqualia: hæc autem duo repugnant, id circo dicit Aristot. q mirabitur quis eos, qui dicunt elementa plura esse intransmutabilia & simul cum hoc æqualia: nam si immutabilia sunt, comparari non possunt, & si comparari possunt non sunt immutabilia.

Tribus modis secundum æqualitates cõparari possunt elementa inuicem.

Quo autem modo id sequatur, ostendit, & distinguit tres modos, quibus comparari inuicẽ possunt, primò, secundum quantitatem, vt vnũ sit alteri æquale in quãtitate, altero modo secũdũ potẽtiam, & qualitatẽ, vt quantũ potest vnum tantum possit alterũ, & hoc dupliciter, aut in qualitatibus diuersæ speciei, quæ cõparatio est secundum proportionem, sicut dicitur, hoc est tantum album, quantum illud est calidum: hoc tantum infrigidat, quantum illud calefacit, aut in qualitate vnius speciei, & ista erit tertia comparatio, vt si dicatur, hoc est tantum, aut plus minusve calidum, quàm illud, vel calefacere potest, quantum illud.

1.
2.
3.

Reiicitur primus modus æqualis, quem ponebat Empedo. Dubium D. Tho.

Argumentatur contra primum modum, quem Empedocles ponebat, si aqua, verbi gratia, & terra sunt æqualia, vt vnus pugillus terræ cõtineat decem aquę, ergo est vna communis mensura vtriq; & sic inuicem mutabilia sunt.

Dubitabis, videtur enim non valere cõsequentia, quia cęli sunt cõparabiles, est enim vnum maius altero, at non ob id mutabiles inuicem sunt. Hoc dubium mouet Auerr. & S. Thom. sed omissis responsionibus ipsorum, videtur mihi Philoponus optimè respõdere.

Solutio optima philop.

Dicit enim, quod dupliciter potest intelligi, elementum esse alteri æquale: vno modo secundum totalitatem, ita vt quantum vnum occupat loci, tantum occupet alterum: altero modo secundum quãtitates potentiæ, vt tantum terræ sit quantum aquæ, quia quantum continetur sub quãtitate illius terræ, continetur sub quantitate aquæ: modo priori pugillus terræ non est ęqualis decem aquę vt notũ est: modo verò posteriori, ęqualis, quia quanta substantia, & materia est sub quantitate pugilli terrę, tantum est sub decem aquæ. Ex comparabilitate priori nõ colligitur mutabilitas, vt probat argumentum, at bene colligitur ex mutabilitate posteriori: non enim materiæ possent comparari, nisi aptę essent esse, & sub aquę quantitate, & terræ. Aristotel. ergo procedit de hac ęqualitate.

Ratio Philopo.

Quod ostendit Philopon. nam de priori valdè notum erat, elemẽta nõ esse æqualia, nec Empedocl. id dicebat, nã terra maior est aqua, qa aqua in terræ foraminib⁹ est, aer verò & ignis dignosci non possunt secundum hanc quantitatem reliquum est, vt de posteriori intellexerit Empedocles.

Nota. Nota ſecundum Philoponum, aquam eſſe minorem terra ſecundum molem ſuam, & non ſupereminere terræ, ſed velut foramina ipſius terræ replere. Quare ſententia hæc eſt antiqua, quam aliqui vt nouam proferunt.

Si autem non ſic ſecundum quantum comparabilia.

Reijcitur 2. modus comparationis elementorũ. Impugnat ſecundum modum comparationis, quo quanta comparantur, non ſecundum quantum ſed ſecundum potentiam, vt tantum poteſt vnos pugillus terræ infrigidare, quantum decem aquę: tunc inquit, non eſt mẽſurare quãtitatem, ſed potentiã, ſicut cum dicitur, tantũm vnum eſſe album, quantum alterum calidũ: hoc verò non eſt eſſe æquale vnum alteri, ſed ſimile. Quod enim in quantitate eſt æquale, in qualitate eſt ſimile, & ſic vnum elementum nõ ob id dicetur æquale alteri.

Inconueniens igitur videbitur ſi corpora.

Reijcitur 3. modus Impugnat modũ tertiũ dicens q̃ ſi ſic ſint cõparabilia, vt vnũ ſit calidũ, alterũ plus, minus ue calidũ, tũc inconueniens eſt dicere, ipſa non eſſe mutabilia, qa calidũ plus aut minus eiuſdem ſunt generis.

Obiectio. Dices, quare ſi vnum eſt magis calidum alterum minus, ſequitur, quòd mutabilia ſint?

Solutio. Reſpondeo ſi hoc eſt minus calidum, põt intendi, & fieri magis: nam calor eſt eiuſdẽ ſpeciei, ſi ergo peruenit ad alterius calorẽ, mutabitur in alterum, vt ſi aer peruenit ad calorem ignis, vtique mutabitur in ignem, ex comparatione ergo in alteratiuis qualitatibus colligitur etiam ipſorum mutabilitas mutua.

Sed neque augmentatio vtique erit. Tex. 38.

2. Arg. principali contra Empedoclem. Secundò argumentatur contra Empedoclem, quia aufert veram augmentationem, quæ non põt cõſiſtere ſine mutatione elementorum, ſed erit ſolum per iuxta poſitionem, & additionem, conuerſio enim ſubſtantiæ non eſt, niſi exiſtente alteratione qualitatum quę non poteſt exiſtere, niſi mutabilia ſint elementa, at Emped. augmentum ponebat, vt ipſius carmen indicat. At re vera nõ eſt verũ augmentum, ſed additio. Verum enim augmentũ nõ in ſola appoſitione ab extrinſeco cõſiſtit, ſed in mutatione etiã, & conuerſione in auctũ: quod fit media alteratione vt dictum eſt in libro primo.

Multo autem difficilius eſt. Tex. 39.

3. Arg. contra Emped. Argumẽtatur tertiò, contra Emped. qui in doctrina ſua non poterat reddere rationẽ generationis naturalis, id eſt, quæ naturæ curſu fit, non arte, aut caſu: Nam generatio talis, aut ſemper ita eſt aut plerunq́; vt ex homine naſcitur homo, ex vite vitis, ex frumento frumentum, raroq́; deficit.

At apud Empedoclem nulla huius ratio redditur: non enim aliud de generatione dicit, nec aliam ponit cauſam, quam elemẽtorum mixtionem, & coniunctionem, at

per

per hanc non est ratio huius generationis, nisi ponatur forma, cuius natura est, simile producere, vel semper, vel frequenter.

An & si ita compositum fuerit os?

Tex. 40.

Confirmatur 3. ex mixtione.

Ostendit quod dixerat, nō solā mixtionem esse rem talē, sed consistere in tali, ac tali miscibilium ratione, & proportione, vt si talis sit proportio, fit os, si verò alia, caro, vel aliud quid: non fit igitur res ex coniunctione elementorū vtcumque, sicut dicebat Empedocles, nisi tali vel tali conueniāt ratione, & proportione inter se: huius autem proportionis causa non sunt elementa ipsa: alia ergo ponenda erat causa, in quo etiam deficit quartò: non ergo cognouit, non solam mixtionem esse rem, sed & rationē ipsam, præterea causam huius rationis ignorauit.

At vero neq; amicitia neq; lis. *Tex. 41.*

Excluditur solutio, quæ posset afferri.

Excludit responsionem. Posset quis pro Emped. dicere, quod posuit illius rationis, & proportionis causam, nempe litem, & amicitiā.

Hoc reijcit Arist. quia lis, & amicitia non sunt causę sufficientes: solum enim inducunt congregationem, & segregationem elementorum, sed nō proportionem illam, quę est substantia, & forma ipsius mixti, vnde mixtio est à fortuna, potestq; esse à lite & amicitia: dico à fortuna, quia quomodo cunq; elemēta veniāt, mixtio est: at res nō est, nisi in ratione & tali proportione veniāt: quod nō est à fortuna, sed à causa determinata.

Nota.

Et hinc in doctrina Arist. facile soluitur dubium de generatione secundum naturam, non enim sic res est talis ob mixtionem solam, sed ob formam ipsam, quæ natura est cuiusq; rei, simileq; sibi producit, de qua nihil dicit Empe. sed solum laudat mixtionem, cum tamen ipsa forma benè se habeat, sitque optimum in re.

Quamuis & elementa segregat nō lis.

4. argu. quo impugnatur dictum Emp. de lite & amicitia

Redarguit dicta Emped. qui dicebat litem segregasse elemēta, & mūdum fecisse, dicebatq; mundū esse Deū, similiter elementa esse Deos priores mundano Deo: q si ita est, quomodo lis separauit? potius enim amicitię tribuere oportebat mundum facere, & Deos separare, vt mundum facerent, quà liti, quę mala est. Ita mihi videtur locus iste exponendus.

Amplius autem de motu. *Tex. 42.*

5. argū. contra Emped.

Quinto arguit Emped. quod leuiter de motu tractauerit, quo nūdus est factus: nam litem, & amicitiam causas mouentes posuit, sed quis motus esset huius, quis illius in particulari, non docuit, & tamē debuit definire, aut demonstrare, vel supponere, vel aliquo modo probare, q non fecit, contentus in communi, & vniuersali rē dixisse.

Amplius aūt quoniā videtur. *Tex. 43.*

6. argu.

Sexto arguit Empedoclem, ex cuius doctrina sequitur, quod amicitia sit magis cōtra naturā, quam lis, quod absurdissimū est. Sequelam manifestat, suppositā motus

diuisione: est enim motus naturalis, vt cum terra deorsum, & quodque in proprium fertur locum: est etiam motus violentus, vt cum terra sursum & quodque contra locum proprium fertur, isti autem sunt contrarij; Vnde fit, q̃ si vnus est in rerum natura, alter etiã sit.

Vis arg. Fit igitur argumentum: quis motus horũ est sub amicitia? probat q̃ violentus: nã motus qui est contrarius terræ, cum mouetur superius, scilicet motus deorsum assimilatur segregationi, qa videtur se iungi ab omnibus alijs: cũ verò ascẽdit, similatur congregationi, qa cũ alijs se copulat: ergo lis, quæ segregat, est magis causa motus naturalis, & sic magis secundum naturam, ob id prior erit, quã amicitia.

7. arg. Septimo etiam superaddit reprehensionẽ, quia sequitur, quòd nullus est mot⁹, nec quies, nisi vbi est lis, & amicitia, & hæ tantum sunt causæ motus, quod inconueniens est, vt probat in textu sequenti.

Amplius autem, & apparent quod mouentur. Tex. 44.

Litem & amicitiã non esse causam motus. Prob. 1. Ostendit aliam esse causam motus præter litem, & amicitiam ex dictis Empedoclis: lis enim solum separauit elementa, & fuit huius causa motus, at vnumquodq; postea in suum locũ se contulit, cui⁹ motus non fuit causa lis, imò ipse dicit, quòd à fortuna elementa in hunc vel illum locum se contulerunt, & aliquando vbi est terra, fuit aer: oportuit ergo, huius motus primam causam ponere.

Præterea dicebat, quod mundus similiter se habet, id est, in circulo simili, modo. n. mundus ex chao, modo chaos ex mundo, huius autem motus similis non reddit causam, lis enim, & amicitia non omnis motus causę sunt, danda ergo erat vniuersalis causa, & talis esset primum principium, non autẽ lis. *Inconueniens autem est, & si anima.* *Secunda probatio*

Tex. 45.

Octauo reprehendit Empedoclem ex abusu elementorum: omnia enim ex ipsis componebat, etiam ipsam animam, quod reijcit Aristot. nam si anima est elementum non habebit alias passiones, nisi illius elementi, quod est: si autem est ex elementis, non habebit nisi passiones corporeas: at animæ passiones, vt esse musicum, recordari, obliuisci, non sunt passiones tales: non ergo est ex elementis composita, at quia hoc de animę passionib⁹ discutere non erat loci præsentis: sed ad alium spectat librum: ob id se ad eum remittit, & nos etiam, (Deo fauente,) ibi latè de hoc differemus. *8. arg. cõtra Emp.*

CAPVT. VII.

De *elementis autem, ex quibus.*

Tex. 46.

HVcusq; duo Aristot. de elementis tradidit: alterum est ipsorum principia, & numerus, alterum ipsorum mutua generatio, & trãsmutatio: nũc tertio de ipsis in ordine ad mixtionem, & mixtũ dicit, nẽpe qualiter ad mixtio- *De elemẽtis in ordine ad mixtionẽ*

tionẽ veniãt,& quę in mixto sint.

Differẽtia inter Arist. & Emp.

Procedit autem assignando differentiam inter suam sententiam, & opinionem Empedoclis,qui eadem quatuor elementa posuit, sicut & ipse: sic autem procedit,ponit etiam dubia contra sententiam suam,&contra Empedoclem alternatis vicib. & postea soluit contra se posita dubia, relicta opinione Emped.vt falsa.

Principiũ quod dam pro sentent. Arist.

Ac primò constituit vnum principium pro suamet sententia tale, quod quicunque dicunt elementa ista,ex quibus corpora componuntur,habere aliquid commune scilicet materiam, coguntur fateri esse inuicẽ mutabilia: & contrà qui dicunt esse inuicem mutabilia etiam fateri debent materiam habere communem,vt notum est.

Disput. contra Arist. & Emped. 1. Ratio

Incipit autem contra Empedoclem disputare: hic enim elemẽta intransmutabilia posuit, ac integra manere in re ipsa composita. Ex quo sequitur, ꝙ carnes,ossa,et reliqua homogenea non possunt esse: quia si ex elemẽtis cõstant diuersis inter se,ac manentibus,quo modo res erit similaris ? quælibet enim eius pars debet esse eiusdem rationis,& denominationis cũ toto,quod illo modo esse nõ potest.

Nota ex positionẽ litere.

Nota literã,dicit enim, (quicunque ponũt elementa,quę nec inuicẽ generãtur,nec ex vnoquoq;,) id est,non extrahuntur ex mixto, nisi sicut lapides ex pariete, lapides enim actu erant in pariete, & in qua parte vnus, alius non erat, sic enim ponebat in mixto elementa Empedocles (hi tales non possũt dicere,quomodo fiat os ex illis)id est,non possũt dicere, quomodo aliquod mixtum sit similare,& homogeneum, vt diximus.

Habet autem quod dicitur, dubitationem.

Contra propriam sententiam se conuertit,dicitq; quòd positis elementis mutabilibus,adhuc est difficultas de eodem,puta quomodo fiat,os,& caro ex illis,nã quòd ex aqua fiat aer, facilè potest intelligi,quia eis est communis materia: at ꝙ ex ipsis fiat vnum ab omnib⁹ distinctum,hoc videtur difficile, quia non videtur,quid eis sit commune,puta elementis,& mixtis.

Arg. Arist. contra propriã sententiam.

Altera expositio litere.

Potest etiã esse sensus alius,vt dicat esse difficilè etiã ꝙ dictũ est de osse,& carne apud sententiam propriã: nam quis modus erit generationis ex ipsis? nõ enim est sicut cum vnum elementũ fit ex altero.

Sentent. Emped. circa hoc dub.

Circa quod dubium ponit sententiam Empedoclis: hic enim hũc modum mixtionis ponebat,quod elementa diuidebantur in paruas partes,quę simul coniunctę faciebant mixtum manentes in suis integris substantijs,sicut ex lapidibus & lateribus fiũt parietes: Vnde mixtio apud Empedoclem nõ erat,nisi quædam compositio, vt patet.

Contingit autem nõ ex qualibet parte.

Tex. 47.

Reiicitur modus Emped.

Modum istum redarguit, quia sequitur vnum inconueniẽs,quod

ex qualibet parte mixti non posſent quatuor elementa extrahi, & ſic non quælibet pars mixti eſſet mixta: ſequela oſtenditur, quia ſicut ex qualibet parte parietis nõ poſsũt extrahi lapides, & lateres, quia in quo loco erãt illi, nõ erant illi, ſic ꝓfectò fiet in mixto, ꝙ eo dẽ modo ex elementis cõponitur.

Nota ex poſitione literæ.

Nota literam, dicit, ꝙ ex qualibet parte nõ extraherentur ignis, & aqua, & reliqua, ſed eſſet, ſicut ſi eſſet cera ex cuius vna parte fieret vna figura, ex altera parte alia.

Statim impugnat per idẽ exemplum, quia ſicut ex qualibet parte ceræ vtraque poteſt fieri figura, ſic ex mixti parte qualibet educi poſſunt quatuor elementa, quod ſuperius explicatum eſt.

Similiter aũt & faciẽtibus. Tex. 48.

Difficultas, quæ reperitur in ſentẽtia Ariſ.

Poſtquam difficultatem, quę ex modo mixtionis poſito ab Empedocle, ſequitur, expoſuit: nũc difficultatem, quę ex proprio modo ſequitur, ponit. Difficultas eſt: ſi ex igne, & aqua fit aliud, vel illa manent, vel nõ: ſi manẽt, erit mixtio compoſitio, vt dicebat Empedocles: ſi verò non manent, ſola illorum materia reſtabit in mixto, cũ corrumpãtur: ſi aũt hoc, iã erit genetatio, ſi aliquid ex illis fit, & nõ mixtio: ꝙ ſi aliud nõ fit, manebit ſola materia, ex vnius enim corruptione videtur aliud nõ poſſe fieri, quã vel alterij generatio, vel ſola manere materia, quod eſſe nõ poteſt: ergo non eritmixtio. *Nunquid igitur quoniam eſt admagis.*

Soluit dubiũ explicatq; modũ, quo fiat mixtio, ſeu quomodo elementa ad mixtionem veniant. Explicat primò, dupliciter aliquid dici calidum, ſeu frigidum ſeu aliud ex his, vno modo ſimpliciter actu, vt quod totaliter eſt calidum habetq; totam latitudinem qualitatis & quod ſic eſt calidũ, habet frigiditatem tantũ in potentia & è cõtra, quod ſic eſt frigidũ, habet tantũ calorem in potẽtia, idemq; eſt de alijs cõtrarijs: altero modo aliquid dicitur calidũ, quia calorem habet, ſed non ſummum, ſed in aliquo gradu: & hoc tale ſecũ compatiuur aliquam frigiditatem ita vt ſit calidum frigidum: ſimiliter de frigido, quod erit ſic calidum, idemq; de alijs contrarijs.

Explicat intẽdit ſicultas.

Dupliciter aliquid eſt calidum aut frigidum.

1.

2.

Modus mixtionis ſecũdũ Ar. eſt.

Hoc ſuppoſito, dicit, ſic manere contraria in mixto, non quidem prorſus actu non prorſus potentia, ſed refracta in ſuis excellẽtijs, & ad medium redacta: & ſic ſolui tur dubium. Nam nõ ſola materia manet, nec ſimiliter cõtraria integra manent, ſed quoad qualitates ſuas refractas ſimul cum ipſorum materijs, & in hoc mixtio eſt.

Addit autem, quod poteſt magis, vel minus vna qualitas manere intenſa, vel remiſſa, & ſecundũ hoc vnũ mixtũ poteſt alio eſſe calidius, aut frigidius duplo vel triplo, vel alia proportione, qua poteſt vna qualitas, quęcũq; ſit, aliã excedere & ſuperare, quod non eſſet, ſi omnes ęquales eſſent. *Erunt autem mixta alia ex contrarijs.*

Nunc

soluitur dubiũ ſu propoſitum.

Nunc dubiũ ſoluit iterũ, ſimul etiam quod contra Empedoclem dixerat, dicit, quod mixta fiũt ex contrarijs elementis, & etiã elemẽta fiunt, & educuntur ex mixto. Ex elementis quidem conſtãt mixta, non vt ſola ipſorum materia maneat, ſic enim ſola eſſet generatio: ſed prædicto modo, vt refractæ maneant qualitates, ſicque mixtio ſit, & non ſola generatio. Similiter ex mixto elementa fiũt non tanquam ex ſola mixti materia, ſed tanquam ex eo, in quo ipſa continentur potentia, & virtute.

Soluit dubium q poſſet oriri.

Quoniam autem patiuntur contraria. Poſſet quis dicere, quo modo calidũ poteſt fieri ſimul frigidũ & remitti, & frigidũ ſimul fieri calidũ? Idem de ſicco, & humido. Ad hoc reſpõdet: q vt dictũ eſt capite de actione, vnũ cõtrariũ eſt potentia alterũ, id eſt, habens vnum contrariũ eſt in potẽtia ad alterum. Inde prouenit, vt inuicẽ poſsint agere, & pati, & ſic ſe mutant, cũ æqualia non ſunt. Maius enim minus in ſe conuertit: at cum equalia ſunt, agunt quidẽ, & patiũtur mutuò, ſed nõ ſe inuicẽ mutant, ſed ad mixtũ veniunt, & ſic elementa in mixto ſe mutuo mutant, vt contrarietas ad medium veniat, & ſic fiunt os, caro, & homogenea.

Tale autem medium non eſt vllum extremum, ſed extrema temperata: nec cõſiſtit in indiuiſibili, id eſt, non ſolum eſt medium, q di ſtat equaliter ab extremis, hoc. n. mediũ eſt mathematicũ vnumq; eſt: ſed dicitur hîc mediũ, quodcũque eſt intra extrema quod multis modis poteſt contingere, vt notum eſt, & ſic multa fiunt media & mixta quę in medijs hiſce conſiſtũt. Quo autẽ modo vnũ contrarium patiatur, ſatis declarauimus in quæſtione de reactione.

CAPVT VIII.

Omnia autem mixta corpora. Tex. 49

Quæ in mixto ſint.

MOdũ, quo elementa ad mixtum conueniant, explicuit, nunc quę in mixto ſunt, explicat, dicitq; in mixtis perfectis, quæ prope medium, id eſt, terram ſiunt, omnia quatuor ineſſe elementa. Hoc dupliciter probat: primò diſcurrendo per omnia ſecundo ex ſigno quodam.

Omnia quatuor elementa eſſe.

Primò igitur terra ineſt, quia cũ talia fiant in loco terrę, ibiq; maximè terra abundet, quia proprius locus ipſius eſt, profectò ipſa ineſt in mixto: eſt enim elementum aptum ineſſe, & copia eius eſt.

Eſſe terram.

Eſſe aquam.

Aqua etiam ineſt propter duo, primo, quia mixtum debet eſſe aliquo termino terminabile, & aliquam figuram recipere: at aqua inter omnia eſt maximè terminabilis, id eſt, aliorum terminatiua, vt dicit Philop. nam aer in ſe magis terminabilis eſt tamen alia corpora dura non ita terminabilia facit, ſicut aqua.

Alterum eſt, quia terra nõ poterit in mixto cõſiſtere, niſi per humidũ aqueũ qđ melius cũ terra eſt cõmiſcibile, qđ patet ex his, quę ex ſiccãtur extracto vapore ſtatim.

in partes dissoluuntur.

Nota. Non tamen putes ex hoc,quod terra nõ habet cõtinuitatẽ, habet namq; , sed in mixto nõ terminatur,nisi ratione aquę,vt patet: Cũ enim terram ad aliquam figuram trahere volumus,non aerem , sed aquam infundimus.

Esse aerẽ & ignẽ in mixto. Probat de aere,& igne: ista enim ingrediuntur mixtum tãquã contraria illis duobus,quia generatio ex cõtrarijs est.Sẽsus est , in mixto sunt contraria refracta , & retusa,cũ ergo sint aqua, & terra, oportet,vt sint etiam alia duo contraria ignis & aer, vt retũdãt alia.

Nota. At quia elementa dixerat contraria, ne videatur ponere contrarietatẽ in substãtijs,subiungit esse contraria,prout substantia potest substantię contrariari : hoc autem est non secundum substantiæ rationem, sed secundum qualitates ipsorum,ac passiones.

Testificari autem videtur ex nutrimẽto. Tex. 50.

Idẽ probat a signo. Secundo idem signo ostendit. Vnumquodq; enim simili nutrimento nutritur,nam qualis est viuentis substantia, tale nutrimentum est . At nutrimentũ est multa,id est,mixtum ex elementis:ergo ex multis elemẽtis constamus: Minorem ostẽdit, quia si aliquod nutrimentũ esset simplex , maximè esset plantarum:at id non est, quod colligitur ex eo, q̃ irrigãtur tanquam terra non sufficiat sola.

Quoniam autem est nutrimentum quidem materiæ.

Inter elementa ignem maximè nutriri docet,& rationem subdit: quia quod nutritur , est forma in materia cõprehensa:fit enim augmentum, & nutritio secundũ formam, nutrimentum autem succedit,vt materia: ignis maximè similatur formę,ob id maximè nutriri dicitur. Assimilatur autem formę,quia habet rationem termini, & ad terminũ tendit,id est, ad locum continentem reliqua elementa,at forma,vt terminus quidã est.

Ignis inter elemẽta maxime nutritur.

Nota. Nota autem,quod non est vera nutritio ignis,sed impropria. Propria enim viuentibus conuenit,vt superius est ostensum.

Concludit igitur , quod mixta ex omnibus elementis constituta sunt,si non formaliter, saltem virtualiter ad mixtionem conuenientibus,vt diximus lib.1.

QVAESTIO XI.

An detur mixtum ad pondus æquale.

Sensus quæstionis. Duplex æqualitas in qualitatibus gradus & proportionis seu iustitiæ.

EXplicãdus est sensus quęstionis,vt moris est:scias duplicẽ posse considerari ęqualitatem in qualitatib⁹ hisce , quę mixtum componunt: altera est ęqualitas graduum inter se,vt sit tãtus calor, quanta frigiditas,similiter siccitas & humiditas, & talis dicitur ęqualitas ponderis:altera est æqualitas proportionis,vt sit talis concentus & temperis ipsarum vt sit conueniens formæ talis mixti,& ipsius operationib⁹ , licet qualitates inter se nõ sint in gradu æquales, talis dicitur æqualitas iustitiæ,quia p̃ eã forma habet,& cõsequitur operationes

Duplicitè potest cõsiderari æqualitas in mixto.

tiones sibi cõueniẽtes, & debitas.

Iuxta hanc duplicem qualitatũ & elementorũ, æqualitatem potest mixtũ duplex considerari: alterũ, quòd priorẽ sortiatur æqualitatẽ, quod dicitur quoad põdus: alterũ, quod cõsequatur posteriorem, q dicitur æquale ad iustitiam.

De quo est quæstio.

Nunc ergo, in præsenti dubitamus: an tale mixtum ad põdus sit possibile. Sunt autem argumenta, quibus ipsum esse probari potest.

1. argu.

Primum est: vbi datur maius, & minus, datur æquale: at datur mixtũ cuius calor excedit frigiditatẽ, & maior est: similiter datur, cuius calor minor est, vt patet: ergo dabitur mixtum, cuius calor æqualis frigiditati est: similiter de alijs, ergo dabitur mixtum ad pondus.

2. argu.

Secundò. Vbi est vnũ contrariorum, est aliud vt dicitur, 1. cæli. tex. 44. & 2. cæli. te. 18. at est mixtum inæquale in põdere, ergo dabitur etiam oppositum, quod est mixtum æquale ad pondus.

3. argu.

Præterea tertiò. Si nõ posset esse mixtum ad põdus, esset ex eo, quia qualitates cõtrariæ nõ possũt esse æquales in vno subiecto at possunt esse secundũ duas medietates, quibus cõpletur tota latitudo vni9, vt calor vt quatuor simul cũ frigiditate vt quatuor: nõ ergo repugnat esse mixtum ad pondus.

4. argu.

Quartò. Nõ est trãsitus de extremo ad extremũ eiusdẽ rationis, nisi per med.ũ: At mixtũ ex minus calido potest peruenire ad magis calidũ, quã frigidũ, ergo necessariò trãsibit per æquale calidum: & sic dabitur mixtum ad pondus.

5. argu.

Præterea quintò. Si mensuratum est mẽsura debet esse. At mẽsura omnium mixtorum inæqualium pondere est ipsum æquale: nam per ipsum reliqua mensurãtur: si ergo ista inæqualia sunt, profectò erit ipsum æquale.

6. argu.

Præterea sextò. Si nõ est mixtũ hoc, vnum contrarium alteri dominaretur, ipsumque excederet, & sic facile, & citò dissolueretur mixtum, quod falsum apparet.

7. argu.

Tandẽ septimò. Dãtur æqualia quo ad qualitates ipsas motiuas, puta grauitatem, & leuitatẽ, vt sit aliquid tantũ graue, quantũ leue, ergo dabitur mixtum etiã æquale quoad alteratiuas: eadem enim videtur ratio. Probatur antecedens, de oleo, ligno, & alijs: quæ super aquas posita partem intra aquam, partem extra habẽt: quod videtur indicare, esse æqualis leuitatis, & grauitatis. Hæc sunt argumenta in hac difficultate.

1. Sententia Galeni.

Quatuor existunt & Philosophorũ, & medicorũ circa hoc sententiæ. Prima est Galeni lib. 1. cõplex. cap. 9. & lib. 2. cap. 1. qui nõ solum existimat dari mixtum æquale ad pondus, sed tũc putat esse in sua optima dispositione: vnde animal perfectissimam habere putat temperiem, cum æqualitatẽ hanc sortitum est.

Ratio Galeni

Argumẽtũ ipsius vnũ est, sed bonũ. Tẽperies optima est in tactu hominis vt etiam fatetur Aristo.

& de anima cap. de odore, qui hominem in hoc sensu animalia cuncta excedere dicit, sed talis temperies est in ponderis æqualitate: ergo illa est optima complexio. Minor probatur, quia si in tactu aliqua excederet qualitas, nõ posset sentire omnes qualitates omnium obiectorum: non.n. sentit nisi excedentes qualitatis in obiectis: vt si tango aliquid, sentio solum, quod magis excedit: quòd si tactus non haberet æqualitatem, vtique non sentiret excessus, imò plantæ, & ossa ob id non sentiunt, sicut dicit Arist. cap. de tactu, quia hanc æqualitatem non habent.

2. Sent. Auicennæ & Auerro. Secunda sententia est Auicenn. fen. 1. doctr. 3. ca. 1. & Auer. 1. par. cant. tract. 1. cõm. 19, & li. 2. colliget cap. 22. & 1. cæli comm. 7. & 10. Meta, cõm. 23. & 4. Metheo. comm. 10. & in. 2. gen. comm. 48. & aliorum Arabum, qui mixtum ad pondus non esse posse contendunt: & dicit Auicenn. quod in hoc credendum est magis Phisico, quam medico. Rationes Auer. hinc inde collectæ sunt tres.

1. Ratio Prima est, in mixtione nõ potest esse æqualitas ad pondus, ergo nec in mixto: consequentia est certa: antecedẽs prouatur, quia si qualitates essẽt pares, nulla ageret in aliã quia à proportione æquali non est actio, nec passio. Hanc rationem habet. 4. Metheo. comm. 10.

2. Ratio Altera est, quę habetur. 2 colliget c. vltimo, quia in singulis mixtis sicut vnica est forma, ita debet esse vnica qualitas dominãs, quę est vel forma, reliquę vt materia subiectæ: si.n. multæ essẽt æquales, non posset mixtũ vnitatẽ p se habere. 3. Ratio Tertia ratio est 1. cæli. cõm. 7. quia si elementis æqualitas ineset, mixtum esset æqualiter leue, & graue, hoc autẽ est impossibile, quia vbicunque poneretur, quiesceret, cũ non sit maior ratio, quare potius hoc vel illo motu moueretur. Hęc est sententia horum Arabum.

3. Sent. Hugonis Quatuor complexiones in animali. Tertia sententia est quorundam medicorum, inter quos videtur esse Hugo Senẽ super fen. 1. doct. 3. cap. 1. Hi distinguũt quatuor in animali complexiones: prima est, quã vocant innatam naturalem, & primam: & hæc est illa dispositio proxima, secundũ quam fuit introducta forma mixti substantialis, & hac dicunt esse non posse æqualem ad pondus, imò secundum hanc animal est magis frigidum, quàm calidum.

2. Altera est quam influxam vocant: scito enim quòd præter qualitates illas naturales, quibus forma consistit in materia, tanquam proximis dispositionib⁹, sunt partes animalis aliquę calefacientes alias, vt cor, sunt etiam infrigidantes, vt cerebrum, aliaq; passiones inducentes, & temperies secundũ has qualitates dicitur influxa, & secundum istam dicũt animal magis esse calidum & humidũ quàm frigidum.

P Tertia est composita ex innata & influxa, nã qualitates influxæ,

coniungũtur cum naturalibus, & temperiem totalem faciunt, & secundum istam dicunt esse æquale ad põdus, imò tũc est optimũ temperamentum, cùm innata complexio reducitur ad æqualitatem põderis ab influxa, talemq; in tactu esse dicunt, & per hoc defendunt Galenum.

4. Quarta complexio est totalis, puta aggregatio qualitatũ, quæ est in omnibus partibus animalis simul, & hanc dicũt esse æqualem ad põdus, i. in toto animali tantũ est caloris, quantum frigiditatis, & aliorũ similiter cõtrariorũ, quamuis non in singulis partibus similiter, quibusdam enim inest calor magis, quibusdam frigus.

4. sentẽ. Marsilij. Quarta sententia est nominaliũ Marsilij, quæst. 15. Alberti Saxo. quæst. 11. & aliorum. Hi .n. distinguunt qualitates primas in motiuas, quales sunt grauitas & leuitas: & alteratiuas, quales sunt quatuor assignatę: iuxta hoc distinguunt tripliciter intelligi posse æquale ad põdus: vno modo in omnibus qualitatib⁹, tam alteratiuis quã motiuis, vt oẽs existant æquales, secũdò in solis alteratiuis, tertiò in solis motiuis. His propositis, dicunt primò, q̃ esse æquale ad põdus in omnib⁹ qualitatib⁹, & alteratiuis, & motiuis est impossibile: ratio est, quia istæ æqualitates duę sunt incõpossibiles: si enim est æqualitas motiuarum, necessariò erit inæqualitas alteratiuarũ, & è cõuerso: quia minor frigiditas facit maiorẽ grauitatẽ quã facit maior calor leuitatẽ: vnde vt tanta sit leuitas, quanta grauitas debet esse multò plus caloris, q̃patet in ferro candentissimo, vbi plurimus calor minimum leuitatis inducit.

Triplici ter intelligitur æquale ad pondus.

1. diffi illorum.

Dicunt secundò posse esse æquale in solis alteratiuis: ratio horum est, quia existẽti inæquali mixto põt adhiberi agens aliquod intendẽs, vel remittẽs qualitates, quę intensibiles sunt, potest igitur sic ad ponderis æqualitatem trahi. 2. diffi.

Dicunt tertio, q̃ potest etiam esse æquale in solis motiuis, ob eandem rationem, quia põt applicari intendens, vel remittens: Addunt tũ, quòd non propterea istud tale quiescit in quocunq; ponatur loco, quod est contra Auerroem: dicunt enim, quòd si poneretur in loco ignis, descenderet, quia aqua, aer, terra vincerent, & facerent illud descendere: præsertim quia ignis in tota sua sphęra non resisteret: similiter si esset in superiori parte aeris descenderet, quia solus ignis tunc resisteret, non aer per totam suam sphęram: eodem modo si in terra esset ascenderet, similiter per aquam: at si esset in cõfinio duorũ, scilicet aeris, & aquę, quiescceret: quia tunc æquales essent vtrinq; resistentię. 3. diffi.

Dicũt quartò, q̃ quamuis esset æquale in alteratiuis, esset adhuc corruptibile, & ab extrinseco, vt notũ est, & etiã ab intrinseco. Ratio est, quia quamuis qualitates alteratiuæ sint æquales in gradu 4. diffi.

non ob id essent æquales in potentia, nam calor eiusdem gradus cũ frigiditate actiuior est ipsa: ob id existenti æqualitate in gradu, inexisteret inæqualitas in potentijs, & vna alteram vinceret. Hæ sunt sententiæ Philosophorum circa hanc difficultatem.

2. fund. qualitates elemẽtorum nõ sunt sufficiẽs causa formæ mixti.

Pro explicatione huius difficultatis sit primũ fundamentum, qualitates elementorum in mixtione conuenientes non sunt sufficiens causa cuiusque formę mixti, sed vltra eas opus est aliqua alia virtute productiua, qualis est virtus seminis in animalibus, & plãtis ex semine pductis, vel virtus solis, vel astri in his, quæ citra semẽ generãtur, vel influentia aliqua in alijs mixtis & cælorũ virtus: nõ enim qualitates hæ elementares talis sunt naturæ, vt formas multo perfectiores possint attingere. quãuis nõ nego, posse ad aliquã saltem formã mixti virtutes elementorum attingere, vt diximus superius probabiliter.

Qualitates elemẽtorum potius sunt dispositiones.

Hinc sequitur, quod quãuis respectu elementorũ sint virtutes productiuę, similiter dispositiones, tamen respectu formarum mixtorum potius habent rationem dispositionis, & materiæ, quam virtutis productiuæ.

Nota. 1. cũ diuersa dispositione si eadẽ sit eadẽ virtus productiua aliquo modo eadem speciei formæ producitur.

Ex his sequuntur aliqua notanda: duo ex parte virtutis, duo ex parte qualitatum harum. Primum sequitur, quod cum virtus productiua sit causa inducẽs formã, potest esse, vt existẽte aliquantũ diuersa qualitatũ temperie in diuersis materijs producatur eadem speciei mixtæ forma, quia est eadem specie virtus productiua: vnde fit q̃ forma leonis inducatur in materia nõ eodem modo dispositam, quãtum ad has qualitates, sicut altera in quam inducitur etiã forma leonis, & hoc quia est eadem virtus productiua in vtraque.

Nota. 2. cur multa individua eiusdem speciei non habeant omnino idẽ temperamentum.

Secundum sequitur, cur non omnia individua mixta eiusdem speciei idem omnino temperamentũ habent, sed aliqua potest esse diuersitas, dummodo sint omnia talia temperamenta, vt non excedãt id quod speciei debetur.

Tertiũ sequitur, quod aliquando forma inducitur cũ dispositione sub qua nõ potest multum conseruari nisi accedat alia dispositio v. g. anima inducitur in embrionẽ tũ non conseruatur ab illa solum dispositione, sed virtus productiua superaddit dispositiones ad eõ seruandum, quod si illę dispositiones fuissent causę sufficerent conseruare, quod tamen non est.

3. Nota aliqua forma inducitur cum dispositione sub qua non potest multum conseruari.

Quartum sequitur, quod istę dispositiones, & qualitates obseruãt conditionẽ dispositionum in hoc, quòd maior dispositio est necessaria ad producendum, quam postquam est productum, sit necessaria vt conseruetur q̃ etiam in elemẽtis euenit. Nã aqua petit tales qualitates, & tãtas, vt fiat, tamen postquam est potest esse cum minoribꝰ vt patet in aqua calidissima non enim sub tanto calore posset

4. Nota. maior dispositio requiritur ad producẽdum quã ad conseruandum.

set generari: ita in mixto. Aliquãdo enim via corruptionis multum distemperantur, ita vt sub tali nõ possent produci.

5. Nota. omnis forma specifica in productione & conseruatione requirit certam latitudinem dispositionũ.

Quintum quod quæque forma specifica in productione, & conseruatione requirit certam latitudinem dispositionum ita, vt non possit ipsam transgredi, quamuis sub ista multipliciter possit se habere. v.g. species leonis habet tantum calorem quo maior esse non possit sub forma ipsius speciei: & similiter est tantus, vt non minor, quamuis intra hosce gradus multipliciter possit se habere: idem in alijs qualitatibus, & aliarum formarum temperamentis.

2. fund. quatuor in genere sint tẽperamenta, vel cõplexiones.

Secũdũ fundamentũ sit. Omissa æqualitate põderis harũ qualitatũ, tẽperies alię reducuntur ad quatuor in genere: prima est, in qua abũdat calor, & siccitas supra alias, quę ignea dicitur, & in animalib⁹ cholerica vocatur. Secũda est, in qua abũdat calor, & humidũ, & aerea dicitur, in animalib⁹ autẽ sanguinea. Tertia, in qua excedit frigiditas, & humiditas, quæ est aquea, & dicitur in animalibus flegmatica. Quarta terrea, in qua excedit frigiditas cũ siccitate, quę dicitur in animalib⁹ melãcholica.

Nota. 1. in vno quoque horũ temperamentorũ sunt innumerabiles proportiones.

Aduerte autẽ, quod quęque diuiditur in modos innumerabiles: secundum maiorem vel minorẽ excessum duarum ad alias, vt si est magis calidum, vel minus: & similiter duarum inter se, vt prima cholerica est multiplex: potest. n. esse æquè calida & sicca, aut magis calida, quã sicca, aut magis sicca, quã calida, & vlterius respectu aliarũ magis sicca, aut minus, magis calida, aut minus excedẽdo alias duas: idẽ in quouis alio tẽperamẽto: vnde consurgunt innumera temperamenta pro varijs specierum, & in diuiduorum mixtorum formis.

3 fund. potest tẽperamentũ vnius tẽperiei aliquo modo in alia reperiri.

Sit tertium fundamentum. Proportio qualitatum, quę in specie est, potest in indiuiduo alteriusin ueniri, sed non eadem ratione, sed vni intemperata, alteri temperata erit, vel si vtrique intemperata, vni erit magis, alteri minus. v.g. potest calor, qui est in leone, in homine esse, tamẽ in leone facit temperiem pro tali forma, at in homine faceret febrim, & magnã intemperiem. Præterea calor, qui in homine facit aliquam intemperiem, in leone tantus faceret minorẽ. Vnde fit vt caloris gradus idẽ, vnũ faciat temperatum, alterũ intemperatũ: vnũ parũ calidũ, alterum calidissimum in propria specie.

Imò in vna specie secundum loca diuersa, tanta enim qualitas hominem vnius climatis faceret temperatũ, alterũ intẽperatum, vt benè dicit Auicen. fen. 1. doctr. 3. *Nota. 1.*

Non igitur inconueniens est, eãdem proportionem in diuersis esse, etiam speciebus, & facere diuersos effectus. Loquor autẽ de proportione qualitatum ex mixtione consequente. *Nota. 2.*

Imò puto, quod in eiusdẽ speciei indiuiduis potest eadẽ proportio *Nota. 3.*

qualitatum inueniri, & vtriq; esse temperata, & bona, imò de facto inuenitur, quāuis ab alijs causis aliquantulum varietur. Argumentum huius est, quòd experimur duo individua ferè in omnibus similia, & in alimalibus ipsis.

4 fund. duplex in animalibus temperamentum.

Sit quartum fund. duplex saltem est in animalibus temperies: vna, quę dicitur innata, & hæc est illa proxima qualitatū dispositio ad formā, quæ prima cōplexio dicitur, altera est, quæ formā conseruat ac operationib. ipsius materiā reddit aptiorem, & hæc influxa dicitur.

1. Causa illius diuersitatis

Cuius diuersitatis duplex est ratio: prima est: quia partes animalis sunt heterogenea, & dissimiles inter se ad varia munera in ipso corpore obeunda, idcirco non potuerunt oēs idem prorsus natiuū sortiri temperamentum, sed quædā frigidæ, & humedę valdè sunt, vt cerebrum: quędam frigidæ, & siccæ, vt ossa, cartilagines, & nerui, licet non ęqualiter istæ: quædam humidę, vt pulmo secundum Galenum: quædam calidæ.

Nota. 1. quod aliquæ partes animalium agant in alias.

Ex hac diuersitate, consequitur necessario, vt quę excedit nimis, agat in aliam secundum suū excessum: & sic cōsequitur ex hoc influxu simul cū qualitate natiua tēperies in parte. Vnde cerebrū natura frigidissimū, at à calore cordis tēperatur: nerui & cutis sicca, & frigida, at à spiritu, & ab ipso sanguine humectātur, & calefiūt: Et in hoc apparet ordo naturæ mirabilis: Posuit.n. partes in animali, quæ intemperatæ per se inuicem se ad temperiem reducerent.

2. Causa illius diuersitatis

Altera causa est, quia animal habet proprietates, quę nō possent simul ex vnica prouenire tēperie: est enim forte, & durum, ob id est multum terreum si autem terreū, consequitur siccitas, & frigiditas ex cōpositione elemētari: at quia motum habet, sensum, augmentationem, & vitæ opera, indigebat calore multo & humido, ob id natura adiunxit principia vltra mixtionem primam, quę influerent, atq; ita tēperarent primam temperiem secundum qualitates primas.

Nota. 2.

Ex quo fit, quod si prima temperies inspiciatur in animali, ferè tota est sicca, & frigida, vt in inanimatis, quia terrę multū: at si influxa, est calida, & humida magis, & in hoc vita cōsistit, signum est autem, quod viget frigiditas, vita recedente, similiter & siccitas.

Nota. 3. de ætatibus.

Ex quo nota, vnū quod cū fit mutatio tēperamenti in ætatibus, ista mutatio fit præcipuè ratione influxę, non autem ratione innatę.

Quinque sunt ætates.

Sunt.n. quinq; ętates, vt rectè docuit Fernelius, l. 3. adolescētia, iuuentus, virilis ętas, senectus, decrepita ętas in prima abūdat calor, & humidū, in vltima, frigiditas, & siccitas. Prima, &c. est adolescentia, quia in ea tota fit animalis augmentū viget enim humidū prolificans partes, & extensioni faciens aptas, quæ durat vsque ad vigesimum quintum annum: diuiditurque in quatuor partes.

Ætas adolescentia diuiditur in partes quatuor.

Prima

prima infantia. Prima est infantia vsq; ad quartũ circiter annũ: in qua ętate multum viget calor, & humiditas; ob id mẽbra sunt laxa, pedes infirmi, vt nequeat homo ambulare præ nimia humiditate laxaris paßibus.

2. pueritia. Altera est pueritia vsq; ad decimũ annum, in qua adhuc viget calor, & humiditas, sed non tanta humiditas, quæ paulatim consumitur, ob id iam magis potest consistere homo, ac progredi, quamuis debiles adhuc sin vires.

3. pubertas. Tertia est pubertas vsq; ad decimũ octauũ, in qua minus humidũ.

4. Adolescentia propriæ. Quarta dicta nomine generis, scilicet adolescentia vsque ad vigesimum quintum: in omnibus, calor, & humiditas vigẽt, semper tamen minor, & minor humiditas, quamuis plus sit in hoc toto tẽpore humiditatis, quàm siccitatis.

2. Atas principalis iuuentutis. Secunda ætas à vigesimo quinto vsq; ad trigesimum quintum: aut quadragesimum dicta florida, seu iuuentus, fortis & agilis, in qua iã incipit vigere siccitas, vt sit calida & sicca.

3. Virilis. Tertia est vsq; ad quinquagesimũ quæ est constans ętas, & virilis, & versus mediocritatem qualitatum tendens, in qua maxime innata complexio qualis esset, apparet.

4 Senectus. Quarta vsque ad sexagesimum quintum dicta senectus, in qua fit iam aliqualis conuersio, est enim frigida, & sicca.

Vltima ætas decrepita. Vltima decrepitudo, quę siccissima est & frigidissima, ob id sensus rigidi dicuntur, multasq; habent proprietates ob frigiditatem nimiam, & siccitatem prouenientes. Hę ętates aliquando accelerantur vel tardantur aliquibus de causis: pręterea non in omnibus animalibus easdem habent annorum periodos, quod non est præsentis loci amplius discutere.

His cõstitutis pro quęstionis dilucidatione, sit prima conclusio. Mixtionem innatam esse æqualem in pondere, seu mixtũ, quoad temperiem primam ex mixtione elementorum insurgentem esse ęquales in pondere vix posse in natura accidere credo.

Nota. 1. concl. Tẽperies innata mixto nõ est æqualis ad põdus.

Ratio. Hãc mihi persuadeo. Nã mixta, aut sunt perfecta, aut imperfecta: si perfecta, quæ ex quatuor elemẽtis cõstat, ferè omnia fortia sunt & consistentia, ob idq; abundant terra, aliter non possent consistere: at cum maiori copia terræ non potest consistere ęqualitas qualitatum, vincit enim terra: ob hoc etiam animalia, quantũ ad primam complexionẽ sicca sunt, & frigida. si autem imperfecta sunt, quæ ex pluribus, sed non omnibus constant, elementis, aut consistentiam habent, aut fluida sunt: & tũc semper vnum elementum in maiori copia est: vnde difficile potest tale ad pondus temperamentum ex prima mixtione insurgere.

2. Concl. aliquod datum mixtũ ad æqualitatem. Secunda conclusio. Secundum complexionem influxam esse aliquid ęqualiter mixtũ, non est dubiũ. Hęc ostẽditur ex eo, quod nõ est, aliqua qualitas remissa, quæ

intendi nō posit, nec intēsa, quin remitti posit: existente ergo innata qualitatum inæqualitate poterit per superuenientem influxam ad temperiem trahi æqualē, quod inæquale est: & hoc mihi multum persuadet argumentum Galeni: Cutis enim humana, nisi haberet æqualitatem, vtique nō posset percipere qualitates tangibiles: at talis temperies non est cuti innata, cùm sit terrea. *Ratio.*

3. Concl. nō potest animal ote pōderis, ita vt singulę sint ęquales in se, fieri non potest.

Tertia conclusio. Esse animal, quoad oēs suas partes, in æqualitate pōderis, ita vt singulę sint ęquales in se, fieri non potest.

Partes habere mixtas ad ęqualitatem.

Aduerte, quòd partes esse diuersi, vel inęqualis temperamenti innati, non dubium est, tamen modo superaddimus, quòd nec accedentes influxa, id fieri potest. *Nota. 1.*

1. Ratio.

Patet primò, quia impedirentur functiones partium, quę non consistunt cum tali ęqualitate: vt cor debet esse calidissimum, aliter nō consisteret vita: cerebrum frigidissimum: ossa sicca, & nerui, pupilla humida: quod si natura ad pondera reduceret ista, vtique perirent ipsorum operationes.

2. Experientia.

Indicat etiam hoc experientia: ossa enim, cartilagines, & caro quāuis animam habeant, nō sentiunt, nec possunt sentire: quòd si talem possent in sua naturali dispositione admittere temperiem, vtique sentire possent: non ergo omnes partes aptæ sunt ad talem æqualitatem: sed quibus aptus est inesse sensus tactus, vt pelliculæ, & cutes, & alia huiusmodi.

4. Concl. certo quidem modo potest animal se mixtū ad æqualitatem.

Quarta cōclusio. Esse tēperiē ad pōdus in toto animali aggregatiuè esse potest: vt v. g. in vno toto animali sit tantū caloris, quantum frigiditatis: similiter aliorū, cōtrariorum duorū, non obstante, quod partes inter se non habeant talem æqualitatem: nec in hoc discordia est vlla apud Philosophos.

5. Concl. Sanitas consistit in inæqualitate mixtionis & in parte sic temperata vigetactus

Quinta conclusio. In hac temperie æquali qualitatū maximè consistit sanitas totius, & in parte æquali secundum pondus maximè inest tactus, & etiam sanitas, vt benè dicit Galenus.

Ratio.

Hoc probatur de sanitate: nam de sensu procedit argumentū Galeni factum: illa est optima temperies, quę magis distat à qualitatum extremo: magis enim resistit, vt ad extremum non possit trahi, in quo corruptio consistit: at cōplexio in medio prorsus ac ęquali in pondere, distat maximè ab extremis: ergo ista est temperatissima, & optima: Minor patet: si enim est aliqua excedens qualitas, iam hoc facilius ad extremū trahi potest, quàm si nō excederet: citius enim fit summus calor, qui est vt sex, quàm qui est vt quatuor.

Obiectio.

Dices, hoc argumēto probatur, qmelius erit esse calorem, vt vnū: hic enim magis distat à summo calore. Dico, quod non valet: nam

Solutio.

si esset calor, vt vnum, tunc alterum contrarium, scilicet frigiditas esset, ppè summū & sic ex alia parte esset facilis corruptio: vt ergo

omnia

omnia simul distant, maximè debent esse in medio: accedit ad hoc quod hac ratione nulla qualitas alteram superabit cum sint æquales, at si vna esset maior, facilius alterã superabit, & ita facilius corrumperetur animal: corpus ergo, quod sic æquale fuerit iuxta quartã conclusionem, erit in optima dispositione totali.

Idem de parte animalis offertur. Similiter pars, quæ ita fuerit iuxta secundam conclusionem, erit optimè secũdum sanitatem disposita: vnde Arist. Proble. sect. 5. q. 22. quæ consistunt in æqualitate, facilè infirmari dicit, sed facilè iterum sanari, quod est optimi temperamenti.

Ad rationes Auer. Rationes autem Auer. nullius sunt valoris, nec probant quicquã etiam, nec æquale secundum primam conclusionem: quod quãuis non detur, tamen id non probat Auerroes.

Ad. 1. Ad primum dico, quod supponit vnum falsum principiũ, quòd æquale non potest agere inæquale, vt calidum vt octo in frigidum in octo.

Æquale in gradu potest agere in sibi æquale contrarium. Hoc autem dupliciter est falsum, primo, quia æqualitas in gradu nõ facit æqualitatem in potentia, & actiuitate, actiuior enim est calor, vt octo, quàm frigiditas, vt octo.

2. Præterea secundo: quamuis esset vtrũque æquè potens, adhuc esset mutua pugna, sed non victoria: nõ enim vnum vinceret alterum, sed vtrumque se ad medium redigeret: vnde calidum agit in æquè potens frigidum, quia hoc est potentia calidum, similiter frigidum in calidum, quia est potentia frigidũ: & hoc nõ considerauit Auerroes, quod in materia de reactione latè declarauimus.

Ad secundum dico, quod istæ qualitates non sunt passiones mixti formæ, sed dispositiones, ob id vna forma potest æquales qualitates dispositiuè habere. *Ad.* 2.

Adde etiam, quod licet sit æqualitas in gradu, & inæqualitas in potentia, propterea non debent singulæ per se sumi, sed simul omnes, quæ vnicã complexionem faciũt.

Ad tertiũ benè dicit Marsilius. vt diximus supra, quãuis ego credo nõ posse mixtũ peruenire ad talem æqualitatem motiuarũ, quia oporteret, quòd esset magna improportio quantitatis elementorum, quæ non posset pati vllam mixti formam. *Ad.* 3.

Superest, vt ad argumenta primò proposita respondeamus. Ad primum dico, quòd in simplicibus valet consequentia si datur maior calor, & minor, dabitur æqualis: at in compositis non valet: nõ enim, si datur in complexione calor intensior & remissior, dabitur æqualis cum contrario, quia hoc impeditur non ob ipsum calorem solũ, sed ob naturam, & modum mixtionis, cui illud repugnat. Potest etiam dici, quòd datur æquale, sed non in innata complexione, sed secundum influxum, & hoc satis est pro argumento. *Ad arg. primo loco posita.* *Ad.* 2.

Ad.2. Ad ſecundũ dico,quòd non ſemper ſi vnum eſt contrarium,erit alterum,niſi ſit verum contrarium, & non habens potius vicem cõtradictorij:vnde non valet,ſi plenum & finitum ſunt, quòd ſint vacuũ, & infinitum actu:iſta enim potius contradictoria ſunt:idem dico de inæquali in mixtione, ſeu complexione innata, & æquali: æquale enim opponitur vt vacuum & infinitum.

Ad.3 Ad tertium dico,quòd non eſt repugnantia in illo: poſſunt enim contraria in æquo gradu medio eſſe ſimul,ſed repugnantia eſt, quia non ita poſſunt elementa conuenire ad mixtionem,vt reſultent qualitates in æquali pondere, vt diximus in prima concluſione.

Ad.4. Ad quartum dico, quod multa æqualia prius exiſtentia poſſunt fieri inæqualia abſque eo, quòd iterũ fiant æqualia:vnde ante mixtionem fuerunt elementa in ſuis æqualibus qualitatibus,ſed non erat mixtum:poſtea accedente pugna,quia vnus fortiùs agit altero,reducta ſunt ad inæqualitatem: & mixtum ſit, abſque tranſitu per æquale in mixto.

Ad.5. Ad quintum dico,quòd eſt mẽſura realis, qua realiter menſuramus:& hæc debet eſſe,ſi menſuratum eſt:Eſt etiam menſura rationis,qua conſideratione menſuramus:& hæc non oportet,quòd ſit. Nam imaginando oratorem perfectiſsimum,qui non eſt, menſuramus alios:ſic eſt mixtum ad pondus menſura non rei,ſed conſiderationis & doctrinę.

Ad.6. Ad ſextum ſolutio patet ex his quæ ſæpè alibi diximus:calor exiſtens adæquate in eodem ſubiecto cum frigiditate non corrumpit ipſam:aliter enim idem ſe calefaceret,ſed ab extrinſeco debet talis eſſe corruptio, præſertim cum illa duo ſunt diſpoſitio naturalis formæ mixti.

Ad.7. Ad ſeptimum aliqui volunt, oleum,& lignum eſſe mixta ad põdus ſecundum leuitatem, & grauitatem,ſed mihi nõ placet:ſed hæc eſſe grauiora multo puto,quàm leuiora:quod ſi ſub aquis non conſtiunt,eſt,quia leuitatẽ participãt aliquam,vt ab aqua vinci prorſus non poſſint:quod puto prouenire in ligno,ob incluſum aerem in poris,cuius argumento eſt vter, qui mergitur aquis compreſſus,attumens nullo modo. De hoc vide 4. cęli.cap.vlt.

CAPVT. IX.

Quia verò ſunt quædam generabilia.

Tex. 51.

De motu ſolis agẽdum qui eſt cauſa efficiens generationis vniuerſalis.

LIbro.1. Gener.tex. 14. cauſas duas vniuerſalis generationis, & corruptionis, ac ipſarum perpetuitatis diſtinxit, de materia autem differuit, quę vna erat illarum,nunc de motu ſolis,qui cauſa eſt efficiens, vltimò tractat: & meritò in hunc reſeruauit locum,quia tradiderat de elementis, quæ cauſę communes etiam ſunt,licet non omnino vniuerſales.

Proponit

Intentio Arist. agendum iam esse de principijs seu causis vniuersalib.

Proponit igitur suam intentionem dicens, quod cum sint quędā generabilia, & corruptibilia, particularia: vt mixta, plantę, animalia, & sit etiam generatio eorum, quæ sunt in terra, æquum est, antequā de hisce & ipsorū generationibus in particulari tractetur, q̄ in alijs fiet libris, vt prius in generali cōsiderentur principia cuiusq; generationis. Ratio autem est, quia particularia optimè cognoscuntur, si vniuersaliū doctrina præmittatur,

Duę quæstiones de principijs & causis vniuersalib. quot & quæ sint.

De principijs autem duo breuiter quærantur, quot sint, & quæ ipsa sint.

Sunt igitur & numero æqualia.

Vtranque quęstionem soluere aggreditur dicens, quod tot sunt principia, & genere eadem in corruptibilibus corporibus, quot in primis, ac sempiternis, scilicet orbibus cælestib. In his enim est materia, est forma, & est tertium principium efficiens, scilicet intelligē tia, & his tribus absoluitur motus corporum superiorum: non enim duo sufficiūt. Ita etiam generatio inferiorum perficitur materia forma, & tertio. Nota hic egregiū locum contra Auerr. qui asserit cœlum esse corpus simplex. Aristot. enim eodem modo ponit in corporibus inferioribꝰ & cœlestibꝰ materiam & formam, quod optime intellexit Philoponus, qui hoc loco, habet hæc verba. Dicit quod tot sunt generabilium principia, quot cælestium & æternorum & genere eadem: materia enim vtriusque subiecta & forma similiter in his & in illis consideretur: licet materia, quæ est in generabilibus, inpotentia consideretur, illa verò sit semper actuata, &c. Hęc Philoponus & certè locus Aristo. adeo est manifestus, vt nullam aliam expositionem patiatur, nec valet quod quidam dicunt Arist. dicere in cælis esse tria principia, scilicet materiam & formā & efficiens, nō tamē debere intelligi de esse ipsius cęli, sed de motu: Hoc inquā apertè est falsum, quia motus cæli nō potest assignari aliqua materia & forma, quę sit principium, quæ nō etiam sit principium esse ipsius cęli: nulla enim ratione possunt effugere, quin Arist hoc loco ponat in trinsecam compositionē materiæ & formę ipsius cęli. Adde quod si illa materia & forma nō esset substantialis, sed accidentalis, falsum esset, quod dicitur in textu, hęc principia in inferioribus & superioribus esse eadem genere,

Tot esse principia incorruptibilium corporum quot corruptib.

Vt materia igitur generabil. b. causa est

Explicat ista tria in generatione principia, quę sint, dicitq; eā dici materiam generabilium, quę facit ipsa posse esse, & nō esse. Radix ergo, vnde rei prouenit posse esse, & non esse, est materia generabilium, cuius ratio est: nam solū sunt generabilia, quę possunt esse & non esse.

Quænam sint tria principia generationis.

In cuius gratiam diuidit ens in sempiternum, & necessarium & in possibile. Necessariū est, quod aliter se habere nō contingit, sed vel

ſemper eſt,quod ſimpliciter dicitur neceſſarium:vel ſemper non eſt,quod dicitur impoſsibile. Poſsibile verò eſt medium,quo modo ad eſſe,modo ad non eſſe conuertitur:& huius ſolũ eſt generatio.

Eſt ergo materia, quę rem facit generabilem,& corruptibilem,ſcilicet poſſe eſſe,& non eſſe:forma verò eſt rei ſubſtantia & natura, qua res in ſpecie,&certa quiddita te conſtituitur,& à qua rei ſumitur definitio.

Oportet autem ad eſſe tertiũ quod oẽs. Tex. ſ 2.

3.princ. generatio nis. Præter duo aſsignata,materiam puta,& formam opus eſſe dicit aliquo principio tertio in his generabilibus, quod omnes Philoſophi ſomniauerunt,ideſt, aliquo modo attingerunt,ſed non exactè:numerat autem duas ſententias philoſo.

1.ſentẽ. Plat. Prior fuit Platonis', qui in dialogo dicto Phędone inducit Socratem in hanc ſententiam,quod non ſit alia cauſa prętet ideam , & materiam,quæ dicitur ſuſceptiuum: idea ergo,quę eſt forma vniuerſalis ſpeciꝫ facit generationem, dũ cũ materia coniungitur:corruptionem, dum ab ea ſeparatur.

Vnde Plato cauſam formalem putauit ſimul eſſe efficientẽ illiuſmet,cuius eſt forma:& ita dicebat in alijs:nam pro ſingulis ſpecieb⁹ ponebat ideas ſingulas.

Hi autem ipſam materiam,ab hac enim eſſe.

2.ſentẽ. Poſterior ſententia erat illorum, qui dicebant materiã eſſe efficientẽ cauſam rei ſuo motu:vnde materia ſecundum quod mouet, cauſa eſt efficiẽs rei,cui⁹ eſt materia, & ad quam ſe mouet: vtramque ſententiam reijcit Ariſt.

Arg cõtra Pla. 1. Et primô dupliciter arguit Platonem:primo,quod ſemper eſſet generatio,& nunquam corruptio. Patet quia cum ſemper ſit materia &forma,quę etiam eſt efficiẽs ſemper erit effectus.

2. Secundò,quia per ea, quæ ſunt in arte Philoſophari oportet,& indagare,quę ſunt in natura:at in arte prætet formam,& materiam eſt efficiens,vt prætet ſanitatẽ,& ſubiectum eſt medicus:prętet ſcientiam,& ſcientem eſt docens:ergo in natura prætet formam,& materiam eſt etiã cauſa aliqua alia,quę ſit efficiens.

Si aũt materiã quis inquirat. Tex. 5.

Comparatio 2. ſententiæ cũ Platonis. Impugnat ſecundam ſentẽtiam, primô tamẽ eam laudat in hoc, q Plato poſuit cauſam efficientem, ſed ipſam non dicebat operari per motum,ſed per receptionem, vel abiectionem. Ariſti dicentes materiam eſſe efficientem , ponebant ipſam mouere,& inhoc benè dicebant. Apud omnes enim cauſa efficiens eſt,quę alterat & transformat,& mouet, & talis cauſa benè dicitur generans.

Arg cõtra 2. ſẽtentia. 1. At talem eſſe materiam putare, error erat primó,quia materiæ nõ eſt,mouere,aut agere,ſed moueri, & pati.

2. Prætetea ſecundo experientia: nec enim in arte materia ſe mouet

ad

ad effectum, vt lignum ad cathedram, nec in natura aqua ad animal, sed ab alio tertio.

3. Errãt præterea, quia auferunt nobilissimam causam, quæ est natura, & quod quid est: hęc autem est forma: qui autem efficientem tollit, aufert formã? nam forma vnius efficiens est alterius.

Amplius autem & potentias. Tex. 54.

3. sentẽ. de efficiẽti generationis.

Auerroes hic nouam rationẽ poni contra sententiam præcedentẽ putat: melius tamen est secundum Philoponum & Alexandrũ, quòd tertiam sententiam aliorum, scilicet Parmenidis impugnet. Iste enim duo accidentia actiua simul cum materia posuit, & ista efficere putabat, scilicet calidum & frigidum: mouebatur ad hoc experientia: nam sensu patet, calorem disgregare, frigiditatem aũt congregare, hoc autem agere est.

Ex hoc colligitur, q̃ isti non ponentes formam, nisi solam virtutem, non constituunt nisi tantum instrumentum: componuntur erga res ex calido & frigido, vt ex materia, & fiunt per calidum & frigidum, vt per efficientes virtutes.

Impugnatur hæc sententia primò.

Hanc sententiam impugnat primò, quia ignis, cuius est calor, solum ageret, quia virtutem actiuam habet, & non pateretur: at ipsum pati experimur, & ab alio aliud ergo principium efficiens est extra rem ipsam: ita exponit Philop.

Amplius verò simile faciũt. Tex. 55.

Impugnat secundò eandem sententiam. Instrumentũ non est sine causa principali, nec absque ipsa operatur, non ergo ipsi tantũ attribuẽdi sunt effectus: est igitur præter virtutes etiam causa alia principalis effectiua. Per ea, quę in arte sunt, hoc explicat: serrę soli nõ datur serrare sine serrante, asciæ leuigare sine leuigante: ita similiter in naturalibus isti aũt loquuntur in naturalibus, ac si quis diceret, in arte sola serra serrat, quod est impossibile. Ex quo fit, quòd concedentes ignem agere, ignorent modum quo agat, quia solum instrumentum agendi ponunt.

Secundò impugnatur eadẽ sententia

CAPVT. X.

Nobis autem & vniuersaliter, prius dictum est. Tex. 55.

Sententia Aristot. de efficiẽti generationis sup ponitur olim demonstrata.

Ententiam suam cõstituit, repetitis his quę alibi dicta sunt: primò enim de causis in communi dictum est. 2. Physi. vbi quatuor genera posita sunt causarum, & multi modi: præterea secundo, in hoc libro de materia & forma in particulari dictũ est. Præterea tertio motum localem secundum Aristot. esse perpetuum, probatum ex. 8. Physic. & 1. cœli. Ex his sequitur generationem naturalem esse perpetuam: stante enim materia perpetua, & multiplici forma succedẽte in ipsa, & motu perpetuo, in quo fertur causa vniuersali, scilicet Sol efficiẽs: per motum enim accedit, vt generet, recedit, vt corruptio fiat. His itaque stantibus perpetua erit mutatio.

1. 2. 3. 4.

Approbat autem aliud, quod dictum est. 8. Physi. localem motum esse primum mutationum, rationem dat, quia quod est, debet esse causa non entis, potius, quam non ens causa entis: at quod localiter mouetur, est, quod generatur non est: ergo potius illud est causa huius, quam hoc illius, & localis motus causa erit & prior generatione, ac alijs mutationibus. De hoc dictum est lib. 8.

Quoniam autem suppositum est.

Tex. 5°.

Suppositis his ante dictis quæstio tractãda proponitur.

Quę suppositа sunt paulo ante, communia erant, nec ad hunc libru pertinẽtia: at qđ proprium est, modò, explicat. suppositо autẽ secundum Arist. generationem esse perpetuam, quod demonstratum est: & quòd motus localis est efficiẽs huius perpetuitatis, quia causa vniuersalis mota localiter perpetuam facit mutationem, vnum aliud oportet particulariter scire, quomodo si latio, & motus iste vnus est, potest generatonis, & corruptionis esse causa,

Hæc enim sunt cõtraria, & contrariorum causæ sunt contrariæ: nõ enim ab vno existẽte vno procedũt multa: oportet ergo aut plures motus cõtrarios facere, aut saltem vnum inęqualiter se habentem, cum autem plures motus nõ possint esse, non enim circularis circulari contrarius est, sequitur, vt ponendus sit vnus motus habens inæqualitatem, & diuersitatem aliquam, vt sit causa diuersarum, & oppositarum mutationum.

Ideoque non prima latio causa generationis.

Cum dixisset, motum habentem inæqualitatem esse causam mutationis, colligit motum primi orbis non esse causam istam: eò quod ille vniformis semper est, erit autẽ causa ille motus, qui est Solis per Zodiacum, qui dicitur circulus obliquus, eò quod diuidit sphęram obliquè, & super polos distantes à polis mundi, vt in sphæræ doctrina ostenditur. *Causa efficiens perpetuitatis in generationibus nõ est motus primi mobilis, sed motus solis secundum Zodiacum.*

Iste ergo motus est cõtinuus, & perpetuus, habensq; inęqualitatem: nam Sol motus secundum talem lationem modo accedit, modo recedit, locis terrę eisdem & ratione huius accessus facit generationes, ratione discessus corruptiones: qui accessus & recessus ex inclinatione, & obliquitate procedunt, ratione verò perpetui accessus & recessus prouenit continua ac perpetua generationum & corruptionum series.

Per hunc ergo motum omnia saluantur. Nam per ipsius perpetuitatem continua fit mutatio in his, per ipsius diuersitatem & inęqualitatem, fit diuersitas mutationis eiusdem: modò enim hoc generatur, postea idem corrumpitur. *Notæ.*

Et *inæquali tempore corruptio.* Tex. 57.

Non solum generationes, & corruptiones ab hac motus inæqualitate proueniunt, sed quædam in mutationibus hisce ęqualitas sumpta *Tempora generationũ & corruptionũ esse ęqualia.*

pta ex ipso motu: nam tempus generationum naturalium est æquale tempori corruptionum, quia accessus, in quo generationes fiunt, est æqualis recessui, in quo sunt corruptiones: vtrumque enim est spacium sex mensium: est enim accessus à Capricorno vsque ad Cancrum: recessus à Cancro vsq; in Capricornum: in accessu sunt Ver, & Æstas, in recessu Autūnus, & Hyems:

Hinc infertur, quod tempus, & duratio omnium generabilium limitem habet & numerum, videlicet mensura sumpta ex numero circumuolutionum istarum solis: & etiam habet ordinem, non enim duratio horū vniformis est, sicut nec motus ille, à quo pendet, & quo mensuratur, quamuis non sit æqualis omnium duratio, sed his maior illis minor.

Apparent autem & secundum sensum. Tex. 58.

Cōfirmat experientia æqualis esse generationum & corruptionum tempora.

Quod dixerat de æqualitate tēporis generationis, & corruptionis nunc experientia ostēdit. Experimur enim, sole adueniente, fieri in terra generationes animaliū & plantarum, & herbarum: recedente autem corruptionem: & tēpus vtrumque æquale esse, experimur.

Occurrit obiectioni.

At quia posset quis putare, omnia æquale tempus habere generatic s, & corruptionis, addit: non ita est, quia hoc impeditur per cōfusionem, seu commixtionem, id est, ob varias in materijs dispositiones & variam agentium particularium coniunctionem, quæ faciunt, vt vnum celerius, alterum tardius generetur, & corrūpatur: imò etiam extra tempus generationis generetur, & extra tempus corrumpatur, vt notum est: & sic deficit ordinatio mutationum ab illa superioris motus ordinatione aliquando, tamen semper hoc est, vt generationes, & corruptiones semper, ac continuæ sint, ex illius motus perpetuitate: & in hoc non deuiant vnquam.

Hoc autem rationabiliter contingit.

Tex. 59.

Causa finalis perpetuitatis in generationibus.

Perpetuę mutationis causam materialē in lib. 1. posuit. f. materiā, nunc in textibus præcedētibus, efficientem, scilicet solis motum, in præsenti finalem ostendit, puta cōseruationem rerum in esse suo.

Natura enim intendit, quod melius est, esse autem melius est, quā non esse, ob id in omnibus intēdit esse. Cum autē esse multis modis cōtingat, vt dictum est, scilicet in Metaph. esse idē numero, esse idē specie & genere, nec possint omnia conseruare esse in numero, saltem quoad possunt, cōseruant in specie & genere: quòd fit per continuam generationem. Generatio enim est proxima substantię, & ipsi esse quia est via ad esse.

Causam non omnia vno modo permanent.

Reddit causam, quare omnia nō vno modo permaneant, dicitque, quia non omnia sunt Deo proxima. Cęli enim & intelligentię ob proximitatē cū ipso eadē numero

perfe-

perseuerant, reliqua distant, ob id non potuerunt id obtinere. Obtinent autem aliquo modo esse semper per generationem perpetuã, & hic quoad possunt, fiunt proxima substantiæ, id est. Deo vt Philop. exponit.

Repetit causam perpetuæ generationis.

Repetit causam huius perpetuæ generationis esse motum circularem. Hic enim inter locales perpetuò continuè esse potest. Probat autẽ circulo inesse perpetuitatem quia etiam aliæ mutationes, si debent perpetuò durare, opus est, vt induant rationem circuli. Vnde elementorũ mutatio perpetua est quia circularis est, ac mutua: ex vno enim alterum, & ex hoc illud iterum, specie fit. Nota, quòd vocat continuum hic, id, quod perpetuum & inessabile est.

Simul autem manifestum est ex his.

Tex. 60.

Dubium Arist.

Ex hac doctrina dubium soluit quoddam, quod oriri poterat: Dubium est: si cõtinua sit corruptio, & in corruptione elementa separentur, in suumq; tendant vnumquodque locũ, quare cum in infinito tẽpore fuerit ista corruptio, elementa non sunt iam prorsus separata in loca propria nec amplius generatio vlla mixti sit?

Solutio.

Respondet, huius esse duplicẽ causam. Altera est, ipsa ex se mutabilia esse. Altera, motus iste duplex, & inæqualis.

Ac si dicat, Sol extrahit iterum semper elementa à locis propriis, quia vapores ab aqua, exhalationes à terra trahit, ac ad mixtũ copulat, & suo etiam motu resoluit iterum: & ita non sinit elementa ordinata manere in totum, sed partes cõfundit perpetuò, vt diximus.

Epilogus dictorum de generatione.

Ex his epilogat, quæ dicta sunt de generatione, quę sunt ista: generationem, & corruptionem esse: quę harum causę: quid generabile, quid etiã corruptibile sit. Hæc partim libr. 1. partim in præsenti dicta sunt.

Quoniam autẽ necesse est esse aliquod mouens. Tex. 61.

de primo motore, quod nõ sint plures primi sed vnus omnium primus.

Quia nõ motus causa prima est, sed ipsum mouẽs merito se ad motorem parum conuertit, ipsumq; non vnum, sed plures dicit: non tamen ita plures, quin vnus sit primus omniũ, sicut inter orbes vnus etiam est primus.

Illatio est aliquot Arist. ex motu colligẽdi motorem.

Facit igitur has consequentias à posteriori: Prima est. Motus est, ergo motor est. Secundã. Motus semper est, ergo motor semper ac perpetuò est: Tertia. Motus est perpetuò cõtinuus, ergo & motor est vnus, immobilis, ingenerabilis & alterabilis: loquitur enim de primo motu: & istæ consequentię sunt notæ ex 8. Physi. Quarta est. Huiusmodi motus plures sunt, scilicet perpetui, & continui: ergo & motores plures sunt perpetui, & immobiles, quãuis omnes subvno primo omnium sint, vt probatur, 12. Metap.

1.
2.
3.

Continuũ esse motũ ex temporis continuitate colligit.

Continuitatem motus ex temporis continuitate à posteriori ostendit. Cum enim tempus sit continuum

nuum, & motus pariter erit: quia tempus est numerus motus & non alterius nisi circularis, & cælestis, vt dictum est. 4. Physi.

Quomodo motus sit continuus.

Continuus autem motus. Tex. 62.

Cùm motum continuum dixisset, nunc quomodo continuus sit, inquirit. Dubitat autē an sit continuus ex parte subiecti, quod mouetur: an ex parte termini ad quē, in quod mouetur, puta ex parte loci: si est motus ad locum: ex parte qualitatis, si est alteratio.

Nota.

Non meminit augmentationis, quia secundum Philop. nō est perpetua. Ego credo, id esse potius, quia non est continua.

Ex parte qualitatis sed termini ad quem.

Respondet, quod ex parte qualitatis non est cōtinuus, quia qualitas suam sortitur continuitatem ab ipso subiecto.

Nota.

Loquitur autem de motu qualitatis secundum extensionem. Hic enim motus est, & propriè ex contrario in contrarium: intensio autem non est nisi ex eodem extremo in idem ferè.

Similiter ex parte loci, potest quidem motus esse cōtinuus, quia locus quantitas est, & nō est continuus à mobili.

Ex parte loci, & subiecti.

Sed cum non omnis localis motus sit perpetuus, nisi circularis, & hic non sit per locum, nec ad locū, non poterit suam continuitatem à loco habere: erit ergo continuus à subiecto. Vnde quia partes circuli inuicem succedentes continuę sunt, motū circularem faciunt continuum: motus autem sic continuus à subiecto, à priori facit temporis continuitatem: motus ergo à subiecto, tempus à motu cōtinuitatem habet.

QVAESTIO. XII.

An motus solis sit inferiorum mutationum causa.

1. argū.

VT melius, quæ in textu dicta sunt, percipiantur, libet circa ea parum disputare. Est autem primum argumentum. Si Sol moueretur motu tantū primi orbis, posset inferiorum mutationum esse causa: ergo non est necessarium illam inequalitatem motus assignare, quę ponitur in text. 56. antecedens probatur: quia si non sufficeret, esset propter rationem Aristot. quia idem, non facit multa. Sed ille non esset idē: quia talis motus faceret dies, ac noctes, vt notum est, ac Sol per eum accederet, & recederet, die enim accederet, nocte recederet: Ergo non est necessarius alius motus præter ipsum. Secundo, contra id, quod dicitur cùm Sol est propè, fieri generationes, in recessu verò corruptiones, videtur prorsus oppositū. Nam in hyeme fiūt corruptiones, & tamen Sol tunc maximè est propè terram, quia est in opposito augis: in vere autē magis distat, quia tendit ad augem, vt manifestū est ex theorica planetarum. Tertiò Aristo. solis motum per Zodiacū causam ponit mutationum, & perpetuitatis mutationum: ergo superfluus est motus primi orbis,

2. argū.

3. argū.

quia

quia nihil confert mutationi, in quam orbes ordinantur: at id videtur impossibile: nihil enim in his superfluum.

4. argu. Præterea quarto contra id, quod dicitur esse vnum tempus generationis, alterum corruptionis, videtur hoc falsum. Nam generatio non fit absque corruptione, nec è contra, quia generatio vnius est corruptio alterius, & è contra, ergo quodcunque tempus generationis est etiam corruptionis.

5. argu. Præterea quinto. In hyeme multa generantur, & in vere multa corrumpuntur: ergo non sunt ordinatę illo modo generationes & corruptiones.

6. argu. Præterea sexto. Si periodus vitę esset limitata secūdum hunc solis motum, videtur, quòd non viuerent, nec durarent, res vltra tēpus ipsius accessus, & quod omnes omnium periodi essent æquales: quorum vtrumque est falsum.

7. argu. Præterea septimo non videtur, quomodo sit motus causa mutationum harum: nā etiam stante Sole, ignis posset cōburere stuppā, & lapis descendere, aliæq; multæ fieri mutationes: non ergo motus ille vniuersalis est causa. Hæc sunt argumenta ad explicanda magis ea, quæ dicit Arist. pro quib⁹ oportebit aliqua præmittere fundamēta.

1. fund. Motus cęli est causa vniuersalis mutationum inferiorum. Sit primum fundamentum, motum cęlorum esse causam vniuersalem mutationum inferiorum, & elementorum, & mixtorum inanimatorum, plantarum, & animalium. Dico autem causam vniuersalem, quia non solum cælum, vel solus motus causa est horum inferiorum: sunt enim causæ particulares proximæ ipsius effectibus, cum quibus simul cæli operantur effectus.

Aduerte autem, quòd motus dicitur causa, non quia per se producat quicquam, sed quia est vniuersalis quędam conditio causæ. Nā Sol, & astra aplicata, & lata per motum in situs diuersus operātur: & sic motus est causa, vt docet expresse Aristot. text. 55. est igitur cælum, seu motus causa illorum, sed non modo eodem. *Nota, quare dicitur motus causa.*

Elementorum quidem dupliciter est causa, Primò, quia habet virtutem transmutandi, & faciendi quodlibet elementum per se: & hoc experientia ostēdit: Sol enim suis radijs absque igne facit ignē, & est velut causa particularis huius effectus, & calefaciendo aquā resoluit in aerem, & alię etiam cęlorum virtutes alia possunt mutare elementa. *Duplicitermotus cæli est causa elementi.*

Altero modo dicitur horū causa, quia coniungit, & copulat elementa, & applicat ad pugnam, vt ipsa postea per se producant effectus: v.g. eleuat è terra exhalationes, ab aqua vapores in aerem, & ignem, vt postea coniuncta se mutēt. Hoc duplici modo dicitur causa elementorum mutationis. 2.

Mixtorum autem inanimatorum causa est, quia elemēta ad mixtionem congregat, & vlterius virtutem *Quō sit causa mixtorum inanimatorū.*

tutem productiuam formæ mixti infundit, id est, nam elementorũ virtutes, vt diximus superius, non possunt attingere cuiusq; formę mixti productionem, nisi sit superior alia virtus, & hęc est à cælo.

Nota. Vnde aliter se habet in productione elemẽti, aliter in productione mixti ipsum cęlum: nã elementũ facit aliquando applicãdo alterum elementum, quòd sua postea virtute operatur: at in mixti productione opus est, vt virtutẽ induat præter virtutes elementorum.

Triplicit. ter etiam est causa viuentiũ Viuentium autem tripliciter est causa. Primò, quia elemẽta de nouo cõgregat, inducitq; virtutem sicut in mixto, vt cum animalia generantur in aere. Tunc enim Sol elementa cõgregauit, virtutemq; indidit productiuam animalis. Secundò non congregat elementa, sed ex mixto facit animal virtutem imprimendo: & sic est causa eorũ, quæ ex mixtorum putrefactione generãtur. Tertiò, nõ totã imprimit virtutem, sed coadiuuat aliã virtutem, & sic est causa eorũ, quæ ex semine fiunt: Coadiuuat enim virtutem & calorem naturalem seminis, qui est ferè eiusdem rationis cum cælesti.

1. 2. 3.

Nota. Sic igitur est omnium causa cælum, & non solum productiua, sed conseruatiua non enim consisterent multum inferiora præsertim viuentia, hoc motu, & influxa cælorum cessante.

2. fund. duratio mixtorũ finita est Sit secundum fundamentum, q̃ duratio cuiusque mixti animati, & inanimati finita est, ac certo annorum, vel dierũ, vel horarum numero conclusa, qui numerus perio dus dicitur, quasi numerus circumuolutionum: fiunt enim tempora cælorum circumuolutione.

Duplex causa periodi durationis, & diuersitatis 1. ex parte rerum. Huius autẽ periodi duplex est in vniuersũm causa. Altera ex parte ipsarum rerum: Altera ex parte cęli: Ex parte rerũ est cõplexio qualitatum, & temperies, ex qua cõsistit. Secundum enim diuersitatem cõplexionum prouenit diuersa duratio, & quia oẽs cõtrariũ habent cui magis, vel minus pro ipsarum varietate resistũt, omnes tandem vincũtur paulatim, donec in corruptionem redigantur.

Sunt autem alię & alię pro diuersitate specierum: & sic sunt variæ periodi specificæ, imò intra vnam speciem sunt varię cõplexiones inclusę sub latitudine illius speciei, & sic sunt varię in diuiduorum etiã vni⁹ speciei periodi, nec oĩa periodũ suę speciei attingunt. Nota.

2. causa ex parte cæli. Altera causa est ex parte cæli, & hæc est virtus in natiuitate rei cõmunis, quę varia est pro varietate specierũ in ipsa materia recepta. Imò in materijs vni⁹ speciei variè recipitur à ipsarum dispositione varia, & sic varias efficit durationes, omnes tamẽ finitas, quia & virtus illa finita est, & debilitatur, cum sit in materia. Nota. 2.

Diuersificatur etiã ista virt⁹ ex parte sua, prout cũ alia, vel alia virtute alterius acti cõiungitur: & sic nõ eosdem habet effect⁹. Hæc igi-

tus

tur est duplex causa periodi naturalis.

8.Hęc sententiæ sunt omnimodæ necessitatem.

Nec existimes esse causas necessarias: nam duratio cuiusque à diuina voluntate liberrima pendet. Præterea multa impedimenta extrinseca accidunt ipsam impedientia præsertim in indiuiduis, quæ ob victum, ob exercitia, ob multa alia mutant complexionem, nec cursum naturalem permittunt procedere, de quo nos in præsenti tantum agimus. Multum etiam pendet periodus animalium præsertim hominum, vt dicit Philop. ex coniunctione bona seminum maris, & feminę. Nam ob diuersitatem ipsorum aliquando non fit recta complexio, & ex animæ affectib⁹ corpus transmutatur, vt tristitia nimia, dolore, gaudio, & ex libero præsertim nostro arbitrio multa facimus, & facere possumus quibus temperies mutatur & ab angelis & à dęmonibus.

3.fund. de periodo duratissima animatorum. Esse communiter longiorem, quã animatorum. 1.causa.

Sit tertium fundamentum: Nam inanimatorum periodus excedit frequenter animalium, & viuentium durationem triplici de causa. Prima, quia animata corrũpuntur ab intrinseco multum, & ab extrinseco: Ab intrinseco quidē propter influxã complexionem: cum enim sit partiu dissimilitudo multa, est magna intrinseca pugna, & alteratio: similiter propter alimenta intus suscepta ad nutritionem, quę alterant ipsa: non enim sunt similia in principio, & hęc continuo lędunt: Ab extrinseco etiam scilicet à continente, scilicet terra, aere, cælo, & alijs, à quibus vt notum est, cōtinuè patitur: at inanimata ob homogeneitatem tantum ferè ab extrinseco patiuntur.

Altera causa est, quia animata ab extrinseco continente multũ sunt apta pati, non autem inanimata, qualia lapides, metalla, & alia ob resistentiam maiorem: sunt enim dura: & præterea, quia qualitates magis habent in excessu, quibus resistant. *2.causa.*

Tertia est recta temperies viuentium necessaria: Cum enim viuentia poscant rectiorem temperiem, non possunt conseruari sub magna inordinatione: at inanimata habent, & possunt esse sub inordinatissima qualitatum temperie. Potest enim lapis pati maximum calorem, & frigiditatem, ob id magis durat, minusque vincitur. *3.causa.*

Experimur etiã in ipsis animalibus, quæ quo imperfectiora sunt, maiori sub intemperiè durãt, quã perfectiora, vt animalia, quæ viuunt abscisis partibus, quam uis ista alijs de causis breui⁹ durēt

4.fund. In duas partes diuiditur periodus viuentis.

Sit quartum fundamentum, periodus cuiusque viuentis præsertim animalis, in duas partes diuiditur: vt notant Philop. & Auerr. & alij, in tempus generationis, qđ prius est, & in tempus corruptionis, quod posterius est.

Id dicitur tempus generationis, in quo viuens nascitur, & perficitur: non enim nascuntur perfecta, sed temporis successu per augmẽ

tum ad suã perfectionẽ veniunt, & in ea quiescunt per aliquod tẽpus, & hoc totum tempus, scilicet perfectionis, & status dicitur generationis: tempus verò corruptionis est post statũ vsque ad mortem: incipit enim tunc homo vel animal declinare à perfectione.

Tempus generationis est tantum, quantum corruptionis.

Dicũt igitur hi philosophi, q tempus generationis est tantum, quantum corruptionis secundum temperiem specificã, remoto quouis accidẽte extrinseco, & violento, sed seruato naturę cursu: hoc autem proportionaliter in qualibet specie intelligendum est. Dimidium enim illius est generationis, dimidium corruptionis, vt in homine vsque ad trigesimũ quintum est generatio, vsque ad septuagesimum corruptio, quãuis aliquando parum excedatur.

Cur illud tempus vocetur generationis.

Attende autẽ, quod dicitur tẽpus generationis: quamuis enim fiat corruptio aliqua, & alteratio continua in animali, tamen quia magis acquirit, quam deperdat vt in augmento, vel nõ minus acquirit, quam deperdat, vt in statu.

Nota circa Arist. intelligentiam.

Ex hoc fundamento glossant illud Arist. tex. 57. scilicet esse æquale tempus generationis & corruptionis, quamuis crediderim, non esse hunc sensum, sed quod in motu solis est æqualis pars pro generationibus viuentium in plurimũ, scilicet accessus: est etiã pars æqualis, scilicet recessus, pro corruptionibus eorundẽ, vel quia corrũpantur, vel quia cessat ab ipsis generationibus. Cessationis etiam tempus etiã dici potest corruptionis.

His prętactis fundamentis, quibus melius ista elucidantur, sit prima conclusio. Sol est vniuersalis, & pręcipua causa mutationum inferiorum.

1 Concl. Sol est vniuersalis & prącipua causa mutationũ inferiorũ.

Dico pręcipuã, quia non est negandum alia influere astra, & cælum: at pręcipuè, & maximè inter omnia sol influit: Dico etiam vniuersalem esse causam: quia non solus operatur semper, quin causæ etiã particulares conueniant, pręsertim in generatione viuentium ex semine productorum.

Secunda conclusio. Sol est prę- cipua etiam vniuersalis causa periodi, & durationis viuentium, vt enim est causa esse, ita est causa durationis. A quo enim vnum & alterum procedit aliquo modo.

2. Concl. Sol est vniuersalis & prącipua causa periodi viuentium.

Dico autẽ esse vniuersalem causam, quia etiam concurrit particularis, scilicet complexio, & victus & alia, quæ aliquãdo abreuiant durationem, quę erat ex parte cæli, aliquando etiam prolongant, sed non vt excedat vltimam speciei periodum.

Nota.

In quo apparet error illorũ, qui vitã immortalem, aut extra modũ longam quibusdam confectionibus promittũt. Hęc enim sunt contra veram philosophiam, nõ enim modo potest ita benè reparari humidũ, vt fiat tanta vitæ prolongatio vltra propriam periodum.

Tertia conclusio. Generatio & corruptio secundum Aristo. [illegible]

3 Concl. [illegible] generationes

vione & corruptiones sint perpetuæ iuxta Arist.

perpetuæ, non ad hunc sensum, vt aliqua particularis generatio seu corruptio duret in perpetuũ: hoc enim fieri nõ potest: sed ad hunc sensum, quod generatio, & corruptio non deficiat in communi, sicut dicimus, semper esse homines non hos determinatè, vel illos, sed confuse hos, vel illos.

Ad. 1. Ad argumenta igitur oportet respondere. Ad primum non negamus, solem motum, solùm motu primi orbis inducere aliquas generationes & corruptiones, & aliquã inequalitatem habere, tamen non hoc esset, nisi in illis mundi partibus, quæ illi supponuntur: & præterea non faceret quãcunque mutationem, sed v. g. in æquinoctiali omnia adurerentur, in polis seu partibus à sole maximè semper distantibus omnia essent congelata, & frigidissima cum ad eas partes nunquam accederet, nec ab æquinoctiali discederet. At Arist. loquitur de vniuersis terræ partibus, in quibus nulla esset mutatio, quia Sol nunquam illis attingeret, nisi moueretur circulo obliquo, vt patet ex sphæra.

Ad. 2. Ad secundũ dico, illud esse verum: si enim accessus sit minor distantia à terra, tunc minus distat tẽpore hyemis: sed Arist. vocat accessum propinquitatem ad Zenit capitis nostri: & sic magis prope est in vere, licet in recta distantia longius distat: at magis tunc agit ob directionem: fortius enim agẽs calefacit directum distans, quã ad latus propè, præsertim cum ad latus careat reflexione radiorũ per idem spacium, & impellantur præter ea radij solis directi per vapores & exhalationes multas circa superficiem terræ lateraliter oppositas: non ita autem cum est Zenit capitis.

Ad. 3. Ad tertium Alexander voluit, motum primi orbis dare perpetuitatem mutationibus: at solis motum dare varietatem, puta generationes, ac corruptiones: sed hoc est contra Arist. expressè, vbi in textu vtrũq; tribuit illi motui Solis vt benè explicat Philop. *1. Solu.* *Reijcit 1. Solu.*

Dico igitur, quod non est superfluus: nam motus Solis est simul coniungendus cum motu diurno; aliter enim non possent cõseruari res: nam destruerentur cuncta, si Sol tãtum abesset à Zenit nostro: & hoc patet ex Aristot. qui dixit, esse tẽpus generationis accessum, qui fit in vere, at iste accessus non fit, nisi coniuncto motu primi orbis per quem fiunt dies, & noctes: Et obserua hoc pro intelligentia textus. *2. Solut. Verior. Nota quæ requirantur motus annuus & diurnus.*

Ad. 4. Ad quartũ solutio est facilis: cõcesso antecedenti, negatur consequentia, quia generationes vocat productiones nobiliorum substantiarum, vt viuentium, & aliorum, horum autem corruptiones.

Ad. 5. Ad quintum non negat id Arist. vt explicauit in textu, sed in plurimũ generationes in accessu fiũt, præsertim eorum, quę non ducũtur ratione: & sic experimur, tũc pullu-

pullulare plantas,& alia esse ad generationem aptiora,sed maiori ex parte cessant in recessu.

Ad.6. Ad sextum dico,quod non sola causa periodi est sol,sed etiã sunt aliæ ex parte materiæ. Vnde non sit æqualis periodus omnium:nec correspondet periodus vnico solis accessui,sed multi,etiã ex parte solis,& cęli non est eadem periodus,vt diximus.

Sed dicitur suo accessu,&recessu facere periodum,quia virtus cõmunicata inferioribus,quæ finita erat,succedentibus,& labentibus solis circumuolutionibus tandem solis virtute certo tempore conseruatur,& postea consumatur.

Ad.7. Ad septimum non nego etiam,si sol, & cæli starent aliquos posse motus exerceri, & aliquas mutationes:nec mihi potuerunt satisfacere,qui oppositum negant:appareret etiã hoc tẽpore Iosue vbi stãte Sole per tres horas, illi prẽliati sunt:nec hoc est contra Arist.

Verum est,quod,non possent res multum consistere prẽsertim viuentia, sed destituta solis calore maiori ex parte destruerentur:at elementa vtiq; manerent & posset ipsorum mutatio esse.

Imò quædam alię etiam generationes:nam adhuc non auferretur influxus cælestis,cum astra adessent:de hoc tamen alibi dicemus.

Nota Sol non eodẽ modo est causa generat. & corrupt. Vnum tamen est aduertendum, quod sol nõ eodem modo dicitur causa generationis&corruptionis: generationis enim est causa positiua,quia virtutem influit: at corruptionis est priuatiua.sicut absentia naute in naui:ipso enim recedente,insurgunt cõtraria corrũpẽtia, quæ ipsius præsentia, vel non erant,vel si erant, debilitate vincere nõ poterant:vt patet de frigore & humiditate extra modum,quæ sole recedente surgentes,multum nocent viuentium vitę.

CAPVT. XI.

Quoniã autem in his continuè.

Tex. 63.

DIxerat Arist.generationem esse perpetuã,ac cõtinuã ita,vt vna post alterã nõ deficiat, nec deficere possit.

Merito posset quis dubitare,cũ sit necessaria ista generationis series,an alicuius in particulari generatio sit necessaria an omnes sint contingentes ita, vt singulæ possint non fieri. *soluitur dubium. An oẽs generatiõnes sint contingẽtes.*

Hoc igitur est, quod dubitat in prẽsenti textu,proponit q: dicẽs, cum cõtinuitas in mutatione,quęcunque sit,siue generatio,siue alteratio,aut denique mutatio,debeat esse secundum consequentiam,vt vnũ post alterũ generetur, dubitatur,an alicuius generatio sit necessaria,an omnes contingẽtes, vt singulę per se sumptę possint non esse.Hęc igitur quęstio. *an sit aliqua necessaria.*

Quod enim quædam manifestum est.

Tex. 64.

Esse aliquas generationes necessarias,vt nõ possint nõ fieri,docet, idq; dupliciter probat. Primũ ar- *Esse aliquas generatiões omnino necessarias.*

1 Ratio. gumentum ſumitur ex vi cocabuli apud Græcos: Quod enim futurum eſt, duplici vocabulo explicatur Græcè, ſicut etiam apud Latinos: Latini enim habent hęc duo, futurũ, & erit: dicimus enim, dies craſtina erit, & lectio craſtina futura eſt: Ita etiam duplex verbũ Græcum (*Tomellein*,) quod ſonat futurũ, & (*To eſtai*,) qđ ſonat erit. Diſcrimen dicit Ariſto. ineſſe ꝙ verbum erit, ponimus ad explicanda, quę neceſſariò euenient: at futurum, ad ea, quæ contingenter: vnde dicimus, ambulatio futura eſt, quia poteſt non eſſe: at nõ dicimus, erit, quamuis Latinè non obſeruetur diſcrimen. Cũ igitur vocabula hanc ſignificant diſtinctionem ex vſu cõmuni, videtur, aliquid neceſſarium fieri.

Dicit igitur in textu, quædam neceſſariò fieri, indicãt ſtatim ipſa verba, erit, & futurũ, quæ propter hoc diſtincta ſunt, vt dixim⁹.

Omnino autem quenam contingit.

Tex. 65. 66.

2. Ratio. Secundò idem probat, & facit tale argumentum, in his duobus textibus, qui quidem non ſunt ſeparãdi. Generatio eſt via in eſſe: ergo ſicut ſe habent eſſe, ita etiam ipſorũ generationes: At ſunt duo eſſe, quoddam, quod neceſſariò euenit, vt quòd Sol ſit in Ariete: ꝙ ſit talis, vel talis orbis circulatio: quoddam, quòd venit contingenter: ergo & generationes ſimiliter, & mutationes aliquæ venient neceſſariò, aliquę contingenter, vt mutatio Solis in Arietẽm poſt Piſces neceſſaria eſt, & hmõi alia.

Aduerte ergo literæ explicationem: dicit, quędam ſunt contingentia, vt poſsint eſſe, & non eſſe: & ſic horum generatio erit cõtingens ſed dubiũ eſt, an omnia ſint contingentia. Reſpondet, aliqua ex neceſsitate eſſe, vt quod ſint ſolis circulationes. Concludit, quod etiam generatio horum erit neceſſaria, quia eadem eſt ratio ipſius eſſe & generationis.

Nota circa literę explicationem.

Sit igitur quod prius neceſſe eſt.

Tex. 67.

Oſtenſurus in particulari, quo modo inueniatur neceſſarium in generationibus ipſarum ſubſtantiarum corruptibilium, dubium prius proponit & ſoluit, quod ad id attinet, vt dicemus.

Quo inueniatur neceſſarium in generationibus ſubſtantiarũ corruptibilium.

Dubiũ igitur eſt. An ſicut prius in generatione conſequitur neceſſario ex poſteriori in generatiõe, ita etiam ex priori ipſo colligatur poſteri⁹. v. g. ſequitur neceſſariò, ſi domus eſt, fundamenta fuerunt facta: & ſi fundamenta ſunt, lutum fuit, & lapides, hęc enim priora ſunt, illa poſteriora, valebit ne, lapides ſunt, ergo fundamenta erũt: fundamẽta ſunt, ergo domus erit.

Dubium.

Hoc eſt dubiũ, cui ipſe reſpondet dicitque, quãdo poſterius eſt neceſſarium in ſe, vt fiat, tunc ex priori colligetur poſterius: vt ſi eſſet neceſſariũ, domos eſſe, nunc valet, domus erit, ſi fundamenta ſunt, ſed tunc nõ colligitur neceſſariò ex virtute prioris, ſed quia in ſe

Soluitio.

in se necessarium est, vt fiat. In talibus igitur, in quibus est posteriꝰ necessariũ, est cõsequentia mutua vt ab vno ad alterũ valeat, licet differenter quia prius ex posteriori simpliciter colligitur, ex priori verò posterius, cũ hoc necessarium est, vt fiat. Dicetur postea cui vsui sit hoc dubium propositum.

Si igitur in infinitum tendat. Tex. 68.

Quomodo aliquę generationes eueniant necessario aliquę contingẽter.

Ostendit quomodo in generationibus sit necessarium. Vt autẽ hoc intelligatur melius oportebit intentum Arist. & quæ dicit, priꝰ explicare. Intendit igitur docere, quomodo generationes aliquorum necessariò eueniant, seu potius omnium: & quomodo contingenter.

Quæ sit circularis generatio.

Aduerte autẽ, quod generationes circulariter proueniunt ita, vt qđ modo euenit & generatur, ante fuerit, & similiter post erit, & hoc perpetuò, quia perpetua est generatio: non tamen quod fit modo, fuit idem numero vel erit post, sed specie: vnde si modo generatur Petrus, dicitur fuisse, quia homo fuit ante ipsum & post etiam erit: & talis generatio dicitur circularis: quia per eam regreditur quodãmodo quod corrũpitur, & prę fuit quod fit. Si tu igitur consideras, inuenies quod quę in circulo sic generãtur necessaria sunt simpliciter in specie, quia fuerũt, erunt, & sunt.

Nota. 1. Loquor autem secundum Arist. qui mundum falsò putauit æternum: ob id aũt licebit, à priori ad posterius argumẽtari, vt homo est, ergo homo erit, & generabitur, & hoc quia necessariũ est, hominẽ esse in natura. Et ad hoc vtile fuit dubium propositum.

Generatio est necessaria in specie sed cõtingẽs in individuo.

Quanuis igitur singulariũ generatio horũ, vel illorũ non sit necessaria, in communitate sumpta necessaria est, & in hoc consistit doctrina ista. Singulę enim per se generationes contingentes sunt: at confuse, & vniuersaliter sumptæ sunt necessarię: & hoc, quia est circularis generatio, in qua regredi necessarium est quod fuit in specie quidem: quod si non esset generatio circularis, id est, nihil regrediatur, nec specie, sed omnino noua generentur (quã generationem vocat rectam) tunc posteriora non essent necessaria, & sic omnia contingentia essent.

Nota. 2. Nota autẽ, quod nõ est opus, qꝑ statim post vnũ immediate oriatur alterũ illius speciei: sed sat est aliquando. Hæc sunt quę in hoc difficili textu cõtinentur, paulatim literam explicemus.

Explicatio literæ

Generationẽ nõ esse infinitam.

Proponit igitur, qꝑ si generatio esset infinita inferius, id est, in rectũ, nec esset circularis, vt dictum est, tũc nullius generatio esset absolutè necessaria, imò nec ex suppositione: probat, quod non esset necessaria ex suppositione: nã alterum postea probabit, demus illud de quo dicetur: hoc erit, si priꝰ fuerit: sic argumentor: Ante illud 1. Ratio sunt infinita, quæ debent præcedere, vt suppositum est: ergo non e-

rit illud necessariò ex suppositione, nam necessarium ex suppositione pendet ex priori, & primo: at in infinito nō est primum: non ergo eueniet necessariò ex suppositione, cùm non detur primum, quod debet esse prius.

At vero neq; in terminum habētibus.

Probat, secundò, quod nec in finitis secūdum rectum, in quibus potest quidē esse necessariū ex suppositione: at necessarium simpliciter nō erit: & eadem est probatio per infinita recta generatione.

2. Ratio

Detur igitur id, quod necessarium dicitur esse: sit v. g. domus, quæ posito fundamento, dicitur, necessariò futura esse: si dom⁹ est necessaria simpliciter, semper erit posito fundamēto: aliter enim erit cōtingens non esse: & sic aliquid, quod potest non esse, erit necessariū, quòd falsum est: conuertūtur enim necessarium, & nō posse nō esse, & sempiternum: si igitur necessariò generabitur domus, semper ex fundamento posito generabitur: at non ita fit, quia in indiuiduo notūest, non esse necessariū: si igitur nunquā generabitur amplius, nec fuit generata in specie, quia supponimus, nō esse circularem generationē, ergo nō poterit esse necessaria vllo modo, quāuis ponātur iterum fundamenta: aliter enim cōtingeret circulus, quē supponimus non esse.

Si igitur alicuius ex necessitate simpliciter.

Concludit, ꝙ si generatio futura est necessaria alicui⁹, op⁹ est, pēr circulū generationes procedere, vt expositum est: iterū autē facit argumentū, vel potius, quæ dicta sunt ad formā argumenti reducit, sic. Generationes, aut habent terminum ita, vt finiantur, aut nō: & si nō, aut procedunt in rectum, aut in circulum: nō est dicendum, terminum habere, cum sint perpetuę erūt ergo infinitę, vel in recto, vel in circulo: sed in infinitum rectè non procedunt, quia sic non dabitur aliquid necessarium, nec versus futurū: nec versus prēteritum ob rationem factā, at oportet, necessariū aliquo modo dari, & principium, cū sit perpetua: erit ergo in circulo. Cōcludit: ergo in circulo erit cōuersa cōsequētia à priori ad posterius: & ècōtra, quia singula in specie fuerunt, sunt, & erunt necessariò: sic in circulo dabitur necesarium simpliciter: & è contra: si necesarium est simpliciter in generationib⁹, dabitur id in circulo, vt expositum est, & hęc est expositio huius textus.

Si aliquo generatio futura est necessaria omnes esse circularem generationem.

De argu. Aristot.

Hæc itaque rationabiliter. Tex. 69.

Generationes circulo procedere alia ratione ꝓbat præter eam, quā ex necesitate, & perpetuitate tūpsit: ratio autem à principio, & causa sumitur: nam causa generationum etiam est circularis, puta cælorum motus.

Alia ratio ad ostendendum circulum generationum.

Dicit igitur meritò generationes circulariter ꝓcedere, quia circularis motus, qualis est cęli, vt alibi probatur est solus & continuò

per

perpetuus: quòd si iste circularis est rationabiliter fit, vt quotquot mutationes, & motus perpetui ab isto proueniũt, etiã circulares sint. Nam si corpus, quod circulariter mouetur aliquid mouet, id etiam circulariter mouebitur. v.g. orbis circulariter motus mouet Solem, Sol vtiq; circulariter mouebitur.

Vlterius Sol circulariter motus facit tempus, tempus vtique circulariter procedet secundum annos, dies, & menses, & reliqua: similia enim succedunt, semper tempora.

Præterea tempora circulariter procedunt, ergo etiam generationes, quæ ab ipsis mensurantur, & pendent.

Quare ergo hæc quidem. Tex. 70.

Idẽ docetur experientia. Explicat etiam experientia, circularem esse generationem in aliquibus, vt nubes ex aqua, & aqua ex nube. & hoc iterum.

Dubium an in animalibus fit circularis regressus At in animalibus, est quidem regressus, sed non rursus, & immediatè, sicut in illis, vt ex societate est Plato, & ex hoc alius: ob id videtur generatio horũ esse in rectũ, & sic non necessaria: non enim à priori valet ad posterius: at nõ est in rectum, quamuis appareat.

Suppositio. Ad cuius solutionem sumit hoc: an regressus fiat secundum idem numero ita, vt corruptũ, & mutatum idem numero redeat.

Solutio. Soluit dicens, quod in substãtijs perpetuis idem numero redit: vt Sol idem numero redit ad Arietẽ, & hoc, quia non mutatur in substantia, sed localiter mouetur & qualis est mutatio, sic est reditus mobilis: quia enim non mutatur substantia, redit eadem. At in corruptibilib. substãtijs, quę sic sunt, vt possint nõ esse, impossibile est, post corruptionem eadem numero redire, sed specie solum.

Ex quo habes solutionem, quod animalia, & elementa etiam regrediuntur in specie, quãuis elemẽta secundũ nomen videantur redire numero: at perpetuorũ circul⁹, qui potissimus est, & huius inferioris circuli secundũ generationes causa, & principium, non in specie solum, sed in numero idẽ est. Et hic est finis textus Arist.

QVAESTIO. XIII.

An corruptum naturaliter idem numero reparari possit.

SEnsus quæstionis notus est: petimus enim, an aqua, ignis, leo, calor, vel aliquid horum semel corrupta possint ab aliquo naturali agente iterum producit eadẽ numero prorsus: videtur aũt id posse fieri. Primò, positis eisdem numero causis, idẽ numero produci debet effectus: sed postquã aliquid est corruptũ, iterum possunt eædẽ numero poni causæ: ergo & idem reducetur effectus: Minor patet: si igni apponatur manus & calefiat, postea calor destruatur separata manu: si reponatur ad ignem eadẽ manus, est idẽ prorsus ignis, ergo idẽ numero restituetur calor. 1. arg.

Secundò, materia, & agens sunt in tanta potẽtia corrupto effectu, 2. arg.

in

in quanta erant ante ipsum: ergo potest idem effectus reparari. Cõsequentia est certa: si enim materia est in potentia ad formam corruptam, & ignis etiam, seu agens in potentia actiua, ergo effectus reduci potest ad actum. Antecedens verò patet: nã aliter minoraretur potentia agentis, & materię, quo plures effectus producũtur: quod videtur falsum.

3. argu. Tertiò, sit calor per diẽ vnum non interruptus, constat quod vespere, & mane idem erit: ergo si destruatur meridie, & iterũ vespere producatur, erit idem: nihil enim interruptio facere videtur ad diuersificandos calores, qui & manè & vesperi sunt.

4. argu. Præterea quartò. Accidẽs indiuiduatur à subiecto, at corrupto accidente manet idem subiectũ, in quod potest tale accidens induci, ergo erit idem numero cum corrupto.

1. sentẽ. quæ attribuitur Plat. In hac difficultate sunt quatuor sententiæ. Prima est Platonis: hic enim existimauit, posse idem numero redire post corruptionem: imò de facto rediturum: dicebat enim, quòd absoluto motu octauę sphæręæ, redibunt cuncta iterum, sicut erãt ante, & sic redibunt eadem tempora, & ijdem homines, & res, & operationes: durat autem iste motus 36. milibus annorum, vel secundum veriorem 49000. annorum, quod tempus vocabat annum maximum, quo finito, dicebat, redituræ omnia: quia eædẽ redituræ erant causæ: an verò hęc sit sententia Platonis, nõ omninò est constitutum, imò Iamblicus non admittit hoc in Platone, & alij multi: de quo vide Marsi. Fic. l. 11. de theologia Platonis.

2. sentẽ. Marsilij Alia fuit sententia in opposito extremo Marsil. q. 20. & aliorum, qui redire eadem, quæ corrupta sunt simpliciter dixerunt esse impossibile, ita vt de potentia absoluta Dei fieri non possit: dicunt enim, quod homo redire poterit, quia anima non est corrupta: quæ autem corrumpuntur, nequeunt vlla potentia redire.

1. Ratio Ratio prima est, quia nõ potest redire eadem res, nisi idem motus & tempus reparentur. At hęc nõ sunt reparabilia ergo nec res. Probatur minor: quia si tempus idem posset repeti, sequitur, quod vno anno solo posset mũdus perpetuò durare, imò vna hora sola: quia posset Deus illã semper reducere, illud autem videtur impossibile.

2. Ratio Ratio altera est, quia sequitur, quòd posset idem existens iterũ produci: quod est impossibile. Probatur sequela, quia si potest, quod semel fuit reproduci, posset reproduci idem, siue existat siue non.

3. sentẽ. Ricardi Tertia sententia est Ricardi 4. sen. d. 43. q. 1. art. 3. quam sequitur Scotus. 4. sen. d. 43. q. 3. dicũt, qd̃ viribus naturalibus potest idem agens reparare eundem numero effectum, vt in accidẽtibus, & elementis, & mixtis, non tamẽ in om-

nibus

nibus·& dicit Scotus,quod nō vi det,qūo istud sit impossibile.

Quarta sententia est S. Thomę, quodlibet.4.q.5.& alibi sæpè, & Aegidij:theore.1.quòd Deus po test omnia parmanentia corrupta reducere,id tamē impossibile est cuicunq; agenti naturali virtute propria:& est hæc communis sen tētia. Vt autem breuiter,quid mi hi in hoc probabili⁹ videatur,ape riam:sit prima conclusio.

4.sentēt. D. Tho.

1.concl. Platonis sententia est citra fidem.

Sententia quę tribuitur Plato ni est impia,&contra rationem na turalem Dico primo ,esse impiā, quia est expresse contra fidem no strā;quā reijcit Augustinus.12. de ciuitate.ca.13.sunt autem loca scripturæ contra hanc.1.ad Thes salonicē.4.Semper cum domino erimus, & ad Rom.6.Christus re surgens iam non moritur.Psal.11. Tu Domine seruabis nos,& custo dies nos à generatione hac in ęter num:& Apocalyp.Non erit vltra tempus.

Est cōtra rationem naturalē Ratio.1.

His tamen omissis, est etiā con tra rationem naturalem : primo, quia aufert libertatem hominis, dum dicit, quòd redibunt i)dem homines,patres,&filij,& alia,quę absq; necessitate esse non possūt: quis.n.prohibebit , quo minus in altero anno maximo iste non mu tet statum,nisi ponatur necessitas.

2.Ratio.

Pręterea,quia aufert hominum beatitudinem,quæcunque sit illa, dum dicit, animas redituras ad corpora:sunt etiam multa alia, & manifesta impossibilia.

Sed hoc est ma[illegible]me notandum, quod post illū annum,maximum, quamuis redibit ad principiū ipsa sphæra,non tamen orbes alij redi bunt ad idem punctū,in quo erāt, cum incepit octauæ motus prior: & sic non redibunt eędem causę: in hoc autem multum deceptus fuit Plato,cuius errorem Astrolo gi certissimis computationibus cō pererunt,nec tamen etiam si redi rent omnes,ob id effectus essent idem numero:deessent enim cau sæ particulares inferiores , à qui bus etiam pendet vnitas numera lis effectuum,de hoc habes multa apud Grecos interpretes.1.de ani ma tex.41.&.1.de cælo.tex.12.et 1.Meta.ca.3.primæ sumæ:vbi ait Arist. easdē opiniones ad nos in finities reuerti,sed hęc fusius exa minare non est huius loci.

3.Ratio.

Secunda conclusio. Sententia Scoti probabilis videtur , scilicet quod aliquod corruptum possit idem numero reparari quia profe cto nō apparet ita facile,quare id repugnet : Nam non videtur alia repugnantia,nisi quia fuit,hoc aūt nihil est:quia dum res nō sit, siue fuerit,siue non.videtur posse pro duci:nam tantum distat ab esse, cum fuerit producta,& corrupta, & etiā cum non fuerit producta.

2.Concl.

Sit tamen conclusio tertia. Mul to probabilior, ac tenenda magis sententia opposita , quod viribus naturæ nullo modo possit corru ptum reparari. Ratio autem vna est prępipua.Motus est idem re

3.Concl.

cum

cum termino, sed motus non potest idem numero naturaliter reparari, ergo nec res: consequentia est euidens, & maior certa: minor probatur: motus hic dependet ab hoc tempore, vt dicit Arist. 5. Physic. text. 34. at tempus non potest naturaliter idem reparari: aliter enim præteritum esset præsens, ergo nec motus, nec actio: & consequenter nec terminus.

Nota. Attende autem in quo decipitur Marsilius in suo argumento, quod Deus cum non agat per motum, & mutationem, potest reparare eandem rem sine tempore, & motu: imó verè potest etiã reparare ipsum motũ & tempus si velit: omnis creatura cum per motum agat, nõ potest idem reproducere, nisi eundem repetat motũ: si enim alio operatur, iam alia erit res, & termin⁹: & per hoc soluitur argumentum Marsilij, quo contendit id esse simpliciter impossibile.

Ad.1. rationem Marsilij

ad.2.ar. Marsilij Argumentũ eius alterum etiam nullũ est, quia est de ratione productionis, quod terminus non sit, ob id, quod est, reproduci non potest, nisi amittat esse, quod per productionem accipiat. Superest ad argumenta priora respondere.

Ad arg. initio fa. Ad.1. Ad primum dicitur, quod non sat est ponere idẽ agens, & subiectum, siue causas easdẽ: sed ponenda est eadem actio, quæ poni non potest absque eodem tẽpore, vt producatur idẽ numero effectus: vnde ex eisdem causis absolutè loquẽdo sequitur semper idem effectus, specie quidem, non numero. *Ad.2.*

Ad secundum dico, quod verum est, q̃ qualis erat potentia, sic manet, tamẽ potentia materię, & agẽtis est specifica, & indeterminata, & infinita syncategorematicè. i. ad non tot, quin plura, ob in non dicitur minorata, aliter esset minorata effectibus manentibus, cum iterum produci nequeant.

Ad tertium solutio est nota, cũ n. fit interruptio illa, calor perdit suũ esse q̃ tamen non perdit, si non interrũpatur, aliud autem est conseruari idẽ esse, aliud est reproduci: hoc.n. est impossibile naturaliter. *Ad.3.*

Ad quartũ dico, quod illa vnitas à subiecto est extrinseca secundũ quam accidentia diuersi generis existentia in vno subiecto vnum numero dicũtur: at loquimur nos de vnitate intrinseca, quæ sequitur entitatem rei, & sic plura sunt, subiecto cui insunt, & secũdũ hãc corruptum nequit produci. *Ad.4.*

Et satis sint ista de hac difficultate modo, ac proinde de tota enarratione in libros de Genaratione & Corruptiõe. Sit laus Deo. Opt. Max. qui perduxit nos ad finem.

¶ Finis librorum de Generatione & Corruptione.

CVM PRIVILEGIO.
Compluti, Apud Ioannem Iñiguez à Lequerica. Anno. 1589.



ignis e calidus et siccus progenerat
aqua e frigida et humida generatur
aer e calidus et humidus generatur
terra e frigida et sicca progenitur

M. f.m. 6209